This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Σ. 4. 163

2941 e. 309

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

OPERA OMNIA.

VOL. VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

P. VIRGILII MARONIS

OPERA OMNIA

EX EDITIONE HEYNIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

EXCURSIBUS HEYNIANIS

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN OCTAVUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A.M.

1819.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCURSUS

AD

BUCOLICA.

I.

ECLOGA IV.—GRÆCE VERSA IN ORAT. CONSTANTINI M.

Eclogam hanc græce redditam, et eo consilio appositam, ut adventum Messiæ in ea prædictum esse manifestum fieret, magna ex parte extare apud Eusebium in Orat. Constantini M. ad Sanctorum cœtum jam in argumento præfati sumus. Repetitum illud carmen et adjectum edd. Ge. Fabricii Chemnic. Rob. Stephani, aliisque; sigillatim excusum a Fed. Morellio 1583, et post alios a Maittaire in Miscellan. Carminib. p. 139. Inseruit quoque cum interpretatione, sed nulla crisi adhibita, Bœcler. Diss. acad. Tom. II, n. XI, p. 387 sq. Non alienum erit a studiis eorum, quibus hæc editio parata est, si subjecero Græca ad meum sensum emendata: notato versuum Virgilianorum numero, cui illa respondent:

1 *Σικελίδες Μοῦσαι, μεγάλην φάτιν ὑμνήσωμεν.*

* * *

4 *Ἦλυθε Κυμαίου μαντεύματος εἰς τέλος ὀμφή.*
5 *Οὗτος ἄρ' αἰώνων ἱερὸς στίχος ὤρνυται ἡμῖν.*
6 *Ἥκει παρθένος αὖτις ἄγουσ' ἐρατὸν βασιλῆα.*

NOTA.

5 Οὗτος ἄρ'. leg. Αὖτις ἄρ'.

Digitized by Google

7 Ἔνθεν ἔπειτα νέων πληθὺς ἀνδρῶν ἐφαάνθη.
8 Τὸν δὲ νεωστὶ πάϊν τεχθέντα, φαεσφόρε Μήνη,
9 Ἀντὶ σιδηρείης χρυσῆν γενεὴν ὀπάσαντα,
10 Προσκύνει . . . .

* * *

13 Τοῦδε γὰρ ἄρχοντος, τὰ μὲν ἕλκεα πάντα βρότεια
14 Ἄλγεά τε στοναχαί τε κατευνάζονται ἀλιτρῶν.
15 Λήψεται ἀφθάρτοιο θεοῦ βίοτον, καὶ ἀθρήσει
16 Ἥρωας σὺν ἐκείνῳ ἀολλέας, ἠδὲ καὶ αὐτὸς
Πατρίδι καὶ μακάρεσσιν ἐελδομένοισι φανεῖται,
17 Πατροδότοις ἀρετῇσι κυβερνῶν ἡνία κόσμου.
18 Σοὶ δ' ἄρα, παῖ, πρώτιστα φύει δωρήματα γαῖα,
19. 20 Βάκχαριν ἠδὲ κύπειρον, ὁμοῦ κολοκάσσι' ἀκάνθῳ.
21 Σοὶ δ' ἄρα, παῖ, χίμαροι μαστοὺς καταβεβριθυῖαι
Αὐτόματοι γλυκὺ νᾶμα συνεκτελέουσι γάλακτος.
22 Οὐδὲ θέμις ταρβεῖν βλοσυροὺς ἀγέλῃσι λέοντας.
23 Φύσει δ' εὐώδη τὰ σπάργανα ἄνθεα. αὐτὴ
24 Ὄλλυτο ἰοβόλου φύσις ἑρπετοῦ· ὄλλυτο ποίη
25 Λοίγιος· Ἀσσύριον θάλλει κατὰ τέμπε' ἄμωμον.
26 Αὐτίκα δ' ἡρώων ἀρετὰς πατρός τε μεγίστου
27 Ἔργ' ὑπερηνορίῃσι κεκασμένα πάντα μαθήσῃ·

NOTÆ.

13 τὰ μὲν ἕλκεα· ita duo codd. ap. Vales. Vulgo: μενοεικέα πάντα βρ., quod sane ad sensum redigi potest: omnia mortalia ex animi voluntate. Si futurum præferas, erit κατευνάσσονται.

19 Βάκχαριν. Vulgo: κριθὴν ἠδὲ κύπειρον, perperam; κισσοὺς erat emendatio Morelli ex Latino facta. Maittair. conj. Βάκχαριν ἢ κισσοὺς καὶ ὁμοῦ; modo non a litterarum ductu nimium recederet. Si tamen κύπειρος Cyperum esculentum Linn. est, non ingrati graminis genus, potuit cum baccari jungi.

21 Legebatur ὦ παῖ, θαλεροὶ μαστοὶ καταβεβριθυῖαι. In Virgilio est: 'Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Ubera.' Vales. conj. αἶγες.

23 Edebatur ἄνθεα αὐτά. In Cod. apud Vales. erat ἄσετ' ἐνιπὴν et ἄσιτ' ἐνιπήν; quod non assequor. Poterat ἐνιπὴν cum seqq. jungi: ἐνιπὴν Ὤλεσεν ἰοβ. φύσις ἑρπετοῦ. Sed in ἄσετ' quid lateat non video. Suspicor ἐνιπὴν esse factum ex fine versus sequ. ποίη, quod ubique corruptum πίσσης, ποίσσης, ποιήσεως.

24 ὄλλυται vulgo altero loco cum vitio versus. Malim ὤλετο.

25 κατὰ τέμπε' editum a Vales. Vulgo: κατὰ πάμπαν. Ex iis, quæ Constantinus interpretationis causa adjecit, putes eum legisse: Οἴχεται Ἀσσύριον, θάλλει κατὰ τέμπε' ἄμωμον· perperam acceptis Maronis verbis.

Digitized by Google

28 Πρῶτα μὲν ἀνθερίκων ξανθῶν ἤχθοντο ἀλωαί,
29 Ἐν δ' ἐρυθροῖσι βάτοισι παρήορος ἤλδανε βότρυς,
30 Σκληρῶν δὲ πεύκης λαγόνων μέλιτος ῥέε νᾶμα.
31 Πεῦρα δ' ὄμως ἴχνη προτέρας περιλείπεται ἄτης·
32 Πάντον ἐπαΐξαι, περί τ' ἄστεα τείχεσι κλεῖσαι,
33 Ῥῆξαί τ' εἰλιπόδων ἑλκύσμασι τέλσον ἀρούρης.
34 Ἄλλος ἔπειτ' ἔσται Τίφυς καὶ Θεσσαλὶς Ἀργὼ
35 Ἀνδράσιν ἠρώεσσιν ἀγαλλομένη· πολέμου δὲ
36 Τρώων καὶ Δαναῶν πειρήσεται αὖθις Ἀχιλλεύς.
37 Ἀλλ' ὅτ' ἂν ἠνορέης ὥρη καὶ καρπὸς ἵκηται,
38 Οὐχ ὁσίη ναύτῃσιν ἀλιτρούτοις ἀλάλησθαι,
39 Φυομένων ἄμυδις γαίης ἄπο πίονι μέτρῳ·
40. 41 Ἀγρὸς δ' ἄσπαρτος καὶ ἀνήροτος· οὐδὲ μὲν ἀκμὴν
Ὀτραλέου δρεπάνοιο ποθησέμεν ἄμπελον οἶμαι·
42 Οὐδ' ἐρίων δεύοιτο βροτὸς πόκον· αὐτόματος δὲ
43. 44 Ἀρνειὸς Τυρίοισι παρατρέψει λιβάδεσσι·
45 Σάνδυκι πορφυρέῳ λάχνην ῥυπόεσσαν ἀμείβων.

* * *

48 Ἀλλ' ἄγε τιμῆεν σκῆπτρον βασιληΐδος ἀρχῆς
49 Δεξιτερῆς ἀπὸ πατρὸς ἐριβρεμέταο δέδεξο.
50 Κόσμου κητόεντος ὅρα εὔπηκτα θέμεθλα,
51 Χαρμοσύνην γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἠδὲ θαλάσσης,
52 Γηθόσυνόν τ' Αἰῶνος ἀπειρεσίου λάσιον κῆρ.

NOTÆ.

28 ἤχθοντο. Gravatæ sunt areæ, βαθρίδεσι, spicis. Vulgo ἤγοντο sine sensu. Etsi hoc ipsum Constantinus interpretatur τοιοῦτόν ὁ καρπὸς τοῦ θέρους νόμου ἤγετο εἰς χρείαν.

33 Corrupte alii Πῆξαι.

37 καρπός· Maitt. conj. κάρτος. Alterum tamen cum ὅρα bene convenit.

38 Vulgo Οὐχ ὅσιοι αὐτοῦσιν ἀλιτροτάτοισιν .... Ex Marone 'Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus Mutabit merces' in promtu est in αὐτοῦσι latere ναύτῃσι et in ἀλιτρ. latere ἀλιτρ. Vidit jam Maitt. ἀλιτρότατον navigatione confectis legendum esse. In fine versus deficit vox, quæ navigationem declarat. Vales. ἀλᾶσθαι posuerat. Mox φυομένων ἄμυδις, h. ἅμα, non dispersim, sed promiscue ubique.

40. 41 Ἀγρὸς δ' sc. ἔσται. Editum erat vulgo αὐτὸς, quod Vales. emendabat αὐτὴ δ'. ἀκμὴν. al. ἀμὴν· cum ἀμὴ δρεπάνου h. l. sit, parum id commodum, nisi sit ἀμὴ pro frondatione dicta.

42 Non necesse, ut homo tingat lanam; aries ipse mutabit eam purpura: παρατρέψει sc. πόκον.

43. 44 Vales. malit πάρα πρέψει· sed quid πάρα sit, non assequor.

50 ὅρα. Vulgo ἀρῇν, quod Homericum esset; sed in tali carmine vix frequentatum.

52 Αἰῶν in personam abiit. Miras in his versu. turbas facit Vales.

Digitized by Google

53 Εἶδε με γηραλέον ζῶντά τ' ἔχε νήδυμος ἰσχὺς
54 Σὴν ἀρετὴν κελαδεῖν, ἐφ' ὅσον δύναμίς γε παρείη·
55 Οὐκ ἄν με πλήξειεν ὁ Θρᾳκῶν δῖος ἀοιδὸς,
56. 58 Οὐ Λίνος, οὐ Πὰν αὐτὸς, ὃν Ἀρκαδίη τέκετο χθών
59 Ἀλλ' οὐδ' αὐτὸς ὁ Πὰν ἀνθέξεται εἵνεκα νίκης.
60 Ἄρχεο μειδιόωσαν ὁρῶν τὴν μητέρα κεδνὴν
61 Γνωρίζειν· ἡ γάρ σε φέρεν πολλοὺς λυκάβαντας·
62 Σοὶ δὲ γονεῖς οὐ πάμπαν ἐφημέριοι ἐγέλασσαν
63 Οὐδ' ἥψω λεχέων, οὐδ' ἔγνως δαῖτα θάλειαν.

EXCURSUS II.

DE VARO.

Ecl. VI, 6. 7 'namque super tibi erunt qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella.' 10 'te nostræ, Vare, myricæ, Te nemus omne canet; nec Phœbo gratior ulla est, Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.' Ecl. IX, 27 'Vare, tuum nomen—Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.' Quæ ex his de Varo, cui Ecloga inscripta est, si modo in utraque Ecloga de eodem Varo agitur, colligi possunt, hæc sunt: fuisse hominem Maroni amicissimum; Musis gratum et jucundum nomen; eum rebus bellicis clarum fuisse ('et tristia condere bella'), promitti ei nominis immortalitatem; fuisse quoque aliquam ejus gratiam ac meritum apud Mantuanos, in vindicandis iis a veteranorum injuriis. Nec tamen illa sufficiunt ad declarandum, quisnam ille Varus fuerit; cum tot gentium, ut Quintiliæ, Pompeiæ, Atiæ, Liciniæ, cognomen illud fuerit, nec alia in scriptoribus Vari hujus

NOTÆ.

55 πλήξειεν. πλήσσειν percutere seu in luctu seu vulnere pro νικᾷν· nisi corruptus et mancus locus est.

60 μειδιόωσαν ὁρῶν. Turbatum et hic erat in Græcis, ut ab interpretibus in Latinis: Ἄρχεο μειδιόων ἀνορῶν· in codd. μειδιῶν ὡς ἂν ὁρῶν. Verum vidit jam Vales.

62 Interpolatum hoc in Græcis, ut sensus sit: At tibi non mortales parentes fuerunt.

Digitized by Google

memoria satis liquido prodita sit. Grammatici vero multo magis turbant disputationem, cum non modo plures Varos confundant, verum et *Varium* cum *Varo* misceant. Franc. Arisius in Cremona litterata, Tom. I, p. 27 sq., a quo hæc severius tractata expectabam, et ipse diversos homines miscuit; reprehensus jam hoc nomine a populari (in Giornale de' Letterati d' Italia, Tom. X, p. 264 sqq.). Dignum tamen nomen hominis a Marone tam studiose celebrati, ut paucis de eo agatur. Nescio enim, quomodo accidit, ut istis ætatibus, quibus magna rerum inversio facta est, magnique viri, et rebus gestis et ingenio clari, floruere, nullum nomen sit, quod non animum impellat et studium nostrum in se convertat. Tum vero, si magni viri studio semel tenemur, etiam amicos ejus cognoscere avide cupimus.

Secernamus primo Varos, quos temere huc vocarunt Grammatici. *P. Quintilium Varum* U. C. 761 in Germania cæsum jam ipsa temporum ratio excludit; si quidem florente ætate Virgilius hoc carmen scripsit. Eadem de causa locum nec habet *P. Alfenus* (scribitur et *Alphenus* et *Alfinius*) *Varus*, Cos. 754, nobilis JCtus, ad quem male retulere Horatii locum Sat. I, 3, 130.

Alium *Alfenum Varum* ab Augusto Transpadanæ provinciæ et agris dividendis præfectum, ne Virgilio ager eriperetur, curasse, memorant Serviana ad Ecl. VI, 6 et in Pseudodonato s. 30. Hunc esse de quo Virgilius hac Ecl. VI. tam magnifice loquitur, probabile fieret: si modo de hominis rebus bello gestis aliquid constaret, quæ tantæ essent, ut carmini epico materiem idoneam præberent.

Quintilium, acutum et severum illum criticum ap. Horat. Art. 438, de cujus morte solatur Virgilium suum Horatius Carm. I, 24 et quem Hieronymus Chron. Euseb. Cremonensem appellat, enotato ejus anno emortuali ad Olymp. 189, 1 (U. C. 730, ante C. N. 24), nulla idonea auctoritate *Vari* cognomine appellant Grammatici, Servius ad Ecl. V, 20, et Schol. Horat. Cf. Ruæus ad Ecl. VI, 7.

Q. Atium Varum ex Cæsaris Comment. de B. G. VIII,

Digitized by Google

28. B. Civ. III, 37 huc vocat Martin. nominis similitudine inductus. Q. VAR. occurrit in Sarda Dactylioth. Lipp. Tom. II, 2, 219.

L. Varus, Epicureus, Cæsaris amicus, memoratur ap. Quintil. I. Or. VI, 3, 78. Nullam hic lectionis varietatem notatam video; ut nec in altero loco X, 3, 8. 'Virgilium paucissimos die composuisse versus auctor est Varus.'

Indubitatum quoque *Vari* nomen est ap. Horat. I, 18 Carm. 'Nullam, Vare, sacra.' Et Epod. V, 73, ubi Canidia in eum, tanquam inconstantem amatorem, sævit.

Nihil in his est, quo manifestum fiat, an de eodem Varo agatur. Qui Horatii amicus fuit, potuit et Virgilii esse: potuit idem Cæsaris amicus esse. Pro eodem itaque cum L. Varo Epicureo habuerunt eum viri docti, in his Masson. Vit. Horat. p. 222. Eidem adeo et hæc Ecl. VI inscripta videri potest: si verum est, quod Servii ad v. 31, Phocæ in Vita Virg. v. 63, Donati in V. V. s. 79 fide traditur, in v. 31 sqq. Epicureum dogma proponi; si porro Syronis, philosophi Epicurei e Cicerone noti, una cum Varo auditor fuit Virgilius. Sunt tamen hæc omnia tum parum firmatæ fidei, ut nihil illis equidem confidam. Contra gravem dubitationem movet adversus hanc Massoni opinionem hoc, quod Varus Virgilii nostri bello clarus fuit: nam Ecl. VI, 7 'erunt, qui dicere laudes, Vare, tuas cupiant et tristia condere bella:' id quod in Epicureum illum philosophum non cadit.

In loco Ecl. IX, 35 vulgo legebatur: 'Nam neque adhuc *Varo* videor nec dicere Cinna Digna, sed argutos inter strepere anser olores.' Si hoc recte se haberet: recte inferres: Varum aut poëtam aut carminum judicem bonum fuisse; prius illud verius; nam Cinna notus satis poëta fuit, non criticus; ita vero de Varo poëta multo major dubitatio suboriretur. Enimvero multo probabilius fit, *Vario* legendum et de *L. Vario* tragico locum accipiendum esse, de quo v. ad Donat. Vit. Virg. s. 30 et 53. atque secundum hæc *Vario* reposui.

Apud Servium ad Ecl. IX, 34 legitur: 'Nam Varus vic-

Digitized by Google

tor et dux fuit, cui supra blanditur:' unde colligit doctiss. Ruhnken. ad Vellei. p. 364, Varum eum fuisse, non Varium, quem Acron narrat ad Cassium Parmensem occidendum ab Augusto missum. Verum et illud Scholion Acronis et hoc Servii tam contaminatum est Grammaticorum ineptiis, ut vix quicquam inde conficias. In Servianis, quisquis illud apposuit, quod paulo ante ascripsi, indocte expressit Horatianum: 'Scriberis Vario fortis et hostium Victor.'

Restat pro Varo poëta qui memorari possit locus Ovidii ex Ponto IV, 16, 31 'Cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyrannis.' Duo tragœdiarum auctores memórari manifestum est. Gracchum Tragicum illustrat Heins. ad c. l. Cum Varii Thyestes tam nobile opus fuerit; Vari autem aliunde nulla prostet memoria; equidem non dubito in Nasone quoque *Varium* substituere: etsi is paulo major natu esse debuit Nasone puero.

EXCURSUS II.*

DE SILENO A SATYRIS ET NYMPHIS VINCTO.

Ecl. VI, 13. 'Chromis et Mnasilus in antro Silenum pueri somno videre jacentem—Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambo Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis. Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle, Ægle Naiadum pulcherrima.'

Cum motus mentis magnis sensibus contactæ et phantasmata animi concitati ab ætatum priscarum hominibus nec discerni satis inter se nec ad causas suas possent revocari, adeoque nec re nec nomine notari: ad furores illi divinitus mentibus immissos revocati sunt, modo religiosos modo fatidicos; fidem faciebant opinioni calores animorum et furores in orgiis Bacchicis et Phrygiis per choros ad numeros concitatos tympanorum et tibiarum moveri soliti: de quibus ad locum Strabonis lib. X. disputatum est alio loco (Commentat. Societ. Reg. Sc. Gotting. Vol. VIII.) Jam

Digitized by Google

hæc eadem translata esse ad vates, et inde ad poëtas, ut et ipsi Deo incalescere, furere, μαίνεσθαι putarentur, nota res est.

Inter Deos, qui vatibus et poëtis furores injicerent, Apollo et Musæ mox et Nymphæ et alii Dii, habiti sunt, tum et *Bacchus*, qui et in Apollinis et Musarum consortium eo nomine venit. Non mirum itaque si, cum ille suos comites et θιασώτας, inprimis Bacchas, Mænades inde dictas, furore impleret, Silenum ita ἔνθεον ab eo redditum esse μυθικῶς narrarunt poëtæ, ut et vaticinaretur, utilia moneret, tandem et vatum more caneret; itaque eo deventum est, ut Sileno tribuerentur carmina, tandem disputationes, de rebus physicis ac divinis: eo modo, qui expositus est a me in argumento hujus Eclogæ.

Cum semel ea, quæ de vate vaticinante narrari solebant, transferri cœpissent ad poëtas: Sileno a Virgilio tribuitur hoc quoque, quod vaticinantium erat proprium, ut non nisi inviti et reluctantes Deum reciperent; nam Silenus ad carmina sua recitanda non nisi invitus accedit; itaque vi cogunt eum Satyri, ut alibi videmus Proteum aut Pythiam ad vaticinandum vi admota cogi: qua de re v. dicta ad vs. 28.

Ascripsi hæc in breve collecta in eorum gratiam, quibus hæc scripta sunt. Poëta hoc ipsum in lepidum mythum mutavit, cum narret Satyros duo, qui dudum carmina flagitaverant a Sileno, vi tandem adigere eum voluisse ut caneret, adjutrice Nympha. Versa tamen res in lusum, cum et corollis senem vincirent, et Nympha procaciter ejus frontem rubro pingeret.

Inter argumenta operum antiquorum nullum est copiosius et locupletius Bacchicis orgiis et lusibus. Satyri itaque ludentes, Silenus temulentus et Bacchæ, h. e. Nymphæ cum Baccho bacchantes sunt inter ea, in quibus artifices ingenia exercuerunt vel maxime. Sunt quoque in his quæ cum nostro carmine comparari possint. Silenus recubans in pelle substrata, utre vini pleno nixus, altera manu cantharum inversum tenens (qui tamen artifici recentiori vitiatum

Digitized by Google

marmor reficienti deberi videtur) in villa Ludovisia visitur Romæ, cælo passim expressus.

Est Silenus ad arborem revinctus, Satyro ac Nympha exorantium specie astantibus, in gemma Lipperti Dactylioth. Mill. I, 1, 183. Sunt alia apud Tassie. Inventum est nuper in finibus Neapolitanis anaglyphum, Silenum in antro sedentem cum Nympha frondem seu surculum ostentante, exhibens, Satyris duobus auscultantium similibus; pone antrum Sileni asellus cum duobus Satyris saltantibus. Id anaglyphum e nostro poëta adumbratum esse censuit Xaver. Mattei in diss. 1759 edita. Repetitum anaglyphum parum scite et affabre factum et ære sculptum in edit. Virgilii Ambrogiana. Similis fere argumenti aliud est anaglyphum, quod ad ἀσκολιασμὸν refert Vir doctus in Diss. Acad. Cortonensis, Tom. I. diss. VIII. aliud vero manifeste expressum e Virgilio marmor XVI figuris, inter quas Æglé pingens Sileni faciem, visitur in Villa Pembrok. Wilton. Etsi nondum satis confido antiquitati horum monumentorum; vix enim artifices græci Virgilium edidicerunt.

EXCURSUS III.

DE C. CORNELIO GALLO SIMULQUE DE EUPHORIONIS CHILIASI.

Ecl. VI, 64—73 'Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum' &c., et Ecl. X, 2 'Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris, Carmina sunt dicenda.'

Est Gallus inter eos homines, qui aliorum potius laude, quam sua virtute, nomen ad posteritatem propagatum habent. Iterum nostra ætate multis de eo egere viri docti per Italiam, dum de ejus patria decertarent, aliis eum Forojuliensem, aliis Foroliviensem fuisse asserentibus. Priores partes tuetur doctiss. Fontanini in Hist. litt. Aquilei. I, 1, quem fere transcripsit Jo. Jos. Liruti (in Notizie delle Vite ed opere scritte da' Letterati del Friuli, Tom. I. pr.). At

Digitized by Google

pro Foroliviensibus, post Peregrinum Maserium, Sigism. Marchesium in Supplem. Hist. Foroliv. lib. I, p. 34, et Ge. Vivianum Marchesium in Vitis illustr. Foroliv. lib. II, cap. 5, p. 227 sqq., denuo pugnavit eruditiss. Morgagnus in Opusc. Miscell. p. III ep. 1 et 10. Add. Burm. ad Anthol. Lat. tom. I, p. 353. Adeo et hujus hominis exemplo proposito contemnere aliquis discat nominis famam et immortalitatem: in qua et ipsa casus et fortuna regnat.

Contigit tamen inter hæc, ut multa, quæ ad Galli res spectant, accuratius constituerentur. Contra vero nec minus alia virorum doctorum argutiis fuere impedita et obscurata, etiam in iis, quæ ad Virgilium spectant. De amica *Lycoride* disputatum est in Argum. Ecl. X. Ingenium Galli et facultatem poëticam pauca testantur fragmenta, quæ supersunt; astruunt autem eam veterum præconia, inque his Virgilii. Verum hic non tam ab Elegorum felicitate eum celebrat, quam ab alterius generis carmine: altero loco VI, 72 *Grynei nemoris originem* argumentum illius constituisse innuit: nam, cum Gallum summo honore a Musis acceptum narrasset Maro, Linum ait ei fistulam Hesiodi præbuisse, verbis adjectis: 'His [calamis] tibi Grynei nemoris dicatur origo: Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.' Altero loco Ecl. X, 50. 51 Gallus loquitur: 'Ibo,' ait, 'et Chalcidico quæ sunt mihi condita versu Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.' Gallus adeo 'versu Chalcidico carmina condiderat.' Euphorionis carmina respici, qui Chalcidensis ex Euboea fuit, satis convenit; ejusque necesse est aut transtulisse carmen aliquod in Romanum sermonem Gallum, aut liberiore calamo expressisse. Proclive est ad conjectandum, carmen de Apolline Gryneo ejusque oraculo fuisse illud ipsum carmen. Hactenus consentanea sunt, quæ apposui. Similia illis habet Servius ad Ecl. VI, 72 et X, 50.

Enimvero viri docti suspicione et opinatione adjecere alia; ex VI, 69. 70. ubi calamos ei dant Musæ, quos ante dederant Ascræo seni: ergo opus aliquod Euphorionis, quod Hesiodei carminis genere scriptum erat, respici. Jam

Digitized by Google

Euphorion Varroni et Columellæ inter scriptores rei rusticæ numeratur; ideo carmen illud nomine *Hesiodi* inscriptum fuisse visum est; et est ap. Suidam inter Euphorionis scripta Ἡσίοδος. Georgica fuisse illud censent. Verum cum argumento hoc parum conveniunt versus subjecti: 'His tibi Grynei nemoris dicatur origo,' &c. quid enim in tali carmine convenire potuit cum Georgicis? Videndum itaque est de his paulo diligentius.

Euphorion, Chalcide Eubœæ, ut dixi, oriundus, Antiochi M. regis Syriæ bibliothecæ præfectus, magna olim fama floruit. De eo post Meurs. ad Helladium (Opp. tom. VI), et Voss. de hist. Gr. I, 17, et de poët. Gr. c. 8 cum Casaub. ad Suet. Tib. 70, et Davis. ad Cic. de N. D. II, 64 egit Toupius in Epist. crit. p. 161, (Emendat. novæ edit. Tom. II, p. 601) et qui alia, quam in quæ is inciderat, attulit, Fontaninus in Hist. litt. Aquilei. p. 29 sqq. Desideratur tamen vel sic justa de eo commentatio. Laudantur ap. Steph. Byz. et Athen. Euphorionis Χιλιάδες. Est porro de eo Suidæ locus in Εὐφορίων, in quo ei tribuuntur opera: Ἡσίοδος, Μοψοπία ἢ Ἄτακτα. *Mopsopia* est idem atque Attica; nam antiquius nomen illud fuit ab Oceanide Mopsopia: καὶ ὁ λόγος τοῦ ποιήματος ἐκτείνεται εἰς τὴν Ἀττικήν (male adjectum in Suida χιλιάδα, jam deletum a Toupio, minus tamen bene mutatum in χιλιάδες.) Respexerat in eo opere eos qui deposito eum fraudaverant docueratque eos certam pœnam daturos esse perjurii. Inde deductus fuerat ad colligenda oracula, quæ per spatium mille annorum prodita erant, et eventus, quos illa habuerant. Hæc saltem inter se quodammodo conveniunt. At Suidas aut male exscripta aut interpolata subjicit: εἶτα συνάγει διὰ χιλίων ἐτῶν χρησμοὺς ἐκτελεσθέντας: *de oraculis per mille annorum decursum eventu probatis*, scilicet suo ut quodque tempore eventum habuerit, ut orsus forte esset librum inde ab Argonauticis. Secutus in hoc erat Euphorion exempla aliorum, qui χρησμοὺς collegerant: inter quos Philochorus fuit, Atthidos scriptor, ἐν τοῖς περὶ μαντικῆς Δ'. ap. Plutarch. de Pyth. Orac. p. 403 E. Sequitur in fine: εἰσὶ δὲ βιβλία ε'· ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη χιλιὰς

Digitized by Google

περὶ χρησμῶν, ὡς χιλίων ἐτῶν ἀποτελοῦνται: ultima male ab interpolatore accessere. Ceterum hæc viri docti ita accipiebant, ut opus illud in quinque Chiliades divisum putarent, quarum quinta περὶ χρησμῶν inscripta esset. At Toupius Χιλιάδας opus statuit diversum fuisse a Mopsopia: quintum librum περὶ χρησμῶν inscriptum fuisse. Si tamen mille hi anni *quinto libro* nomen χιλιάδος dedere: unde quæso quatuor ceteri libri hoc idem *chiliudum* nomen habuere? aut quale earum argumentum fuisse dicemus, quod a millenario numero quicquam traheret? Estne porro sermoni hoc consentaneum, Χιλιάδα appellari librum, in quo oracula exponuntur per mille annos ad eventum perducta? Saltem dicendum erat, *chiliadem annorum* nomen suppeditasse libro, ut χιλιὰς inscribi posset. Oraculum vero Locrorum, ut per mille annos placarent Minervam Iliensem, alienum est ab h. l. non enim illud de eventu agit post mille annos. Difficultatem adeo, quæ in his erat, non sustulit vir doctus, sed reliquit. Verba Suidæ adeo corrupta, et male luxata sunt, ut nihil tuto ex iis colligas, nisi forte hoc; si verum est, totum opus nomen Χιλιάδων habuisse, probabile fit, ita inscriptos esse libros quinque, propterea quod mille ἐπῶν erant, h. e. mille versibus singuli constabant. Nihil adeo est, quod impediat, idem opus fuisse Μοψοπίων et Ἄτακτα, et Χιλιάδας appellatum: sed liber quintus περὶ χρησμῶν, de oraculis, agebat. Attamen dubito an recte ponatur, omnes quinque libros Χιλιάδας inscriptos fuisse. Apud Stephan. Byz. et Athen. potuit scriptum esse ἐν Χιλιάδι, quo solus liber quintus, idem περὶ χρησμῶν inscriptus, et mille forte versibus constans, designatus fuit. Scripserat Suidas: εἶτα συνάγει διὰ χιλίων ἐπῶν (non ἐτῶν) χρησμοὺς ἀποτελεσθέντας, responsa et eventa. Ita recte subjecit ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη (pro τὸ πέμπτον) χιλιὰς ἢ περὶ Χρησμῶν.

Jam quod ad Gallum attinet, ex Ecl. x, 50 'Chalcidico quæ sunt mihi condita versu,' ut diximus, intelligitur, eum Euphorionem Chalcidensem seu latine reddidisse, seu quocumque modo ejus carmen saltem imitatione expressisse: prius tamen illud tradunt Grammatici. Quæritur nunc,

Digitized by Google

quodnam Euphorionis opus hoc fuerit. In vss. his 69 sqq. Ecl. VI, Gallus, Musarum jussu, a Lino traditam sibi accipit Hesiodi fistulam, qua *Grynei nemoris originem* canat. De oraculo hoc Apollinis fabulæ potuere esse plures; fuere quoque in iis multa de Mopso et Calchante (cf. Not. ad Ecl. VI, 72), potuit eas persequi Gallus carmine ad Euphorionis exemplum composito: potuit quoque esse Euphorionis liber de illo fano, cujus ad nos memoria nulla pervenit, quem Gallus latinis versibus reddidit; verisimilius tamen est, fuisse *particulam Chiliadis* περὶ χρησμῶν a Gallo latine conversam. Inter alia enim oracula etiam Grynei debuit memoratio fieri. Suspicari quoque aliquis possit, Mopsi nomen latere in voce corrupta *Μοψοπία*, et fuisse *Μόψου ἔπη*, aut *Μοψοέπειαν*. Inter hæc restat difficultas, quod non intelligi potest, quidnam in simili opera Galli ab Hesiodo mutuatum esse potuerit: nam *Hesiodea fistula* hæc canere dicitur. Nimis acutum esset si diceres, aliud Hesiodi opus respici non ἔργα καὶ ἡμέρας, forte τὰ ἔπη μαντικὰ, et *Μελαμποδίαν* olim ei tributam, quam Euphorion aut secutus erat aut expresserat. Verum simplicius res ita constituitur: idem Euphorion et *Ἡσίοδον* et *Χρησμοὺς* scripserat; prius illud habebat aliquid conjunctum cum vita pastorum et cantibus. Cum Gallus occupatus esset in altero *Χρησμῶν* opere, memorari poterat Linus tradere calamos Hesiodi Gallo, quibus uteretur in altero opere ejusdem poëtæ exprimendo.

Fontaninus l. c. miro acumine plura Galli carmina ex versibus Virgilianis exsculpsit: ex v. quidem 70 colligere vult, eum latinum fecisse Hesiodum Euphorionis, ex v. 73 eum vertisse latine Chiliadem, tum ex v. 74 scripsisse eum fabulam Scyllæ utriusque, quarum alteram superesse in Ciri Virgilio tribui solita contendit, et v. 77 fabulam Terei et Philomelæ. Hæc tamen ad Sileni carmen spectare, meliore interpretatione facile edoceri poterat vir doctissimus. Cirin Gallo vindicarant et alii, inter quos Gifanius. Vid. Procem. ad Cirin.

Ceterum Euphorionis, ut ceterorum Alexandrinorum poë-

Digitized by Google

tarum, magna fuit Romæ hac ætate existimatio: et inde interpretandos esse censeo *cantores Euphorionis* ap. Cic. Tusc. III, 19, non tanquam mollis alicujus poëtæ amatores: quæ interpretatio fundamento idoneo caret, cum ejus carmina amatoria nulla usquam commemorentur. At obscuritate eum, et quidem ex doctrinæ copia, non minus quam Callimachum ἐν Αἰτίοις et Lycophronem, laborasse, vel ex Cic. de Div. II, 64, et Clem. Strom. V, p. 676 notum est, etsi ob hanc eandem obscuritatem probaverat se Tiberio Cæsari. Vid. Suet. cap. 70.

EXCURSUS IV.

DE SCYLLA.

Ecl. VI, 74 'Scyllam Nisi, quam fama secuta est, Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis.' Æn. III, 424 'At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris, Ora exertantem et naves in saxa trahentem. Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo Pube tenus; postrema immani corpore pistrix, Delphinum caudas utero commissa luporum;' et 432 'Scyllam et cœruleis canibus resonantia saxa;' add. Ciris 58 sqq. 79 sq.

Multum absum ab eo consilio, ut fabulam de Scylla seu potius fabulas recoquere velim; nam magnus earum numerus fuit: vide vel Athen. VII, p. 297. et Cirin 55 sqq. nec omnino de Scyllæ forma laboro, verum de eo tantum, qua specie Maro Scyllæ speciem apud animum suum finxerit. Videri enim potest a se ipso dissidere, cum altero loco *canes marinas*, altero *lupos marinos* cum *delphinibus* commemoret, qui quomodo ex ejus alvo prodierint una omnes, haud facile dictu esse videtur.

Apud Homerum, a quo primum Scyllæ speciem declaratam habemus, mythum omnino simpliciorem et rei declaran-

Digitized by Google

dæ magis consentaneum videmus Od. *M*, 85—100. Scopulus est, cum antro, cujus fundo illa incubat; πόδες δυώδεκα πάντες ἄωροι (obscuro sensu) ei tribuuntur v. 89, saltem illa pedibus suis insistere nequit; itaque medio tantum corpore ex antro prominet et sex sua capita late exerit, ut piscetur, unde vivat, belluas marinas Δελφῖνάς τε κύνας τε, καὶ εἴποθι μεῖζον ἕλῃσι Κῆτος. Vox porro ejus est qualis catuli v. 86 τῆς ἤτοι φωνὴ μὲν, ὅση σκύλακος νεογιλῆς, Γίνεται.

Mutarunt itaque sequiores poëtæ fabulam, et *canum vocem piscationemque delphinorum et canum* ad speciem Scyllæ exornandam transtulerunt: ademtis capitibus sex. Pro his enim superne species est puellæ, quæ tamen inferius corpus monstrosum habet. Ovid. Met. XIII, 732 'Illa feris atram canibus succingitur alvum Virginis ora gerens.' Tibull. III, 4, 89 'Scyllave virgineam canibus succincta figuram.' Est adeo fabula hæc ex eo genere, in quo artificum ingenia pristinam monstri formam in jucundiorem mutarunt.

In his ac similibus nihil est, quod hæreas. Verum difficultatem facere potest ea species, qua in extrema corporis parte *delphines, lupi, et canes,* una commissi et conjuncti finguntur. In versu: 'postrema immani corpore pistrix Delphinum caudas utero commissa luporum' ambiguum est, utrum sit: pistrix, quæ commissas habet *delphinum caudas utero luporum,* an *luporum caudas delphinum utero.* Neutram speciem facile fingat sibi aliquis animo: inprimis si vulgarem Scyllæ formam in priscis monumentis reputet, in quibus ea in delphinum caudas desinit, canibus ex utero subtus prodeuntibus. Itaque tertiam aliquam rationem ingressus sum in Notis ad e. l., ut sit: *commissa caudas delphinum,* habens caudas delphinum commissas, conjunctas, cum *utero luporum,* luporum nteris s. corporibus, quæ inter binas delphinum caudas ex alvo prominent. Recte hæc se habent, modo ex pluribus Scyllæ formis eam teneas, quæ Virgilii animo insederat.

In antiquæ scilicet artis operibus non una Scyllæ forma occurrit; modo ea in delphinum binas caudas desinit; nihil amplius; modo intertextæ aut intermixtæ sunt canum protomæ; et hæc quidem est solennis forma, ut in ære maximo

Digitized by Google

Gordiani (Mus. Flor. tab. 73) et Pupieni (Max. mod. Numism. R. Gall. tab. 25) et simili modo Scylla remo sublato ictum intentans in denario Sext. Pompeii, v. c. Thes. Morell. Pompei. t. II, 1. Cf. Spanh. de V. et P. N. T. I, pag. 262; et adjunctis binis corporibus juvenum, per canum nexus implicitorum in Pict. Hercul. Tom. III, t. 21. et uno viro in gemma ap. Lippert. I, 1, 127. 128. et ap. Tassie pl. XXXI. Et cum his, maxime cum Sexti Pompeii numo, comparare malim poëtæ versus collato Silio V, 135. Est quoque in numis Contorniatis navis Ulyssis imminente et sociorum unum rapiente Scylla: de quibus v. Eckhel vol. VIII, p. 285. Est tamen tertia species, qua alvo adjunctæ sunt utrimque duæ canum protomæ in unam delphinis caudam coëuntes. Hanc speciem habet numisma Agrigentinorum a Principe Torremuzza (Opusc. di Autori Siciliani Tom. XIV, tab. VII, IV) editum, et in Siciliæ vet. Num. tab. V repetitum, ubi alterum canis alterum hydræ est, et jam ante, parum affabre, adumbratum a Pancratio l. c. nec multum abludit ara in Winckelm. Mon. ined. no. 37. exhibita in superiore editione in fronte Æn. III. Vol. II, p. 323. Plures Scyllæ species uno loco expressit Pancrazi Antichità Siciliane p. 4.

A poëtis fere canes memorantur, eæque veræ ac terrestres. Dubitari tamen vix potest, eos, qui primi fabulam commenti sunt, cum de monstro marino narrarent, belluas quoque marinas ei adjunxisse. Etiam Homerus l. l., ubi Scyllam exertis capitibus prædari ait circa scopulum aquatilia, Δελφῖνάς τε narrat κύνας τε, καὶ εἴποθι μείζον ἕλῃσι Κῆτος. Probabile itaque fit de phoca eum cogitasse: quam vitulum marinum jam veteres appellarunt, qui idem etiamnum modo *canis* modo *lupi marini* nomine venit; *phocam pusillam* Linn. eam haberi audio. Iconem et descriptionem vituli marini videas ap. Rondeletium de Piscibus marinis lib. XVI, c. 6. Majorem horum amphibiorum olim in mediterraneo mari frequentiam fuisse constat; ad fines Ægypti desertos notas eorum sedes novimus ex Odyss. Δ, ubi de Proteo agitur. Narrant nostris quoque temporibus canum marinorum circa promon-

Digitized by Google

torium Scyllæum ingentem conspici copiam; multo magis hoc ita se habuit antiquioribus temporibus, cum et thynnorum piscatio circa Scyllæum belluarum istarum opera exerceretur.[1] Duxere quoque viri docti nomen Scyllæ ab iisdem; est enim σκύλαξ, σκύλλος, σκύλλα.

Interea in artis priscæ operibus, non magis quam in poëtis, aliæ quam veræ canes expressæ esse videntur, saltem quantum ex eorum apographis assequi possum; unum est fragmentum in Marm. Oxon. P. I, CXXXII, in quo os canis propius fit ori bestiæ aquatilis. Lucretius V, 890 'rabidis canibus succinctas semimarinis Corporibus Scyllas' dixit: ibi tamen non canes sed Scyllæ sunt semimarinis corporibus: quas pro una Scylla semimarino corpore dixit, respectu caudæ. Lusere veteres artifices in forma belluarum e Scylla nascentium (v. c. Pictur. Herculan. Tom. III, pag. 109), modo in caudis, quæ in serpentes exeunt in Monumentis Etruscis. Novat quoque in Scyllæ forma Schol. Apollonii IV, 825. dum ei canes prodire ait ex lateribus et pectore. In Cod. Vatic. Virgilii ad lib. VI Æneidis in Inferis Scylla picta est hippocampo similis. In ipso illo numo Agrigentinorum, quem paulo ante memoravi, alterum caput canis an lupi, alterum hydræ est.

NOTA.

[1] Cf. Strabo lib. I, p. 43 sq. e Polybio: qui tamen *canes* de alio piscium genere accepit: τοὺς γαλεώτας, οὺς καὶ ξιφίας καὶ κύνας λέγεσθαί φασι. Etiam Oppian. Halieut. V, 365. 376 *canes* et *phocas* distinguit.

Digitized by Google

EXCURSUS AD GEORGICON LIB. I.

I.

DE ARATRO VIRGILIANO.

Georg. I, 169 sqq. 'Continuo in sylvis magna vi flexa domatur In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri: Huic a stirpe pedes temo protentus in octo; Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso. Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus, Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos.' Exposui locum quantum potui pro sermonis ratione; etsi rei agrariæ peritia non satis instructus. Admodum itaque lætabar, cum post illa a me scripta viderem virum doctum, rei agrariæ peritum, eumque perspicacissimum, *de aratro veterum* accurate agere (Betrachtungen teutschen Patrioten heilig III Band 1780, p. 283 sqq.); repetiit eadem fere in Actis Acad. Elect. Mogunt. 1779, p. 125 sqq. Proponam ex eo, quæ ad Virgilium spectant, acute utique et ingeniose disputata. De ceteris dispiciet bonus Hesiodi editor, si quis ejus carmini aliquando obtigerit.

Primo versus: 'Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus Stivæ, quæ currus a tergo torqueat imos:' e Martini judicio constituit; eosque bono sensu carere pronuntiat, nisi *cursus* emendetur cum viro docto apud Martinum. Enimvero sic Maro latine dicere non potuit: quod sensus quemque suus docere potest, si sermonis usum habeat. At *currum* pro *aratro rotis instructo* dicere per poëtici sermonis indolem et usum licuit; eum, h. e. aratrum, regit, *a tergo torquet* arator; *imi currus* epitheto ornante dicti sunt non minus poëtice, quatenus vomere alte impresso inferior aratri pars desuper ab eo, qui stivam moderatur, flectitur ac regitur; exit itaque, modo genium poëtici sermonis teneas, e Virgiliana lectione sententia eadem, quam viri docti inferre volunt per lectionem corruptam. Negat vir doctus aratrum rotis instructum jam tum innotuisse. Atqui notum illud fuisse hic ipse locus docere debebat. Quod a Catone et Varrone

Digitized by Google

illud non commemoratum est, pro argumento idoneo esse nequit: cum neuter id agat, ut instrumentorum rusticorum formam curiose describat. Fac vero utrumque id egisse, quod non egit: potuit secundum illos, Virgilii ætate, in agro Mantuano, aliud usu haberi. Innotuere post arma a Julio Cæsare in Gallias illata alia quoque a Gallis inventa; ut certa vehiculorum genera, carrucæ et sic porro; coli cœpit in Alpibus secale (Plin. XVIII, 16, 4) Romanis ignotum. Occurrunt alia in Virgilio Italiæ superioris agris propria ac singularia. Plinii verba lib. XVIII, 48 a me laudata omnem facile dubitationem tollerent, si lectio in eo esset minus incerta. *Dentalia*, h. e. dentale, ἔλυμα, bene vir doctus, quem laudavi, docet accipiendum esse de vomeris parte anteriore *(Pflugkopf)*, in acumen acta: hoc dentale *duplici* esse *dorso*, h. e. binis cruribus in formam litteræ V *(Sohlhölzern)* aptatum; *binas aures* tandem, tabellas a Varrone I, 29, 2 memoratas, vomeri additas *(das Streichbret und Molterbret)*, et utrique cruri ita impactas, ut impresso in solum vomere terra proscissa utrimque accumulata in sulcos attollatur. *Buris* est temo, ἱστοβοεύς: scil. proprie pars ejus infima, ut jam Salmas. in Solin. p. 576 docuit. Inspicienda et cognoscenda sunt reliqua; etiam de aratro Hesiodeo; nisi quod malim eum simpliciter apposuisse, qualem ejus formam ac speciem apud animum effingeret, nec de epochis mutationum inter Ægyptios, Græcos, et Romanos tam multa esse ariolatum, quæ ad liquidum perduci nequeunt. Quod enim nostro tempore fieri videmus, non minus olim locum habuit, ut in diversis populis ac regionibus, seu more majorum seu soli natura aliave necessitate urgente, diversa esset aratri forma, retineretur que deterior multis in locis, cum in aliis dudum inventa et frequentata esset melior et elaboratior. Evolvat, cui talia curæ sunt, Paullum Lucam Voyages Tom. I, p. 182. Norden Voyage en Egypte Tom. I, pl. 56. Add. Goguet Orig. des Loix T. I, p. 184 sqq. Sunt antiquæ artis opera, in quibus aratrum visitur: vix tamen notionem accuratam inde consequi licet: Comes de Caylus Recueil d'Antiquités Tom. V, pl. 82. Museum Etruscum Tom. I,

Digitized by Google

tab. extr. Spon. Miscell. p. 308. IX. Winckelm. Monum. ined. p. 105. Gemmæ aratrum, obscure tamen, referentes sunt Mus. Flor. Tom. II, tab. 42. Gorlæi Dactylioth. Tom. ii, n. 231. Aratrum, quod in Hesiodi edd. ex ant. codd. exhibetur, et in Montfauc. Palæogr. gr. p. 9 repetitum est, serioris seu commenti seu usus esse patet; nam ab Hesiodo ascriptum nemo dixerit. Formam aratri, quo nunc Mantuani ac Veneti agricolæ utuntur, una cum alio exquisitioris structuræ, Martyn exprimi curavit ad p. 48. Verum neutra forma cum Virgilianis verbis satis convenit. Videbatur sibi Anglus, A. I. des Carrieres (a Dissertation on Virgil's description of the ancient Roman Plough, 1788) veram aratri Virgiliani formam reperisse in pondere Romano. Verum qui inspexerit, statim deprehendet mirum errorem: est enim as Romanus cum prora ratis, quam ille pro aratro habuit. (Innotuit mihi inter eos, qui ab eo inde tempore de his egere, Adamus Dickson Husbandry of the Ancients Edinb. 1788. c. XVIII, p. 375 sqq. qui omnino ad carmen Georgicorum consuli potest. Verum ille, etsi verborum interpres parum idoneus, ipsas res illustrat, præceptorumque veritatem et utilitatem explorat; atqui hæc ad interpretis poëtæ provinciam haud spectant. Non sine fructu inspexeris ad h. l. Vossii v. c. Commentar. in Georgica.)

EXCURSUS II.*

AD LOCUM DE PROGNOSTICIS SERENÆ TEMPESTATIS EX PLUVIALI.

Georg. I, 393 'Nec minus ex imbri Soles et aperta serena Prospicere et certis poteris cognoscere signis. Nam neque tum stellis acies obtusa videtur; Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna; Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri: Non tepidum ad Solem pennas in littore pandunt Dilectæ Thetidi halcyones; non ore solutos Immundi meminere sues jactare maniplos: At nebulæ magis ima petunt,' etc.

Digitized by Google

Hæsi in his interpretandis, et me in iis hærere ingenue sum professus. Spectare enim ad boni interpretis et critici officia, censeo, ea loca, quæ non satis assequitur, non intacta relinquere, aliisque fraudem facere, quasi sensus per se sit satis apertus, sed lectorem de iis diligentius etiam, quam de aliis, monere. Inspectis aliis interpretibus, nec aliud quid, quam quod ipse tenueram, afferri, difficultates autem interpretationis multos ne sensisse quidem vidi. Senserat eam forte is qui apud Gellium VII, 17 de notione vocis *obnoxius* h. l. quærebat. Scilicet sumitur, quod primo statim aspectu occurrit, inde a 395 præsagia serenitatis memorari. Atqui ea, quæ memorantur, non conveniunt huic consilio; immo vero repugnant. Sensus enim vss. 395—400 hic esse perhibetur: stellarum et lunæ clara ac pura lux est: (quæ tamen sententia grammatice ex verbis erui nequit, ut statim videbimus): *non* nubeculæ lanis similes per cœlum feruntur (atqui hæ adesse deberent, quippe quæ sunt sereni cœli nuntii): *non* halcyones alas ad Solem expandunt (atqui, si hoc inter præsagia serenitatis est, alas debebant expandere, cum cœli serenitas instet): *non* sues jactant frugum manipulos (an vero per omne tempus pluvium id faciunt sues, nec nisi sereno cœlo hoc facere omittunt?) Hæc tam parum inter se conveniunt, ut vix assequaris, quomodo poëta tam acutus jungere ea inter se potuerit. De posterioribus nihil vidi monitum; hæsit disputatio tantum in prioribus, 'Nam neque tum stellis acies obtusa videtur:' quod potest bene ita accipi: aciem stellarum nunc non amplius videri esse obtusam; adeoque eam esse claram, et stellas enitescere; id quod fit dispulsis nubibus et cœli serenitate reducta. At enim alter versus: 'nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,' nullo modo, nec grammatice, nec sensus paritate convenit. Antiqua junctura tradita est a Servio, ut repetatur *obtusa*. Ita erit: 'nec Luna, fratris radiis obnoxia,' quæ lucem mutuatur a sole, 'videtur surgere obtusa:' contra vero videtur oriri clara. Recte. At enim primo *videtur* alio modo nunc accipitur quam superiore versu, ubi erat pro *cernitur*, nunc autem est δοκεῖ, et alio modo construitur, cum infinito. Si

Digitized by Google

tamen missum id facias, grammatice non potest *obtusa* repeti sic nude; antecesserat: 'neque videtur acies stellis obtusa,' debet adeo sequi: 'neque videtur acies obtusa Lunæ,' casu tertio; τῇ Σελήνῃ; non autem: 'nec Luna videtur surgere obtusa.'

Aggressus eram cum viris doctis locum interpretatione altera: *et Luna videtur surgere* (cernitur surgens) *oriri, non obnoxia fratris radiis,* Soli; quasi esset: ita ut non sit obnoxia, non videatur esse obnoxia; ut sensus esset: Luna tam clara et pura luce oritur, lucet, ut non Soli debere lucem, sed propria luce lucere videatur. At quæ tandem argutiæ hæ sunt! an Luna clariorem lucem habitura esset, si propria luce luceret? unde hoc suspicari licet? an non a Sole lucem fœneratur satis claram ac puram, modo justum tempus redierit? Venerat in mentem, sententias melius sibi constare, si vs. 396. pro *Nec fratris,* legeretur *Et,* ascita altera lectione meliore *videri,* hoc modo: 'Nam neque tum stellis acies obtusa videri, Et fratris radiis obnoxia surgere Luna:' infinitivo historico, ut sit: nam *et* stellarum acies tum, si serenitas redditur, cernitur *non* obtusa, *et* surgit, oritur, in conspectum venit, Luna, quæ ex natura sua est obnoxia fratris radiis. Lapsus in disjunctivis similis observatus est et aliis in locis; et legitur quoque *Et fratris* apud Schol. Statii Theb. x, 146.

Placebam mihi in his. Mox tamen vidi reliqua, quæ sequuntur, non magis sic esse apposita et accommodata sensui poëtæ. Negantur enim ea, quæ serenitatis prognostica esse debebant: 'Tenuia nec — Non tepidum — non ore s.' Ita tandem perspexi a toto poëtæ consilio aberrari per istam interpretationem; et latere fraudem in eo, quod animadversum haud erat, poëtam primo rem declarare negative, dum docet, abesse ea, quæ instantem tempestatem nuntiare possint et soleant; tum vs. 401 subjicit ea, quæ vere iis tum successerint: 'At nebulæ magis ima petunt.' Quod et Plinius habet XVIII, s. 83 'nebulæ e montibus descendentes, aut cœlo cadentes, vel in vallibus sidentes, serenitatem promittunt.'

Digitized by Google

Itaque in vss. 395—400 negative poëta exponit sententiam suam, et successuram cœli serenitatem ominatur primo ex absentia eorum, quæ imbres impendentes et tempus pluviosum denuntiare possint. Sunt autem hæc ista: stellarum acies obtusa, luna latens, nubes tanquam gregales, (ἀγεληδὸν) per aërem actæ, halcyones ex sensu instantis pluviæ expandentes alas, sues eruentes frugum manipulos. Omnia hæc nunc non cerni ait, nunc abesse. Contra vero vs. 401 nubes descendunt in terras, aëre tenuato, et demittunt se in valles, et sic porro. Nunc enim affirmative præsagia serenitatis instantis enumerat. Sententiarum veritas in his elucescit, et totam loci interpretationem nunc in Notis sic refinxi.

Ita vero versus, ad quem omnis bona interpretatio offendebat, verum suum sensum facile recuperat: 'nec fratris radiis obnoxia surgere Luna;' vere enim sensus est, et esse debet: nec Luna lucet. Enimvero, quomodo hoc cum ceteris conveniat, tandem ex loco Arati assecutus sum, quem poëta expressit: scilicet Aratus Diosem. 281 sq. ingruentis tempestatis signum apponit hoc: quando stellæ obscurantur, *nulla apparente causa*, nec nubibus obductis, nec caligine alia, *nec Luna subeunte*, quæ scilicet luce sua obscurare eas posset; itaque et in Marone: stellarum lux non est obtusa, nec tamen Luna oritur, lucet, quæ luce sua eas obscurare possit. In his nihil est, quod nos moretur. Apponam versus Arati:

ἦμος δ' ἀστερόθεν καθαρὸν φάος ἀμβλύνηται,
οὐδέ ποθεν νεφέλαι πεπιεσμέναι ἀντιόωσιν,
οὐδέ ποθεν ζόφος ἄλλος ὑποτρέχῃ οὐδὲ σελήνη,
ἀλλὰ τάγ' ἐξαπίνης αὖτως ἀμενηνὰ φέρωνται·
μηκέτι τοι τόδε σῆμα γαληναίης ἐπικείσθω,
ἀλλ' ἐπὶ χεῖμα δόκευε —

'Cum autem,' ait Aratus, 'stellarum clarus fulgor hebetatur *(stellis acies obtusa videtur)* neque tamen alicunde nubes coactæ iis se prætexant, *neque aliunde* caligo alia *subeat, neque Luna;* sed astra extemplo nulla de causa languida ferantur: non amplius tibi hoc signum serenitatis habeatur,

Digitized by Google

sed expecta tempestatem.' (ἀστεροῦθεν est vera lectio; non οὐρανόθεν. ἐπικείσθω potest a calculo ductum esse, ut ἐπιτιθέναι apponere in numero, annumerare; nisi fuit ὑποκείσθω, *ne habetor*) Clarius rem exponit Schol. vetus: ὅταν ἴδῃς ἐν καθαρῷ ἀέρι αἰφνιδίως ἀμβλυνομένους ἀστέρας, μήτε νέφους, μήτε ἄλλης τινὸς ἀχλύος ἐπισκιαζούσης, 'μήτε σελήνης ἐπιπροσθούσης' χειμῶνα προσδόκα· δηλοῖ δὲ, ὅτι ἡμῖν ἀνεπαίσθητος ὁ ἀὴρ παχυμερὴς γινόμενος τοῦτο ποιεῖ. Γίνεται δὲ τοῦτο αὐχμοῦ ἐπιπροσθοῦντος τοῖς ἄστροις, καὶ τὸ λαμπρὸν αὐτῶν ἀμβλύνοντος, τὸ οὖν 'οὐδὲ σελήνη' προσέθηκεν, ἐπειδὴ ἡ σελήνη σκέπει τῷ ἰδίῳ φωτὶ καὶ ἀμαυροῖ τοὺς ἀστέρας.—Ita, puto, omnis difficultas est sublata, omnis caligo dispulsa. Respicit hunc ipsum locum, *Luna* tamen haud memorata, Plin. XVIII, 35 s. 80 'Cum repente stellarum fulgor obscuratur, et id neque nubilo, neque caligine: pluvia aut graves denuntiantur tempestates.' Ceterum infinitivum *videri* pro vera lectione me habere jam professus sum.

EXCURSUS AD GEORGICON LIB. IV.

I.

DE PLEIADE PISCEM FUGIENTE.

Georg. IV, 232 'Taygete simul os terris ostendit honestum Plias, et Oceani spretos pede repulit amnes: Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi Tristior hybernas cœlo descendit in undas.' De Pleiadum ortu et occasu agi, manifestum fit, declaratumque id satis est in Notis ad h. v. Altera tamen pars vix satis expediri posse interpretatione ulla videbatur: hærebamque in eo ipse, quatenus Pleias occidere dici posset, 'fugiens sidus Piscis aquosi.' Etenim in hoc æstuabant Intpp., quale hoc sidus sit, et qua ratione Pleias illud fugere dicatur. Neque enim, sive per grammaticas sive per astrono-

Digitized by Google

micas rationes, Servii *Piscis Australis*, nec *Pisces*, nec *Scorpius*, nec *Hydra* hic memorari possunt; ut nec *Delphinus*, qui pr. Nonas Januarii exoriebatur ex Cæsaris ratione, v. Plin. XVIII, 26, s. 64, quem adeo nec fugere Pleias videri potest. Nisi forte *Piscis* in *Pristis* mutetur, quo nomine Cetum veteres astronomi appellant; possunt ita Pleiades quadam ratione ejus rictum hiantem videri effugere; uti Orionem fugiunt in eo, quem laudavit Guellius et cum nostro comparavit, loco Quinti Smyrn. Paralip. v, 367 sq. *Πληϊὰς εὖτ' ἀκάμαντος ἐς Ὠκεανοῖο ῥέεθρα Δύσθ' ὑποκτώσσουσα περικλυτὸν Ὠρίωνα.* Fuit vir doctus, qui ita succurrere volebat, ut distingueret: 'Aut eadem, sidus fugiens ubi Piscis aquosi (scil. est, ibi) Tristior hybernas descendit in undas:' quod vix reperiet, cui se satis probet. Petitus de LL. Attic. p. 390 (Jurisprud. Rom. et Att. T. III, p. 483) *Sidus* Solem interpretatur, quod satis recte fieri posse, non negem; hunc Vergiliæ fugiunt, cum aversam ab illo et contrariam instituunt viam. Sole enim e mari emergente, illæ in mare descendunt. Hactenus bene. Sed tum jungit *undas piscis aquosi*, ut pro mari dictæ sint; hoc vero nullo modo fieri potest, aut certe jejunissime fieret. Itaque adhærendum forte Petavii judicio Auctar. Op. de Doctr. Temp. p. II, 9, et in Var. Diss. ad Uranolog. lib. II, p. 95, *esse locum* hunc de piscibus *inextricabilem*. Subjiciam, quæ mihi amicissimus Kæstnerus, hoc de loco consultus, rescripsit. Viri in his litteris principis judicium quis non lubentissime accipiat![1]

Ex astronomicis itaque rationibus nullam plane loci in-

NOTA.

[1] '*Mit dem Fische ist nichts anzufangen. Das übrige würde ich so verstehen:*

Vor etwa 1800 *Iahren standen die Plejaden im* 4 *Grade* ♉. *Wenn Sie einem Globo die Alexandrinische Polhöhe von* 31 *Grad geben, von welcher* Henischius in Sphær. Procli p. 207 *Virgils Beschreibung nicht hier, sondern* Ge. I, 219 At si triticeam messem etc. *annimmt, und den* 4 *Gr. des* ♉ *etwas über den Morgenhorizont führen: so werden Sie sehen, dass das Ende des* ♉ *etwa unter dem Horizonte ist, und die* ☉ *also darinnen stehen muss, wenn die Plejaden kurz vor ihr aufgehen sollen; die Iahrizeit dazu ist der May, und der Aufgang*

Digitized by Google

terpretationem procedere omnes fatentur. Enimvero re diligentius perpensa, male hoc ipsum fieri vidi, quod rationes nostras astronomicas intulere viri docti. Ex poëticis rationibus lux interpretationi petenda erat. Solenne est poëtis, etiam iis, qui de astronomicis præcipiunt, ut in describendis sideribus tabulas sui temporis cœlestes et asterismos in iis notatos sequantur, formasque et figuras pictas ita exprimant, quasi eæ in cœlo vere conspiciantur, scilicet ut ornatum versibus suis ex earum varietate petant. Est porro poëtis commune, ut *fugere* et *sequi se*, *aspicere* vel *respicere*, dicantur sidera, non semper ortus et occasus, successionis et motus respectu, nec alia de causa, quam quod in tabula cœlesti talis eorum positus occurrit, ut aut ex adverso sibi collocata, aut quocumque modo opposita vel subjecta sint. Sic apud Manilium I, 263. 264 'Aurato princeps Aries in vellere surgens Respicit admirans aversum surgere Taurum.' Præivit statim Homerus in noto versu Iliad. Σ, 488, et Odyss. E, 274, dum Ursam dicit verti circa polum, et Orionem despicere et observare: καὶ Ὠρίωνα δοκεύει· atqui is longe ab ea abest, Ursæ tamen ex adverso positus. Ita centies Aratus siderum situm designat, simulque ornatum ex natura animantis vel figuræ, quæ signum facit, petit; ita Orion in-

NOTA.

der Plejaden, den Virgil hier meynt, geschieht kurz vor der Sonne: Ortus matutinus. *Führen Sie aber eben den 4 Gr.* ♉ *in den Abendhorizont: so steht gegen über im Morgenhorizonte das Ende der* ♎, *wo sich die* ☉ *etwa im October befindet, und Virgil meynt vermuthlich, dass alsdenn die Plejaden mit Anbruche des Tages untergehen, wenn die* ☉ *ihnen gegen über aufgeht.*

Ich glaube, Sie werden finden, dass man den Bienen in Italien das Honig im May und October genommen hat.

Die Fische in der Ekliptik gehen allemahl vor *den Plejaden unter, auch der Wallfisch; fliehen also die Plejaden; nicht die Plejaden sie. Der Delphin ist noch nicht aufgegangen, wenn die Plejaden untergehen. Also weise ich diess nicht zu erklären.*

Ich habe viel Bücher darüber nachgeschlagen, diese Stelle aber nicht berührt gefunden, als beym Ricciolius Almag. nov. T. I, Lib. VI, c. 22, p. 473, *vom Fische aber hat er gar nichts, und sagt, Virgil habe* ortum matutinum et occasum vespertinum *verstanden. Das erste ist mit mir einerley; das letze hiesse, die Plejaden sollten kurz nach der Sonne untergehen, da müsste die Sonne etwa im Zeichen der* ♓ *stehen, und das gäbe für die Zeit des Honignehmens etwa den März:* hybernæ undæ *lassen das nicht zu.'*

Digitized by Google

sequitur Leporem; at Sirius fertur insequenti similis, φέρεται μετιόντι ἐοικώς, Καί οἱ ἐπαντέλλει, καί μιν κατιόντα διώκει. v. 340 sq. cf. v. 28 sq. 316 sq. Sunt alia innumera exempla apud Manilium, ut in uno loco lib. II, 485 sq., ubi inter alia Taurus 'fulgentes videt atque audit per sidera Pisces.' conf. II, 466. 519. 456. lib. I extr. Alia exempla ex Ovidio notare licet. Jam cum apud Virgilium Pleiades dicuntur occidentes *fugere Piscem*, seu Pisces, hoc ad situm siderum in sphæra unice spectat; nam aversum Taurum, adeoque Tauri caput cum Pleiadibus, subsequitur alter Piscium. Simili modo Pleiades occidentes fugere Orionem dicuntur apud Hesiod. Ἔ. 619 Εὖτ' ἂν Πληϊάδες, σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος Φεύγουσαι, πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον, et ap. Quint. Smyrn. v, 367. 368 Πληϊὰς εὖτ' ἀκάμαντος ἐς Ὠκεανοῖο ῥέεθρα Δύεθ' ὑποπτώσσουσα περικλυτὸν Ὠρίωνα. Ciris 535 'Scorpius alternis clarum fugit Oriona.' Hygin. Astron. II, 26. itaque 'constitutum ut, cum Scorpius oriatur, Orion occidat.' Eadem hæc siderum facies habitus ac situs tot fabulis locum fecit, ut v. c. huic ipsi Orioni. cf. Schol. Apollonii III, 226. Restat difficultas in epitheto *aquosus*, quod nimis tenue videri potest, si est pro aquatilis. Enimvero *aquosus* est aquas, imbres, cogens, denuntians: ut 'aquosus Orion' Æn. IV, 52. 'Aries aquosus' Ovid. Met. X, 165. 'Eurus aquosus' Horat. Epod. 16, 54. 'Pliades aquosæ' Stat. IV, 120 imbriferæ. Quid quod etiam 'hyems aquosa' Ecl. X, 66. Æn. IX, 671, 'nubes aquosæ' Æn. VIII, 429. Et jam Ζέφυρος ἔφυδρος Odyss. Ξ, 458. 'Piscem aquosum' et hoc loco Ovidius petiit: Met. X, 165 'quotiesque repellit Ver hyemem Piscique Aries succedit aquoso.' Ceterum *simul* et *ubi* sibi respondent, pro, quando.

EXCURSUS II.

DE NYMPHARUM DOMO ET PENEI REGIA.

Georg. IV, 317 'Pastor Aristæus fugiens Peneia Tempe— Tristis ad extremi sacrum caput astitit amnis'—321 'Ma-

Digitized by Google

ter, quæ gurgitis hujus Ima tenes'—333 'At mater sonitum thalamo sub fluminis alti Sensit'—359 'simul alta jubet discedere late Flumina, qua juvenis gressus inferret. At illum Curvata in montis faciem circumstetit unda, Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem. Jamque domum mirans genetricis, et humida regna, Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes, Ibat, et, ingenti motu stupefactus aquarum, Omnia sub magna labentia flumina terra Spectabat diversa locis—Et caput,' &c. Nondum locum vidi alium, qui cum hoc comparari possit, et nova ac mira est rerum facies, quam *ex hoc ipso loco* apud animum adumbrare necesse est; somnia autem, quæ veteres pro suo quisque ingenio de Oceano terram ambiente multis modis effinxerunt, in unum colligere, et ex iis novum aliud iterum fabulari, cui alius aliud ex alio substituat, etsi sagacis ingenii laudem habere potest, non est tamen interpretari. Narrat poëta vastam aliquam sub terra cavernam, e qua omnia flumina orta diversis viis ad terræ superficiem properent, ubi illa suo quodque fonte ex terra prodeant. Adumbrata fere res ad eam speciem, qua in locis Inferis posita narrantur ea, quæ supra terram sunt, ut luci, flumina: v. c. Ovid. Met. I, 189. Valer. Flacc. III, 402 sqq., aut quemadmodum Styx et Acheron ex inferis emergunt et supra terram sese effundunt. Comparari potest priscum illud philosophema de magna in terræ visceribus abysso et aquarum receptaculo: de quo secundum antiquiores Plato disputavit in Phædone Tom. I, p. 112 (Bipont. p. 258 sq.) et contra eum Aristoteles Meteorolog. II, 2, p. 779, B. C. du Vall., cui inniti puto narrationem ap. Senec. Nat. Qu. V, 15 ex Asclepiodoto: 'demissos a Philippo in metallum antiquum olim destitutum—longa via fatigatos, vidisse flumina ingentia et conceptus aquarum inertium vastos pares nostris—liberæ laxitatis, non sine horrore visos.' Fundum autem mythi aut fecit aut illustrare rem potest Oceanus ap. Homerum vss. sup. ad 381, laud. *βαθυῤῥείταο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο, Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα, Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.*

Digitized by Google

Cavernæ hujus immensæ sub terra, facies à poëta adumbrata videtur esse hæc: ut sint in ea passim speluncæ inque iis lacus inclusi magnæque sylvæ, per quas flumina subter terram ex lacubus profluant; ut adeo hi lacus sub terra pro fontibus sint, unde illi ortum habeant, donec aliquantum progressi supra terram emicent fonte unumquodque suo: 'Jamque domum mirans' sqq. 363 sqq. Qua vi, quo motu, flumina ita in altum ferantur, ex imo terrarum fundo assurgant, et, quomodo ex uno loco omnes amnes prodire possint, ut doceret, a poëta expectari non poterat; a physico hoc postulares jure.

Jam Caverna hæc pro regia aliqua fluviorum et aquarum non male haberi poterat. Si poëta Oceani regiam eo modo adumbrasset: nihil puto foret quod mirationem faceret. Talis Neptuni regia passim describitur; Iliad. *N*, 21. Conf. Ovid. Met. I, 276 sq., in hac Nereidum Chori apud Eurip. Troad. pr. Nerei domus in mari Ægæo apud Apollon. IV, 772. et Iliad. *A*, 358. item Thetidis et Eurynomes Iliad. *Σ*, 402 ubi Vulcanus latuerat. At Maro obscuravit commentum illud poëticum inflexa rerum specie, dum Penei fluminis regiam ad eundem modum adumbravit, quo Oceani vel Nerei, aut forte Acheloi, amnium antiquissimi, describi potuisset. Nam per se Flumini Deo domus seu regia recte tribuebatur: et in ipso Peneo hoc ex poëtarum usu executus est Ovid. Met. I, 568 sq.: 'Est nemus Hæmoniæ etc.—Hæc domus, hæc sedes, hæc sunt penetralia magni Amnis; in hoc residens, facto de cautibus antro, Undis jura dabat Nymphisque colentibus undas. Conveniunt illic popularia flumina primum, Mox amnes alii.'

Ut ad certam aliquam rerum speciem, quæ quidem animis nostris informari possit, hæc revocem; ex toto mihi loco hæc constitui posse videntur: Fingamus ingentem illam Cavernam late subterranea loca occupare; esse veram Oceani regiam, seu regnum vastissimum. Ut super terra multi sunt terrarum tractus, diversi fines imperiorum, sic in isto subterraneo aquarum regno quaquaversus sunt ingentia aquarum receptacula in marium modum, speluncas dixit, e qui-

Digitized by Google

bus diversis locis capita ac fontes fluviorum procedunt, aliquantum inter sylvas flumina sub terra cursu facto emergunt et amnium fontes supra terram constituunt. Ex magno hoc magnorum fluminum numero erat quoque Peneus. Fingamus juvenem per fontem demissum in immensum illud aquarum regnum subterraneum, deductum esse in eam partem, eam cavernam, quæ pro fonte, adeoque pro regia Penei, esset; puta esse magnum aliquod specus, quale illud Nympharum in aditu Ithacæ apud Homerum. Specus hoc pro *thalamo* Cyrenes; 'thalami pendentia pumice tecta' v. 374: reliqua e vita heroum ac Deorum sunt petita: assident ei Nymphæ opus facientes 334 sq., assident *vitreis sedilibus* 350. Pervenitur ad illud Penei specus descensu ad magnam illam Cavernam facto, qualem descensum præbere adeo necesse est omnes fluviorum fontes ex specubus prodire solitos. Itaque et Aristæus cum matrem Cyrenen adire vellet, ad fontem Penei accessit: 'Tristis ad extremi sacrum caput astitit amnis.' Illa, etsi interiora terræ, specum ac partem magnæ istius Cavernæ, quo loco Penei patris erat domus, inhabitabat, recte tamen sub fonte Penei degere dici poterat: 'quæ gurgitis hujus Ima tenes;' et, 'mater sonitum thalamo sub fluminis alti Sensit.' Tum 'ante alias Arethusa sorores Prospiciens, summa flavum caput extulit unda' 351. 352, adeoque per fontem prospexit. Quo modo hoc fieri potuerit: recte non attigit poëta: ad sensum enim satis commode res expediri nequit. Nunc mater filium jubet descendere: haud dubie per fontem Penei, dum aquas discedere et viam ei parare edicit: 'simul alta jubet discedere late Flumina, qua juvenis gressus inferret:' 359. 360. Nunc traditur modus: aquæ fontis Penei in media sui parte repressæ assurgunt in montis excavati speciem, et tanquam viam, in arcus speciem factam, præbent: 'Curvata in montis faciem circumstetit unda, Accepitque sinu vasto misitque sub amnem:' 361. 362. Tum ille in magnam illam Cavernam, de qua paulo ante dictum, unde fluminum exordia et fontes procedunt, pervenit et in matris *domum* seu *thalamum* adducitur: 363 sq. Cumulantur hæc in vss. 363 sqq. miratur domum

Digitized by Google

'genetricis et humida regna, Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes—Omnia sub magna labentia flumina terra Spectabat diversa locis,' tanquam in magno regno diversas provincias, regiones, tractus, per cavernarum vastitates patentes; et inter has puta fuisse cavernam illam, quam tenebat Peneus.

EXCURSUS AD ÆNEIDOS LIB. I.

I.*

DE MINISTERIO DEORUM, INPRIMIS JUNONIS, IN ÆNEIDE.

I, 8. 'Vi Superum, sævæ memorem Junonis ob iram.' Cum omnino exordium hoc multo cum judicio et verbis significantibus elaboratum sit: quippe quod omnia, quæ in actione hac epica potiora sunt, complectatur; quo ipso Virgilius Homeri simplicitatem arte superavit, qui hoc unum narrare se velle profitetur, quomodo ob simultatem, quæ inter Achillem et Agamemnonem intercesserat, magna Achivorum strages facta sit; tum hic versus statim ab initio expectationem facit ministerii Deorum, inprimisque pericula et labores ex odiis Junonis minatur; discrimina enim, quæ quis a Diis objecta adit, tanto graviora esse probabile fit, facitque adeo ea res ad notionem magnitudinis. Cum de re ipsa alio jam loco actum sit universe (Disquis. I, de Carm. epico s. VII. s. IX), agedum exponamus uno loco, quomodo Virgilius in toto carminis sui tenore invento hoc usus sit. Intelligemus scilicet, verum esse quod illo loco dictum est, valde diversam illam rationem esse ab ea, quam Homerus secutus est; hic enim afflatu divino abreptus omnia cum fide narrat, tanquam is qui sibi persuasit, ea ita gesta esse; in Marone vero studium fingendi ea, quæ aliis persuadere cupiat, subtile acumen, et mira sagacitas in rebus Romanis cum Trojanis consociandis eminet.

Digitized by Google

Primo quidem Juno, cum jam alias satis graves irarum in Trojanos causas haberet (lib. I, 27—32), nunc multo majore eos odio persequitur, quod Carthagini suæ metuit; quandoquidem resciverat, ex Trojanis populum exoriturum esse, a quo aliquando Carthago delenda esset (I, 16—27). Illa igitur, ut ab Italia, destinata Æneæ a fatis sede, Trojanos arceret, nihil intentatum relinquit. Etiam tum, cum a Sicilia solverant, tempestate Æoli ope mota eos a cursu in Italiam dejicit; ita Carthaginiensium littori admotæ, tempestate a Neptuno sedata, ad littus illud, una amissa, naves Trojanæ appellunt I, 162 sq.; Neptuni autem opera ad Æolum coërcendum satis erat accommodata.

Parandum nunc erat inter barbaros tutum Trojanis hospitium (I, 227), nec minus Junonis Pœnis studentis consilia metuebat Venus (IV, 96. 97): Exoratus a Venere Jupiter mittit Mercurium: is Didonem propitiam in advenas reddit Pœnosque placat (I, 301—308). In sermonibus inter Jovem et Venerem habitis (V. 233 sq.) multa præclare exponuntur, quæ Romanos ad carmen legendum advertere possent: A Trojanis orituros esse Romanos terrarum dominos (238—241); fata Æneæ in Italia; Ascanii regnum; Alba condita; Romæ origines; Junonis odia olim placanda; Græcia a Romanis subacta; Julius Cæsar Diis ascribendus; Pax terrarum orbi reddita ab Augusto (262—300).

Interea Æneam novas terras explorantem mater Nymphæ speciem mentita occurrens edocet, in quæ loca venerit, ejus animum firmat (309—421), et nube septum tuto in mediam urbem deducit. Eadem, ut Didonem penitus devinciret Æneæ, amore eam incendit (661—726). Juno cum sua consilia ad perdendos Trojanos elusa videt, id saltem machinatur, ut Æneas cum Didone conjugio junctus Carthagine sedem figat; ita enim fore, ut fatis ei destinatum imperium in Africam transferatur (IV, 102—106). Venus fraudem subodorata saltem conjugium paciscitur (127—129); ita enim Æneam tanto tutiorem ab insidiis fore videt. At Jupiter, quem Iarbæ Mauri, qui Didonem sibi in matri-

Digitized by Google

monium petierat, precibus motum poëta narrat (196—218), mandatis Mercurio datis Æneæ denuntiat, ut Carthagine decedat (v. 220 sqq.). Etiam in his Jovis mandatis iterum memorantur fatis datæ Æneæ in Italia sedes, posteris ejus terrarum imperium et primo loco Ascanii regnum (229—236).

Postquam Æneas Africa relicta iterum Siciliam appulerat, ut discessu ex insula et aditu Italiæ eum intercluderet, novam fraudem molitur Juno; Iride missa et in anum Beroën mutata mulieres Trojanas hortatur, ut classem incendant (v, 608 sqq.). Parte tamen Trojanorum Segestæ relicta, naves, quæ supererant, conscendit Æneas et cursum in Italiam absolvit; ut tuta esset navigatio, Venus Neptunum exorat (779—824).

Escensu ad ostia Tiberis ab oriente in littus facto et animis portento mensarum comesarum firmatis castra ponunt, et ad Latinum regem legatos mittunt VII, 1 sqq. Qui et ipse, multis portentis et vaticiniis jam ante de exterorum adventu edoctus, non modo hospitium et societatem regni, verum et conjugium filiæ Laviniæ pollicetur (VII, 1—285). Tum Juno (VII, 286 sqq.), cum fata se retexere posse desperat, id saltem meditatur, ut rerum eventus differat: idque bello adversus Trojanos moto (313—322). Belli hujus semina hunc in modum a Junone jacta, ut Alecto, Furiarum una, missa, Amatam, Laviniæ matrem, quæ filiæ matrimonium Turno pacta erat (341—403), tum Turnum ipsum, ira et furore inflammaret (408—457), Latinos quoque in Trojanos exasperaret, Ascanio venanti objecta cerva sacra, quam ille vulnerat (475—502), tum Tyrrhei filio in tumultu agrestium cæso (531—539). Ita bellum conflatur. Jani portas ipsa Juno reserat (620—623).

Æneam de novis rerum casibus solicitum Tiberis Deus confirmat per somnum, portentumque suis cum XXX porcellis paulo post occursurum edocet, utque, Pallanteum profectus, Evandrum cum Arcadibus in societatem belli asciscat, hortatur (VIII, 1—80): Objicitur portentum suis, quam Æneas Junoni mactat, ejusque iras deprecatur (81—

Digitized by Google

89. 59—61). Tum Venus arma ipsi a Vulcano fabricanda petit (VIII, 370—453), mox demissa illa cœlo 523—540, 608—ad f.).

Interea dum Æneas apud Evandrum et Etruscos auxilia conquirit, Turnus castra Trojanorum oppugnat. Facit illud Junonis monitu, missa ad eum Iride (IX pr.). In hac castrorum oppugnatione, ut Ascanius e pugnæ discrimine subduceretur, Apollo in Butæ speciem mutatus a pugnando eum absterret (638—663). Turnus, postquam per portam patentem in castra irruperat, Trojanos perterritos fugat, Junone ipsi favente; donec Jovis jussu ab Iride avocatur (802 sqq.). Omitto Cybeles interventum in classe Æneæ servanda, navibus in Nymphas mutatis (IX, 69—122, X, 219—250).

Concilio Deorum facto, Jupiter dissidia moventes objurgat: differre saltem odia in illud tempus jubet, quo Carthago et Roma concursuræ sint (X, pr.). Venus de injuriis et periculis Æneæ creatis conquesta, ut saltem Ascanius incolumis discedat, precatur; satius alioqui fuisse, ut Trojæ fatum commune experti essent pater et filius (X, 18—62.) Juno refellit Venerem et Turnum defendit (62—99). Tandem Jupiter neutri parti se studere, sed fatis totam rem committere velle significat (100—115). Interspersa sunt alia nonnulla: Lausum et Pallantem congredi vetat Jupiter (X, 436), Mezentium ad pugnam instigat (X, 689), inde Tarchonem (XI, 725). Venus monstrat herbam, qua Æneæ vulnus sanatur (XII, 111). Graviora sunt, quod Turno adest Juturna nympha soror (X, 439. XII, 139). Æneæ adventu Trojani tandem castris erumpunt, et copias utrimque jungunt; belli itaque tota mole in Turnum conversa, Juno a Jove precibus consequitur, ut eum pugna subducere liceat (X, 606—688).

Tandem, rerum summa ad pugnam inter Turnum et Æneam deducta, Juno, ne ipsa nec pactioni nec pugnæ intersit, discedit, Juturnam hortatur, ut fratri, quacumque possit ratione, succurrat (XII, 134—160), [1] quod illa variis

[1] Ad novissima hæc cf. Exc. II ad Lib. XII.

Digitized by Google

modis frustra facere tentat (468 sqq. 623 sq. 784 sq.). Novissimo enim certamine congrediuntur Turnus et Æneas. Nunc Jupiter, ut illam placaret, accurate cum ea agit, ejusque precibus hoc tribuit, ut, Trojanorum nomine abolito, Latinorum nomen obtineat, sermone quoque Latino servato, Trojano extincto; oriundos ex mixta hac gente Romanos pietate in ipsam Junonem insignes fore (791—841). Inde Jupiter omen instantis Turno mortis mittit bubonem: quo viso, Juturna, desperata fratris salute, discedit (843—886). Si hoc modo rerum momenta ponderantur: Deorum interventum haud dubie magnam vim et utilitatem ad res epica cum gravitate expediendas habere apparet.

EXCURSUS I.†

12. 'Musa, mihi causas memora, quo numine læso, Quidve dolens regina Deum tot volvere casus Insignem pietate virum, tot adire labores Impulerit; tantæne animis cœlestibus iræ!' Sententia est expedita; hæremus tamen in ipso exordio tam splendidi carminis, poëtæ castigatissimi, in enuntiatione, quæ nec satis elaborata nec epica gravitate satis digna esse videtur. Causas quærit poëta e Musa, cur Æneas tot malis et laboribus objectus fuerit. Repetuntur illæ, antiquitatis heroicæ sensu, *a Deorum ira*. Jam poterat quæri aut omnino, *cujus numinis* ira ea fuisset, aut, si de numine constabat, *quid* ejus iram provocasset.

Jam primum ambigua est in poëta oratio, tum laborare videtur junctura, quæ est admodum molesta et ingrata. Musa, *memora, quo numine læso*, quo Deo læso, debebat sequi: *vir pietate insignis impulsus fuerit volvere tot casus, etc.* Sequitur tamen alterum: *quidve dolens regina Deum tot volvere casus virum impulerit*. Recessit itaque poëta a priore junctura, et transiit ad aliam; quod exemplo haud carere

Digitized by Google

memini: in exordio tamen factum miror. Porro non bene quæri potuisse a poëta videtur: *quodnam illud numen fuerit;* cum *de Junone* satis constaret; nec ex Musis id quærendum erat, nam ipse statim subjicit *Junonem;* latebant tantum causæ iræ Junonis, *quas mox a Musa compertas poëta varie exponit.* Videtur ita tota sententia *ad unam Junonem* revocanda esse. Tum autem molestiam faciunt verba: 'quo numine læso, quidve dolens regina Deum virum—Impulerit;' si enim *numen* diversum ab ipsa est: non videtur probabile esse, eam *alterius Dei* injurias ulcisci voluisse. Dicas, exemplo id Jovis facere eam posse, qui in Palladis gratiam Ajacem Oilei ultus est inf. 47. Verum non constat de numine aliquo, cujus causam Juno susceperit; suas illa iras, sua odia exercuit. Sin *Junonis numen* est: quo tandem sensu potest quæri: 'quo numine læso?' Suntne ejus *numina plura?* ut quæri possit, *quod ejus numen læsum fuerit?* et, si quæratur, quam jejunum hoc est in poëta, et in carminis exordio! Placuit tamen hoc jam veteribus apud Servium; sequitur hoc Cerda cum aliis, ornatque Burmannus. Scilicet, cum *numen* sit voluntas, tum potestas ac majestas Dei, (unde tandem pro ipso Deo ejusque natura, aut nomine ac titulo ponitur) potentiæ autem partes esse possint, divitiarum, regnorum, conjugiorum, partus, cui illa præerat, aiunt quæri: *qua parte ejus potentiæ læsa?* quod jejunum et vapidum esse, dices. *Uni* quidem *Deo plura numina inesse,* nec usu nec ratione mihi quidem liquet. Si poëtæ de *uno* Deo *numina* memorant, id fit poëtica ratione, ut pluralis pro singulari ponatur. Addam: occurrere in poëtis notiones *numinis* alias; poni pro *religione* numinis, pro sacris, porro pro *monitis* numinis, jussis, vaticiniis, consiliis. Verum his significatibus nec *quo* nec *læso* convenit. *Lædi* numen dicitur violata ejus majestate, adeoque ad iram et ultionem illud provocari; frequentatur inprimis de perjurio, ut apud Horat. 'Cum tu magnorum numen læsura Deorum In verba jurabas mea.' Sic Tibullus aliquoties et alii; et de sacrilegio inf. II, 183. 'pro numine læso.'

Restat, ut accipiamus *numen Junonis læsum* multis rebus

Digitized by Google

ac causis; quærique adeo, cum satis constaret, læsum esse, qua in re læsum fuerit; *quo*, qua in re, *numine læso*. Hoc quam ingratum, et pedestri orationi propius, sit, sentio equidem; non tamen videntur sensisse viri docti. Nam et Servius hoc apposuit primo loco: (' *quo*, in quo, in qua causa; et est septimus casus, et communis elocutio; dicimus enim: *quo te læsi*.' Recte sane, vix tamen bene duplici ablativo.) et Heinsius, Jo. Frid. Gronovio Obss. IV, 9 laudato auctore, probavit; subjicit tamen ' posse et simpliciter capi, ut infra 674 ' ne quo se numine mutet.'' quæ quomodo cum his conveniant non video. Nam ibi est potestas Dei in fraudem versa: ne quo dolo, qua fraude alicujus Dei, ejus mens mutetur.

Post hæc omnia dixeris, cum nulla satis commoda ratio interpretandi suppetat, de corruptela esse cogitandum. Videtur tamen illa in exordio tam noti ac celebrati carminis vix locum habere; aliter se res haberet in carmine in uno vel altero libro lacero servato; tum vero nondum vidi, nec ipse exputare possum, emendationem satis probabilem. Venit statim in mentem: casus rectos, *dolens* et *regina*, requirere *læsa;* verum quid est: *quo numine læsa Juno?* estne, ipsa a quo numine læsa? an redibimus ad molestam interpretationem: *quo numine*, qua suæ majestatis parte? Incidere proclive est in alterum, *quo nomine læsa*, qua causa, qua re, qua de re. In hoc Catrœus, Heumannus, jam olim Scioppius inciderat in *Paradoxis litterariis* (sub *Pascasii Grosippi* nomine Mediolani 1628. vulgatis) ubi p. 24 recte exagitat Servii rationes, tum legere suadet: *quo nomine læsa* (non *numine*, quod ad h. l. Virgilii Heinsius ascripsit) laudatis locis Suetonii in Galba c. 16. ' Subinde jactavit, legere se militem, non emere consuevisse: Atque *eo* quidem *nomine* omnes qui ubique erant milites exacerbavit,' illo scilicet nomine læsi, ea causa exacerbati fuere milites, quod ita jactasset. Serv. Sulpicius apud Ciceronem IV ad Div. 5. ' Quid est, quod tu, aut filia tua, cum fortuna *hoc nomine* queri possitis?' Ipse quoque Cicero de Fin. II, 7. ' qui cum luxuriose viverent, a summo philosopho non re-

Digitized by Google

prehenderentur *eo nomine.*' Quærere ergo poëtam, ait Scioppius, 'quo nomine exacerbata, quo Æneæ facto læsa, quidve graviter ferens Juno Æneæ tam addita infestaque fuerit: in quo periculum non est, ne per tautologiam aliter atque aliter rem eandem extulisse verbis indicetur:—sed profecto aliud *lædi* est, aliud *dolere.* Nam et usu venire potest, ut doleat, qui læsus non sit, et rursum, quem quis læserit, æquo sit animo, nec quicquam ea in re moneatur.' Præclara critica, nec esse video, quod in ea moneatur, nisi quod *forma orationis pedestris* in poëtam infertur. Possis substituere magis poëticum, *quo crimine,* ut apud Lucan. VII, 847. 'quo tanto crimine, tellus, Læsisti Superos?' aut *quo vulnere læsa:* ut mox: Juno 'æternum servans sub pectore vulnus,' et Ovid. Met. IV, 720. 'vulnere læsa gravi:' enimvero et nimis ea recedunt a scriptura, nec satisfaciunt judicio morosiori. Restat igitur ut locum referamus in numerum eorum, quæ mutaturus, si licuisset, erat poëta.

EXCURSUS I. * *

PALLAS FULMEN JACULANS.

I, 46. 'Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem, Disjecitque rates evertitque æquora ventis; Illum, exspirantem transfixo pectore flammas, Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.' De Diis fulmen jaculantibus cum multa argutatus esset Servius cum aliis, viri docti diligenter commentati sunt; ita ut nunc inter notas res illud sit. Videndi de his Cuper. Harpocr. p. 100. Burmannus in Jove Fulguratore c. 15. et Winckelmann. Monum. ant. ined. To. II. c. 2. Res in gemmis obvia. Multo tamen magis celebrata est Pallas fulminatrix in numis, maxime Domitiani Imp. Occurrit etiam in græcis, ut Antigoni Gonatæ, Agathoclis Syrac. et

Digitized by Google

in ipsis Syracusarum numis. Est quoque Palladis caput cum fulmine in numo æreo Locrorum apud Magnan. Pellerin. et Eckhel Doctrina numor. T. I. P. II. p. 191. Alio modo in numis Atheniensium noctua cum fulmine cernitur. Nec minus alii Dii cum fulminibus occurrunt, ut vel ex Lexico numism. Raschii cognoscas T. II. P. I. p. 1199.

Ajacis Oilei f. interitus est inter narrationes non uno modo a poëtis ornatas. Sunt inprimis duæ, altera epicorum, altera tragicorum. Præiverat Homerus Odyss. *Δ*, 499 sq. Ajacem is Neptuni ope jam Gyris admotum in eo fuisse narrat, ut incolumis enataret in petras, cum ejus superbis dictis (φῇ ῥ' ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης) Neptunus irritatus tridente rupem percussit ipsumque cum rupis parte, quam manu prehenderat, præcipitem mari submersit: (qui sequuntur duo versus 509. 510 ab interpolatore, forte rhapsodo, profecti sunt.) Copiosius hæc exposuit Quintus XIV, 547 sqq. (ubi et ipse turbat narrata 579—586 ita ut eum versus adulterinos modo memoratos in suo legisse appareat, nam cum jam una cum rupe apprehensa in mare præceps ruisset, aliam rupem Neptunus in eum devolvit. Ad Homeri mentem fabula exposita erat a Callimacho ἐν Αἰτίοις, ut discimus e Schol. Il. *N*, 66. et ad eundem Homeri ductum adumbratus erat Ajacis infaustus casus in tabula apud Philostrat. Imagg. II, 13. nescio an eodem modo Apollodori *Ajax fulmine incensus*, quem Pergami spectari ait Plinius XXXV, 9. s. 36, 1. In priscorum operum reliquiis nullum Ajacis vestigium vidi memoratum, præterquam *Ajacem petra descendentem* (non in rupem enixum) in gemma Stoschiana ap. Winckelmann. Mon. ined. no. 142. Idem tamen argumentum in aliis gemmis ad Martem descendentem ad Rheam Sylviam referri memini. Ajacem, nudum galeatum, cum clypeo et gladio irruenti similem, in Locrorum Opuntiorum numis occurrere putant viri docti; in aliis fulmen et Palladis caput ad eum spectare. Cf. Eckhel v. i. Doctrina numor. Vol. I. P. II. p. 192.

Est altera ratio, qua præcipuæ in ulciscendo Ajace par-

Digitized by Google

tes Minervæ tribuuntur. Conjunctas eas cum Neptuni opera fuisse jam ex Odyss. loco laud. Δ, 502 tenemus. Ubi Ajax est ἐχθόμενος Ἀθήνῃ. In eadem Γ, 135. fœda tempestate immissa Minervam ira concitam classem Achivorum Troja redeuntium dispersisse narrat poëta: τῷ σφέων πολέες κακὸν οἶτον ἐπέσπον Μήνιος ἐξ ὀλοῆς Γλαυκώπιδος ὀβριμοπάτρης. Similia sunt Od. Ε, 108. 9. Causam iræ Minervæ subjecerant Cyclici, raptam in excidio Trojæ Cassandram: de qua nuper præclare egit Böttger Vir doctissimus. Pro primo famæ hujus auctore haberi potest Arctinus in Ilii excidio; quod ex Procli fragmento sæpe laudato intelligere licet: ubi Ajax Κασσάνδραν πρὸς βίαν ἀποσπῶν, συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον. Petita mox ab eo pœna sacrilegii ad Minervæ aram confugit Ajax et servatur; tum discedunt Græci, καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται. Exposita adeo in isto carmine videtur fuisse ratio, qua Minerva Ajacem ulta est: scilicet quod illa ipsa fulmen seu arripuit, seu a Jove obtinuit, quo Ajacem trajecit et scopulo affixit. Hoc secuti sunt Tragici. Certe Hyginus fab. 116. quem argumentum Ναυπλίου πυρκαΐως Sophoclis exponere suspicari licet: 'in qua,' inquit, 'tempestate Ajax Locrus fulmine est a Minerva ictus; quem fluctus ad saxa illiserunt; unde Ajacis petræ sunt dictæ:' scilicet quæ vulgo sunt Gyræ seu Gyrææ petræ. (Eadem, sed Neptuno ascito, in Agamemnone Senecæ 528 sq. tragico tumore sunt narrata.) Patet adeo ex his, Virgilium Tragicos etiam in Ajace esse secutum. Tzetza Antehom. 300 sq. Ajacem in discrimen adductum ait, quia odio Ulyssis reliquerat classem; dilucidat hoc Philostratus Heroic. 8. narrans, Agamemnonem insidiatum Ajaci, cui Cassandram eripuerat, falso crimine opprimere voluisse eum, quem injuria a se affectum sibi irasci norat.

Digitized by Google

EXCURSUS I.

DE INSULA ÆOLIA.

I, 55. 56. 'Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris, Æoliam,' in insulam Æoliam, 'venit' Æneas, h. e. unam ex Æoliis, quas et Vulcanias et Liparæas appellant. Unam *Æoliam* memorat Virgilius Homeri exemplo Odyss. *K*, pr. ad quem obscura de his locis fama pervenerat. Cum plures et nunc sint et olim fuerint: septem veteres nominant: quænam ex iis Æoli sedes ac regia fuerit, nec Homerus declaravit, nec Virgilius. In Strongylen tamen (nunc Stromboli) consensisse videtur antiquitas: Strab. VI, p. 424 *B. Στρογγύλη—ἐνταῦθα δὲ τὸν Αἴολον οἰκῆσαι φασίν.* Add. Plin. III, 9 s. 14. Hieram autem (Volcano nunc dictam) Vulcano plerique assignant; alii Liparam: v. ad Æn. VIII, 416. Variasse in his veteres mirum non est, cum ipsa illa natura, a qua ductæ fabulæ sunt, pluribus insulis communis sit, sive flammarum erumpentium, sive ventorum subterraneorum fremitum cogites: uti præter Strabonem, principem auctorem de his insulis VI p. 422 sq., aliosque veteres a Cerda ad h. l. Apollonii Schol. IV, 761. III, 41. Spanh. ad Callim. in Dian. 47. Cluver. in Sicilia. lib. II, c. 14 laudatos, e recentioribus inprimis Houel (Voyage pittoresque de Sicile, de Malte et de Lipari To. I, c. XI), Strongyles prospectum ediderat Illustr. Hamiltonus in Campis Phlegræis (To. II, pl. 37.) Videndus de hac insula quoque Ætna v. 431 sqq. Ut autem veteres ventorum et Æoli, qui eos regeret, sedem has insulas, seu unam ex illis, facerent, naturalis haud dubie eos adduxit habitus; sive antra, quæ ex antiquioribus ignibus supererant, ventis subterraneis pervia, seu quod observatum erat, ex fremitus diversa ratione, flammæque, fuliginis et efflationis, prænosci posse ventos surgentes; etiam, quis tertio post die spiraturus sit ventus:

Digitized by Google

vid. Strabon. VI, p. 423 C sq. (276.) Plinius l. c. 'Strongyle in qua regnavit Æolus; quæ a Lipara liquidiore flamma tantum differt; e cujus fumo, quinam flaturi sint venti, in triduum prædicere incolæ traduntur; unde ventos Æolo paruisse existimatum.' Æoli autem mythum alio modo ornavit Homerus, cum Anni vertentis symbola in eum transtulit Odyss. K, 1, quo toto loco comparato intelliges, Æolum Virgilii plus dignitatis habere, etiam in hoc, quod *utres*, quibus venti includuntur, absunt; qui sane in Homericis fabulis locum suum tuentur, in Virgilio autem absurde positi fuissent. Comparato tamen Quint. Cal. loco XIV, 474 sqq. intelligere mihi videor, præivisse Virgilio ex cyclicis poëtis aliquem, qui tempestatem in Græcorum classem, Ajacis Oilei f. ulciscendi causa, excitatam simili modo descripserat. Nam Quintus loco Virgiliano multa habet consentanea. Virgilium in hac fabula expressit Valer. Fl. I, 576 sqq. sic ut facile imitatorem intelligas; brevius narrationem exequitur Silius IX, 491 sqq. Apollonii exemplo IV, 777.

EXCURSUS II.

NYMPHÆ JUNONIS COMITES.

I, 71. 'Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.' Habet igitur etiam Juno suas Nymphas, non modo Diana. Memorantur earum nomina ap. Pompon. Sab. ad h. l. Sed ne fallare, exscripta ea esse teneas ex Georg. IV, 336 sqq., ubi Nereides Clymenes comites enumerantur. Locus autem Virgilii expressus ex Iliad. Ξ, 267 sqq., ubi tamen Juno Somno promittit Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων. Charites enim Junoni adsunt antiqua religione. Ita ap. Pausan. II, 17. Sed fingunt poëtæ nonnulla præter religiones. Sic Statius Palladi non minus quam Dianæ comites dat Theb. II, 239. Alioquin Horæ Junoni adsunt, quas ad quatuor anni tem-

Digitized by Google

pora revocat Quintus Cal. x, 336 sqq. In Homero multa sunt, quæ minus displicent. *Somno* conjugem promitti, magis est consentaneum, quam Æolo, XII jam ex uxore filios habenti v. Odyss. *K*, pr., cui ideo nec v. 74 aliquid præclari admodum promittitur, pulchra eum prole parentem futurum. Dicendum tamen, Virgilium hac in parte fabulæ ab Homero recessisse, Æolumque nondum uxori junctum posuisse. In 78. 79 voluit poëta Homericis verbis ex l. l. Iliad. *Ξ*, uti; ibi v. 269 Somno promittitur Pasithea ἧς αἰὲν ἐέλδεαι ἤματα πάντα, 'cujus amore tu flagras ab omni inde tempore,' cujus amore jamdudum teneris (vide 276, cf. Odyss. *E*, 210, 219): quæ multo melior est muneris commendatio. Sed Virgilius, nisi in diversam sententiam versus Homericos deflexit, ita accepisse videtur, 'quam tu semper amabis,' ἐέλδεαι pro futuro tempore; quod et ipsum accommodatum est prisco usui loquendi. Vide v. c. Hymn. in Venerem v. 149, et Odyss. *Z*, 281 ἕξει δέ μιν ἤματα πάντα. Unde apparet, vetere ævo omnino hanc fuisse formulam designandi conjugii.

EXCURSUS III.

I, 89. 'Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus.' Aquilonem cum his non memorari miror equidem. Nam quod Seneca Nat. Qu. v, 16, ubi h. l. excitat, *Una*, inquit, *Eurusque Notusque—Africus, et*, qui locum in illa rixa non habuit, *Aquilo*, verum non est; nisi tantum hoc dicere voluit, omissum esse Aquilonem a poëta. Nam ad classem Æneæ, quæ a Siciliæ littore occidentali evecta cursum ad Italiam tenebat, versus Africæ littora rejiciendam, Aquilonis sane, aut alterius venti ex vicino cardine, partes esse debuere præcipuæ. Sed eum omissum tanto magis mireris, quandoquidem in loco Homeri, quem verbis expressit, Odyss. *E*, 295, ubi Ulysses ex Calypsus insula redux gravi

Digitized by Google

tempestate opprimitur, cum ceteris ventis Βορέης αἰθρηγενέτης memoratus sit. Et in altero loco Odyss. *I*, 80. 81, ubi Ulysses, qui ultra Maleas provehi non poterat, versus Libyæ littus, ad Lotophagorum insulam, Meningem esse putant, rejicitur, Borea vento, (et quo alio vento fieri id potuisset?) id factum memoratur. Similiter de Argonautis apud Apollonium IV, 1231, quos ex Ionio mari in Syrtes tempestas impingit, καὶ τότ' ἀναρπάγδην ὁλοὴ βορέαο θύελλα Μεσσηγὺς πέλαγός τε Λιβυστικὸν—φέρ'. Habuit autem et hunc ipsum locum ante oculos Virgilius, ut e pluribus vestigiis intelligas. Dicendum itaque, poëtam ventos promiscue h. l. posuisse, nec ad subtiliorem aliquam rationem; in una saltem procella ipsum Aquilonem nominat inf. v. 106. Porro aliam difficultatem in h. l. movere videri potest Seneca l. l., ubi, recitatis his versibus, in unam tempestatem omnes ventos congregari posse negat: res scilicet ita ad libramentum rediret, et Aquilonem reprimeret Auster, et sic porro. Poëtarum usu defendit nostrum poëtam Cerda cf. inf. II, 417, et alterius Senecæ imitationem Agamemn. 473—476 habes. Enimvero cogitandum est de subitis ventorum conversionibus, ac procellarum ab omnibus plagis circumagentium se vicissitudine. Naturam rei clare expressit Hom. Odyss. *E*, 331. 332: Navem ἀμπέλαγος ἄνεμοι φέρον ἔνθα καὶ ἔνθα, Ἄλλοτε μέν τε Νότος βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι· Ἄλλοτε δ' αὖτ' Εὖρος Ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν. Ceterum in Senecæ N. Q. loc. laud. vereor ne verba: 'quod fieri nullo modo potest,' ab alio assuta sint.

EXCURSUS IV.

ARÆ IN MARI EX ADVERSO CARTHAGINIS.

I, 112—116. 'Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, Aras: Dorsum immane mari summo. Tres Eurus ab alto In brevia et syrtes urget, miserabile visu.' Aut *Itali*, Ro-

Digitized by Google

mani, omnino quæcumque saxa, omnes scopulos, medio in mari *aras* vocant, quemadmodum *ara* omnem crepidinem et eminentiam veteri sermone designabat. Notus locus Scalig. Auson. Lect. II, 22. At sic frigidissima esset oratio. Aut de certo aliquo loco agitur. Erant autem ex adverso Carthaginis, CCXXX ab urbe stadiis, inter Apollinis et Mercurii promontoria (cf. inf. Exc. VI ad v. 163) duæ insulæ seu verius scopuli, sæpius pro una insula habiti, nunc Afris Zowa-moore, in geographicis tabulis Zimbra, vitiose in Gallicis libris, les Isles des Imbes, dicta, (de qua v. Shaw Travels p. 146) olim Ægimorus vel Ægimurus insula. Plin. V, 7 'Contra Carthaginis sinum duæ Ægimori Aræ, scopuli verius quam insulæ, inter Siciliam maxime et Sardiniam' (Compara Liv. XXX, 24). 'Auctores sunt, et has quondam habitatas subsedisse;' ut adeo sub mari laterent ('saxa malignis submersa vadis' Statius diceret I Theb. 373). Varro ap. Serv. ad h. l. 'verentur in pelago latentem insulam, quem locum vocant Aras.' Eas *Neptunias* fuisse vocatas idem Servius e Claudio Quadrigario docet, at Sisenna *propitias* appellaverat. Jam *Aræ* possunt dictæ videri, quia scopuli sunt super aquam eminentes. At Servius: 'quod ibi Afri et Romani fœdus inierunt et fines imperii sui illic esse voluerunt.' Inducias quidem in ea insula ruptas sub finem belli Punici secundi Livius l. l. memorat; non pacem ibi factam. Et fines imperii in pacis conditionibus apud Polyb. III, 22 sqq. aliter constituuntur. Sed, qui istum Servianis assuit pannum, *Ægates* insulas, Lilybæo Siciliæ oppositas, ad quas victi a C. Lutatio Catulo Pœni bello Punico primo finem fecerunt, cum Ægimuro confudit. Quod et a Pomponio Sabino factum video. Alia lacinia in Servianis docet, in his saxis, quæ insulæ submersæ olim reliquiæ essent, Pœnorum sacerdotes rem divinam facere solitos.

Hactenus de vocis *Aræ* interpretatione: nunc de toto versu, quem solent laudare docti viri, tanquam doctrinæ, quæ in poëta fuit, argumentum. Recte quidem. Sed quis poëtam ferat in medio rerum æstu, cum omnia tempestate

Digitized by Google

magna turbata sunt, cum omnia mortem intentant, grammaticam aliquam subtilitatem alienissimo loco interserentem? Sensisse hoc frigus jam alios non dubito; et eundem sensum se habere privatis aliquando ad me litteris significabat Artium inter populares nostros sospitator, Hagedornius. Cum autem vix probabile sit, hoc sensu vacasse poëtam elegantissimi ingenii, Maronem: suspicioni locus est, totum versum a mala manu esse illatum.

Sed alia difficultas occurrit in locorum ac ventorum descriptione. Tres naves *Notus* in *Aras* abripit; atqui ad eas *Aquilo* ferre debebat naves a Sicilia in altum evectas. Verum et hic *Notum* temere pro quocumque vento ponere potuit; ut Æn. v, 2 Æneas ex Africa versus Italiam tendens 'fluctus Aquilone secabat.' Potuit etiam classis jam tum ad occidentales vel Australes Ararum partes delata esse, unde Notus in Aras propelleret. Paulo post v. 114 Eurus tres alias naves 'in brevia et syrtes' agit. Jam vulgo omnes, quotquot vidi, interpretes Syrtes proprie ita dictas (de quibus v. Sallust. Jug. 78) intelligunt. Enimvero, ut taceam, ab occidentali Siciliæ littore provectos Eurum non potuisse ad has partes abripere; huic enim dubitationi eodem, quo paulo ante usi sumus, modo occurri potest; omni, quantum video, geographicæ rationi hoc repugnat, ut tam ingenti marium spatio ad Syrtem minorem, multo magis ut ad majorem, delata Trojanorum classis pars fuerit, cum altera pars Aris, h. e. insulis Carthagini obversis, adhæsisset. Porro tempestate sedata jactatæ naves v. 162 *proxima littora* petere dicuntur; et appellunt sane illæ ad Carthaginense littus. At quantum littoris hoc esset intervallum inter Carthaginem et Syrtim minorem! nam major multo etiam longius remota. Quo efficitur, ut, nisi poëta dormitavit (quod fere est, ut verearis, si cf. v, 192. VII, 302. VI, 60 cum v, 51. IV, 41), Syrtes saltem appellative de arenosis locis quibuscumque accipiamus; quem in modum Syrtin illam, in quam ἐκπεσεῖν timet navis Paullum vecta Act. Ap. XXVII, 17, de loco aliquo arenoso circa Clauden insulam, non de magnis Syrtibus, accipiendam putamus. Fuisse

Digitized by Google

igitur in ea maris parte, circa Aras seu Ægimuri insulas, loca arenosa credendum est, in quæ pars navium Trojanarum incidit.

EXCURSUS V.

NEPTUNUS GRAVITER COMMOTUS IDEMQUE PLACIDUS.

I, 129—133. 'Interea magno misceri murmure pontum Emissamque hyemem sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis: *graviter commotus* et alto Prospiciens summa *placidum caput* extulit unda.' Hic *graviter commotus*, ira, et *caput placidum* habere videntur primo obtutu, quod sibi repugnet. Observarunt jam alii, et nuper Ill. Homius in Element. Critic. Nec tamen defuere jam olim qui defenderent. Sed Grammaticorum veterum levissima est ratio, ut alterum ad Æolum, alterum respectu Æneæ, dictum sit. Artificum autem, quibus animi motus in Deorum ore ita sunt exprimendi, ne placida numinis majestas inde minuatur, exemplo et ratione, ad quam Spencius provocat, tueri poëtam nolim. Nam diversa est in his poëtices et plastices ratio atque indoles. Plastes enim vel pictor iram etiam placidi vultus exprimere potest; et in Neptuni ore iram ita pingi posse, ut placidi vultus vestigia non modo maneant, verum etiam ipsam iram temperent et mitigent, nemo dubitat. Verum poëta, cum *graviter commotum* et *placidum* sigillatim unum post alterum ponit, diversis animi sensum ac contrariarum rerum imaginibus impellit, adeoque alterum altero subeunte jugulat. Dixeris, *nunc* esse *placidum*, cum antea fuisset *graviter commotus*. Atqui nihil evenit novi, quo placatior reddi potuerit: viderat mare turbatum; prospicit et videt disjectam Æneæ classem: quid in hoc erat, quo exhilarari posset? Meliorem rationem ac viam defendendi poëtæ suppeditabat Brandesius, Vir summus, artium litterarumque poli-

Digitized by Google

tiorum egregius arbiter, cum et ipsis poëtis eam legem scriptam et ab Homero (ut in ipso Neptuno Odyss. E. 282 sqq.) et præstantissimo quoque poëta observatum esse diceret, ut dignitatem et majestatem Deorum etiam in ira vel exultatione aliove affectu animi servarent, eique hactenus consulerent, ne faciem aut ira tumentem aut rictum cachinno diductum, legentium sensui objicerent. Etiam in illis: 'Quos ego—sed præstat' placidam illam Dei majestatem a poëta esse proditam. Tanquam numinis itaque proprium omnino habendum esse *placidum caput*, quod et placato et irato convenit ac manet, adeoque h. l. mari efferri etiam ab irato. Sed nec video, quare *graviter commotus* de gravi ac vehemente ira, qua exardesceret, acceptum sit. Est enim nihil aliud quam, quod Neptunus, cum ortam subito, ignota de causa, tempestatem sensisset, rei miraculo turbatur. Est Homericum συγχυθείς. Effert itaque caput suum, vultu, quo esse solet, *placido*, qui Dei esse solet. Aliam dubitationem facere possit, quod Neptuni et animus et os atque vultus, mythologorum ac poëtarum consensu, paulo tristior, iracundus et torvus exhibetur, adeoque *placidum caput* ei præter naturam tribui videtur. Multa hic dici possunt; nam in talibus disertum ac doctum esse non adeo difficile est; sed etsi Neptuni ingenium et os τὸ μειλίχιον Jovis non semper habere solet, tamen ista vultus tristitia, qua a Jove discernitur, non ad iram ac furorem assurgit; sed est vultus severitas, barba paulo hispidiore, coma minus comta, fronte contracta. Si autem poëtarum loca sunt, in quibus oris truculentia aut animi sævitia paulo insignior ei tribuitur, videndum, an poëta non potius maris, cujus imperium Deus habet, ingenium respexerit; ut in illo: 'suisque immanior undis.' Hactenus ad communes rationes a me disputatum erat. Nunc illud monebo: omnem difficultatem sublatam esse interpunctione mutata. V. Var. Lect. ad v. 130.

Digitized by Google

EXCURSUS VI.

DE LOCO LITTORIS LIBYÆ, AD QUEM ÆNEAS APPULIT.

I, 163—173. 'Est in secessu longo locus: insula portum Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos. Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur In cœlum scopuli: quorum sub vertice late Æquora tuta silent. Tum sylvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra. Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum; Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo; Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves Ulla tenent; unco non alligat anchora morsu.' Cum de hac loci, ad quem Æneas appulerit, descriptione in diversas abierint sententias interpretes, et facies locorum omnino non libero satis prospectu menti se offerat: accuratius de ea mihi erit agendum. Interpretationem sententiarum singularum jam supra apposui. Summa erat hæc: Est in hac littoris Libyci parte locus in sinum curvatus, cui insula prætexitur, quique adeo, cum fluctus ab alto objectu insulæ franguntur, tutam navium stationem efficit. Hunc sinum subeunt Trojani. Jam in singulis nonnulla sunt, quæ ambiguitatem habere possunt. *In longo secessu,* sinuoso Libyæ littore, *est locus:* qui pro statione navium est. *Insula,* quæ continenti est objecta, *efficit portum objectu laterum* suorum (hoc ipso, quod objecta, opposita est), *quibus,* ad quæ, *omnis unda ab alto,* omnis fluctus, *Frangitur et in sinus reductos sese scindit,* fracta recedit: potest accipi de interioribus sinus recessibus, in quos fluctus fracti mox iruunt; ut fere Ge. IV, 420 accepimus; et ut Cerda h. l. de intervallis inter insulæ latera et continentis scopulos prominentes: sed tribuuntur et alibi *sinus* ipsis fluctibus allisis, qui repulsi sinus faciunt; et Ge. III, 238. fluctus 'longius ex altoque sinum trahit.' *Hinc atque hinc,* aut in ipsa insula, ab utraque ejus extremitate, aut in continenti; si tamen in insula fuissent

Digitized by Google

duo scopuli, fluctus ex alto allisi non præbuissent quietam stationem; necesse igitur est, in ipso Libyæ littore prominentes scopulos intelligere; in hoc ergo *vastæ rupes geminique scopuli minantur in cœlum* (duo scopuli eminent), *quorum sub vertice* (subter quibus) *late Æquora tuta silent.* Hæc et pulchre dicta et intellectu facilia. *Tum,* præterea, *desuper imminet* (supra est) *scena sylvis coruscis,* prospectus sylvarum, *et atrum nemus imminet horrenti umbra* (in ipso continenti; non in insula, ut olim acceperam). *Sub adversa fronte,* in littore hoc continenti, ex adverso iis qui ex alto ingrediuntur, *antrum* est *scopulis pendentibus*—*Hic* (non tam in hoc antro, quam in tota hac sinus parte, quæ pro portu est) *fessas non vincula naves Ulla tenent.* Verba v. 166 'Hinc atque hinc vastæ rupes,' visa mihi olim erant referenda esse ad insulam; quia antecesserat: *insula portum,* et sequitur: *Fronte sub adversa.* Ita quoque visum erat Scaligero Poët. v, 3. Expensis tamen omnibus ipsam rerum rationem id postulare vidi, ut ad continentem referantur omnia. Etiam apud Homerum δύο προβλῆτες ἀκταὶ ἀποῤῥῶγες in ipso continenti visuntur. In eo tamen nulla omnino insula objecta est.

Exoritur altera disputatio, in qua Africæ parte, et quidem in vicinis Carthagini littoribus iste locus sit, aut fuerit. Jam cum talem locorum situm a nemine alio commemoratum viderent, Interpretes post Servium, quem habemus, et Pompon. Sabinum fere in eam sententiam discessere, ut totum locum poëtæ ingenio deberi, neque eum unquam vere extitisse existimarent. Et verum utique est, quod jam Macrob. v Sat. 3 et Servius ad h. l. notarunt, poëtam expressisse nobilissimum Homeri locum de Phorcynio portu et Nympharum antro Odyss. *N,* 96 sqq. atque adeo transtulisse ea, quæ Homerus de insula Ithaca memoraverat, ad ornandum littus Africæ. Enimvero mutavit non pauca, ut sive certasse cum Homero sive certi loci naturæ sua accommodasse videri debeat. Fuere porro interpretes, qui, secundum Servium, poëtam portum suum ad portus novæ Carthaginis in Hispania speciem adumbrasse putarent; quo-

Digitized by Google

niam apud Livium descriptio istius portus est huic loco simillima: lib. XXVI, 43 'Ceterum sita Carthago sic est. Sinus est maris media fere Hispaniæ ora, maxime Africo vento oppositus et quingentos passus introrsus retractus, —hujus in ostio sinus, parva insula objecta ab alto portum ab omnibus ventis, præterquam Africo, tutum facit, ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est.' Prospectum urbis delineatum dedit Cerda. Cf. Silium XV, 220—229. Addisonus (Remarks on several Parts of Italy, p. 153 sqq.) sinum Neapolis urbis Virgilii oculis esse obversatum putabat; nec ab eo dissentit, qui hæo loca adiit. Grosleius (Nouveaux Mémoires sur l'Italie, T. II, p. 105. 106) et potest hoc speciem aliquam habere, si poëtam Neapoli otium suum consumsisse reputes, et Capreæ insulam objici littori montibus et sylvis munito memineris. In his tamen omnibus nonnulla sunt, quæ probare vix possis. Parum sapientem parumque gnavum poëtam dicas, qui in littore Italiæ objecto, quod quotidie tot Romani frequentarent, quodque adeo notissimum esset (nam aliter res se haberet in ignota regione), vellet locum fingere qui nuspiam esset, et tantum hoc agere, ut locum ex Homero latine converteret. Simili ratione Nympharum antrum apud Homerum poëtica licentia effictum multi voluere; at habemus Artemidori Ephesii fidem ap. Porphyr. de A. N. cap. 4, qua constat verum hujus descriptionis fundum fuisse. Quod descriptio porro loci cum situ portus Carthaginis novæ et Neapoleos convenit, id mirum non est, cum multorum portuum idem situs sit, idque pro præstantissimo facile portus genere habeatur, quod objectu insulæ efficitur: cujusmodi plurimi memorari possunt portus. Talis erat Brundisii, de quo v. Lucan. II, 613—621, Alexandriæ Cæs. B. Civ. III, 112. Maneat itaque, etsi nunc ignoratur littoris hujus Libyci vera ratio, aut immutata est ejus facies naturalibus de causis, Virgilium tamen veri loci situm adumbrasse, quanquam additis forte nonnullis, quæ ad poëticam amœnitatem et ornatum facerent; quod, ut poëta, recte facere potuit.

Digitized by Google

Atque hæc ne Virgilii magis studio quam aliqua veri specie arbitrari videamur, Shawium, doctissimum virum, auctorem laudare possumus, qui similem in Carthaginiensi littore locum deprehendisse sibi visus est. In Tunitano sinu, in quo eodem Carthago olim fuit sita, inter promontoria Apollinis et Mercurii, quorum hoc quidem, nunc Cap Bon, ab Oriente, illud, nunc Cap Zibeeb vel Zebibi, ab Occidente, sinum claudit, in hoc itaque sinu, cujus os inter duo promontoria undecim leucas patet, supra Misuam, versus promontorium Mercurii, seu Hermæum (Cap Bon) circum ea loca, in quibus Aquilaria olim fuit sita, (nunc vicus Lowhareah, qui unam tantum leucam a promontorio illo abest) a littore inde usque ad vicum hunc mons procedit, qui totus effossus et excavatus, a mari inde ad vicum iter subterraneum præbet. Patet enim via, ad cuniculi speciem, a solo ad verticem ad viginti vel triginta pedes, relictis per intervalla ad montis molem sustentandam columnis et arcubus seu fornicibus; spiramentis etiam passim aër et cœlum desuper admittitur. Fuisse has lapicidinas Straboni XVII, p. 1191, A. commemoratas, suspicatur idem Shawius; recte, nec ne, nunc non disputamus; unde Carthago, Utica, et aliæ vicinæ urbes materiam peterent. Mons ipse sylva obsitus. Antri ostia versus mare patent, iisque objecta est Ægimurus insula (de qua sup. ad v. 112—116). In antri aditu fontes aliquot inter rupes prorumpunt; in prospectu passim sedilia e vivo saxo, quibus operæ olim pepercerant, dum cetera exciderent. Hunc locum itaque Shawius (Travels p. 159. cf. mappam geogr. ad p. 146) poëtæ ante oculos fuisse non dubitat, dum locum describebat, ad quem Æneas appulit. Videntur sane omnia sic satis esse accommodata. Accedit locus ap. Cæsarem de B. Civ. II, 23 'C. Curio in Africam profectus—appellit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus abest a Clupea passuum XXII millia, habetque non incommodam æstate stationem; et duobus eminentibus promontoriis continetur.' Intelligenda scilicet hæc eadem duo promontoria Apollinis et Mercurii supra commemorata. Insula tamen

Digitized by Google

scrupulum facere potest, si Ægimurus illa est, cum eandem illam per Aras declarari supra viderimus. Sed Ægimurum seu duas potius insulas, Zimbras, seu Zowamores, ita esse sitas, constat, ut ipsi Mercurii promontorio subjacere videantur, major quidem quatuor leucas, at minor parum remota a littore. Potuit igitur ad majorem pars classis adhærere; et altera minor habeatur pro insula littori objecta. Potuit etiam poëta ornare locum, aut sequi famam, qua Ægimuri scopuli olim insula fuisse memorabantur. Nec tamen poëtam levitatis et vanitatis accusare possemus, ne tum quidem, si nullum hujus locorum situs vestigium in Africano littore nunc compareret. Totum enim istius tractus littus maris alluvie incredibili modo est immutatum; et, quod vel ex Shawio satis apparet, procedit nunc littus inter Ruscinonem et Carthaginem multo altius in mare, quam olim. Si quis ultra instare et calumniari velit, a monte per Shawium designato ad Carthaginem usque locorum intervallum esse majus forte, quam ut altero die Æneas navibus progressus satis mature Carthaginem pervenire potuerit, eum dicemus poëtam in ordinem cogere et historiæ severiori legi obnoxium facere. Ceterum hæc et illa sup. ad v. 112 sqq. paulo subtilius disputasse non pœnitebit, inprimis si descriptionem geographicam errorum Æneæ, qualis ipsi Virgilio Burmanni præfixa est, inspexerit aliquis; in qua Nympharum antrum ultra Mercurii promontorium versus Syrtin minorem, naufragium vero classis ad Syrtin majorem, et ex altera parte Aræ in partibus occidentalibus ultra Carthaginem expressæ sunt.

EXCURSUS VII.*

DE ANTENORE.

I, 246 sqq. 'Antenor potuit, mediis elapsus Achivis, Illyricos penetrare sinus atque intima tutus Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi; Unde per ora novem vas-

Digitized by Google

to cum murmure montis It mare proruptum et pelago premit arva sonanti: Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit Troia; nunc placida compostus pace quiescit.'

Fuit Antenor inter eos, in quorum rebus ornandis ii maxime scriptores laborarunt, qui narrationes Homericas novis commentis de suo onerarunt; non aliter ac si delectatio a mere fabulosis et temere effusis figmentis proficisceretur. Scilicet non tenebant, narrationes illas Homericas fide majorum, fama antiqua, acceptas ex antiqui quidem sermonis indole et formulis, opinionibus hominum, motæque mentis impetu, poëticoque ornatu, ascititios colores traxisse, mox multis modis et multis de causis, in carminibus cyclicorum, lyricorum et tragicorum esse variatas. At illi homines laudem quærebant ex eo, quod res, quas Homerus seu summatim exposuerat, seu strictim percurrerat, in historias, copiose et ordine omnibus, quæ inciderant, enarratis, convertebant aut clarorum heroum nominibus facta et fata commentitia assignabant: quorum nihil, interdum ne vestigium quidem, in antiquioribus extaret; alia ex Cypriis carminibus aut e Lescheo aliisque poëtis cyclicis arripuere, saltem ex rivulis inde ductis hausere. De *Antenore* perpauca ab Homero memorata sunt. Clarior est ejus uxor, *Theano*, Hecubæ e Cisseo soror, Minervæ sacerdos (v. Iliad. *Z*, 297 sqq.), necnon filii, passim in pugnam prodeuntes; ipse inter seniores, qui prudentia alios antecellebant: Iliad. *Γ*, 148. idem suadet, ut Helena reddatur, *H*, 347 sqq. et Ulyssem cum Menelao, antequam arma sumta erant, ad res repetendas Trojam missum hospitio exceperat: Iliad. *Γ*, 205 sqq. Itaque Troja capta a Menelao servatur cum sobole. Cf. Tryphiod. 653 sq. Hoc tanquam fundo superstruxere fabulatores illi, e quibus Pseudodictys et Pseudodares adhuc superstites sunt, alia, v. c. de Antenore a Laomedonte Delphos misso (Serv. ad Æn. II, 318) de legatione ad Achivos sub extrema urbis fata (Tzetz. Posthom. 607 sq.) inprimis vero plurima de proditione urbis ab eo et a filiis facta: Cf. Serv. ad v. 242. Præiverant tamen alii antiquiores, ut Ly-

Digitized by Google

cophr. 340 sqq., nec dubito in his unum ex cyclicis poëtis fuisse. Proditionis ab Antenore factæ auctoritatem jam olim Polygnotus agnoverat in tabula sua ap. Pausan. x, 27. p. 865 Sophoclis fuere Ἀντηνορίδαι, qua ex fabula Strabo XIII, p. 905 B. memorat pantheræ pellem Antenoris foribus injectam, ut tuta esset domus ab Achivorum injuriis; id quod factum in gratiam hospitii pristini ap. Quintum XIII, 293 sqq. Menelao tribuitur beneficii accepti memoria Tryphiod. 647. De Antenoridis Lysimachus ἐν Νόστοις egerat; adierant illi Libyam, et Cyrenen insederant: seu quod cum Græcis versari nollent, ut Lysimachus tradiderat, seu quod Menelaum et Helenam secuti tempestatis vi de cursu dejecti fuerant: quod Pindarus secutus est Pyth. 5, 108 sq., ubi v. Schol.: add. Schol. Lycophr. 874, ubi pro περὶ τὴν Κρήνην et ἐν Κρήτῃ leg. περὶ τὴν Κυρήνην et ἐν Κυρήνῃ. Nam in hac fuit Antenoridarum collis. Antenori a Tragicis partes facundi senis datæ, ut in vss. Eurip. ap. Athen. XV, pr.

Fuit tamen ex iis commentis unum ceteris illustrius, quo profugus ex urbe capta in Italiam Henetos duxisse et Patavium condidisse narratus est. Henetorum nomen (Ἐνετῶν) poëta memorat,[1] Paphlagoniæ populi, cujus regio mulis sylvestribus abundabat; e quo Pylæmenes, Paphlagonum dux, oriundus erat. Hos igitur Henetos Antenorem sibi adjunctos in Italiam adduxisse et Venetos ibi in sedibus suis collocasse narrarunt.[2] Nominis similitudinem etiam in hujus populi origine ludificatam esse veteres, in aperto est: cum diversi essent populi, alter Sinus Adriatici, alter

NOTÆ.

[1] ἐξ Ἐνετῶν. Il. B, 852. Male Zenodotus refinxerat ἐξ Ἐνετῆς. V. Strab. XIII, p. 830 C. 819 A.

[2] V. inprimis Strab. XII, p. 819 A. B. XIII, p. 905 B. V, p. 325 A. Verior ille de Venetorum origine à Venetis Belgica gente ducenda monuit l. IV, p. 297. 8. cum Herodotus ex Illyriis eos ortos esse tradidisset l. I, 196. Polybius II, 17, ubi de Venetis, quos ille Gallis simillimos moribus et cultu, at sermone diversos esse dixerat, περὶ ὧν οἱ τραγῳδιογράφοι πολύν τινα πεποίηνται λόγον καὶ πολλὴν διατίθενται τεραστείαν: in quibus ille tragœdias Antenoris et Antenoridarum nomine inscriptas respicere putandus. In iisdem fabulas Phaëtontis et Eridani variis modis expositas fuisse suspicor. Nostra ætate Henetos seu Venetos accenseri Sarmatis vidimus, ab aliis autem Slavicæ stirpis haberi.

Digitized by Google

Asiæ. Qui primus fabulæ auctor fuerit, incerta res est. Strabo jam sua ætate inter vulgo narrata (τὰ θρυλλούμενα) eam refert (l. XIII p. 905 B. C.): idem Menandrium scriptorem memorat tanquam testem idoneum (p. 830. A. B.). Antiquiorem auctoritatem non memini quam Scymni Chii (Perieg. 388. 9). Nec tamen sive in duce Antenore, sive in populo, quem adduxit, nec in cursu, quem tenuit, omnes consensere; ut facile appareat, a multis poëtis ac scriptoribus rem narratu acceptam tractatam fuisse. Ita fuere, qui Henetos a Troja reduces, fuga dilapsos, aut, Pylæmene duce, in Thraciam se recepisse, atque inde errando longius processisse dicerent (cf. Strab. l. c. et Eustath. ad Dionys. 378, qui Strabonem exscripsit). Avide commentum arripuere Romani scriptores, qui Antenorem cum Æneâ compararunt: in his ipse Liv. I, 1 et jam Nepos, teste Plinio VI, 2 et inde Solino c. 44, Catonem forte secutus, qui idem narraverat, ut e Plinio discimus III, 19. s. 23. Antenoridem scripserat Largus, Ovidio æqualis IV. ex P. 16, 17 'Ingeniique sui dictus cognomine Largus, Gallica qui Phrygium duxit in arva senem:' quem Ælium Largum ap. Dion. LIII esse acute suspicatur Wernsdorf. v. c. ad Poët. min. T. IV, p. 582.

Servata sunt nonnulla ex antiquioribus in personato Messala de Augusti progenie c. 19 'Antenor ex Ionio æquore ad dexteram flectens, inter Dyrrhachium et Brundisium, per latissimas superi æquoris fauces, ad septentrionem conversus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos, illinc Apulos atque Picenum, ad caput Adriatici maris cursum tenuit; et, relicto æquore, adverso flumine, quod Brentesia dicitur,[1] sursum contendens, terra potitus, sedem sibi suisque elegit, et expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patavium condidit. Is inter ceteros comites, Enetorum multitudinem numerosam secum duxerat; qui Paphlagonia orti, patria pulsi, exules ad Trojam, quæ bello tum

NOTA.

[1] Meduacus major.

Digitized by Google

laborabat, concesserant. Hi in proxima finitimorum prædia longe lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleverant, ex se gentibus nomen dedere, et Venetiæ regio dicta. De hoc Antenoris adventu sic meminit Virgilius: 'Antenor potuit,' etc. Sequitur inde apud hunc scriptorem mirum acumen super versu: 'armaque fixit Troia;' alloquitur Imperatorem, qui, 'quodnam insigne vexillis Antenori et Æneæ fuisset,' dubitaverat; acceperat itaque ille *arma* de vexillo: tolerabilius foret, si saltem de insignibus clypei intellexisset; etsi et hoc absurde. Respondet scriptor, armorum insigne fuisse scrofam; 'Troja namque vulgo Italice Latineque scrofa vel sus dicitur.' Quid expectabis ab hominibus, qui in poëtarum lectione argutias tam vanas captabant? Ceterum de Antenore Patavii sepulto vetus fuit opinio; et detectum Antenoreum sepulcrum a. 1274, inter recentiores fabulas satis vulgata est. V. Pignor. in Anten. c. 8. Ursat. in Monum. Patav. l. 1. s. 10. Accessit epitaphium, quod insertum quoque legitur Anthol. Lat. l. 1, ep. 111, ubi v. Burmann.

EXCURSUS VII.

DE TIMAVO FLUVIO.

Sequitur nunc 248—250. locus de Timavo: 'fontem superare Timavi [eo loco], unde per ora novem vasto cum murmure montis It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.' Primum versus hi, licet pulcherrimi, cum tamen non poëta hæc narret, cui ornatum sectari licet, verum ex Veneris persona Jovi supplicantis pronuntientur, alieno loco Timavi descriptionem intrudere videri debent; quod jam Ursinus recte vidit, qui simili loco Homeri Odyss. Δ, 706 excusare rem velle videtur. Fit sane omnino hoc gravissimorum poëtarum more et exemplo, ut etiam, quando ex aliena persona oratio fit, ornatus idonei materia, qua variari

Digitized by Google

oratio et delectari legentis animus possit, non dimittatur manibus; cum delectationis major sit ratio habenda, quam judicii animorum sedati. Potuit adeo fluvius ille, etiam in Veneris oratione, verbis ornari, inprimis cum ejus natura, ad hunc modum descripta: 'unde per ora novem—It mare proruptum,' ad amplificationem periculorum, quæ tamen ab Antenore superata sunt, facere possint. Tametsi forte hunc in modum excusari versus 245 et 246 possunt, nullo tamen modo probare se possunt judicio paulo acutiori; et erant illi haud dubie inter eos, quos sublatos Virgilius mallet. Improbarunt hos versus et alii, et Jac. Bryant v. c. Quibus autem in terris fluvius ille quærendus sit, magna fuit inter viros doctos controversia. Si enim notus ille Istriæ fluvius est, quid ille cum Patavio commune habere potest, ut v. 247 'Hic tamen ille urbem Patavi—locavit?' (sed v. ad e. v.) Maluere itaque alii referre ad Meduacum s. Brentam, nonnulli adeo ad Padum; quos ipsa res refellit et Paullus Pincius cum aliis doctis viris a Burmanno præf. Tom. VI. Thes. Ital. nominatis. Si tamen Timavus Istriæ fluvius est, difficultates contra hos versus vel sic, non Catrœus primus, sed multi ante eum viri docti (v. c. Cerda) moverunt, qui Timavum aut plane nullum, aut hujus, quem poëta narrat, admodum nunc quidem dissimilem esse contenderent. Sed frustra; nam Strabonis l. v, p. 214. 215, et Melæ auctoritas poëtam defendit, ut Timavi olim istam naturam fuisse dubitari nequeat. Scilicet inter Aquileiam et Tergeste, in Carnorum finibus, apud vicum S. Joannis, non longe a castello Duino (Tywein), qui totus tractus saxeus et scopulosus est (sunt autem montes calcarii[1]), complures ingentesque inter rupium antra aquarum fontes prosiliunt: quorum præcipuos sex numerabat Cluverius, qui hæc loca adiit et singula accurate exploravit (v. Italia ant. p. 192), nec plures Valvasor, quem cum eo comparavimus, in Crainia T. I, p. 272 sqq. 612 sqq. Scilicet pro anni tem-

NOTA.

[1] V. Franc. Griselini Lettera nel Giornale d'Italia. To. XI, p. 118.

Digitized by Google

pestate plures paucioresve sunt, ita ut modo septem modo novem fontes numerentur: (teste Linharto historia Crainiæ p. 66.[1]) Hi fontes tribus alveis paululum delati, mox in unum flumen confluunt, quod vix mille passuum viam emensum uno ostio in mare exit. Italis etiam nunc 'maris parentem' ('la madre del mare') appellari Holdsworthus tradit; quod nomen jam Polybii ætate frequentabatur. Vid. Strab. l. c. p. 214 D., ac si mari magna aquarum accessio inde fieret. Cum Strabo cum aliis *septem*, Mela cum Virgilio *novem ora* seu *capita*, et fontes (sic *ora* et alii v. c. Statius IV Theb. 832) memorent, non inexplorata tradita ab iis esse e modo dictis apparet; nec necesse est, alias in vicinia scaturigines, quæ in eosdem alveos deferuntur, quarumque una ex lacu prodit, a veteribus annumeratas esse suspicari, quod Cluverius faciebat. Hæc eadem diligenti investigatione prosecutum videmus Holdsworthum, elegantissimi ingenii virum, dum viveret, p. 600. 601. Immutavit longa ætas locorum faciem; quid? quod invalescente indies versus hoc littus boreale mari Adriatico reprimi creditur aquæ in ipsis fluminis ostiis impetus, ita ut nunc longe minore spatio flumen, sub ipsos fere fontes stagnans, per planitiem ad mare deferatur.[2] Ceterum cum per subterraneas cavernas mari ad Timavi fontes iter pateat, cum æstu maris magnam illi aquarum molem accipiunt; quo fit, ut ingenti cum fragore et mugitu subterraneo Timavus inter rupium antra prorumpat (hoc est nostro, 'vasto cum murmure montis'), nec, jam in unum alveum coactus, contineri in eo possit, sed vicina late loca inundet, antequam ad mare perveniat. Hinc ille *it mare proruptum*, ad maris speciem, magnos fluctus volventis (quod magna aquæ vi prorumpit se, effunditur,

NOTÆ

[1] Unus ex his fontibus sub castello Duino insignior est ceteris v. Gruber Briefe über Krain Vindob. 1781. p. 156. c. tab.

[2] Cf. Schlözer Briefwechsel II Th. Heft XII, p. 340. add. Hacquet Oryctograph. Carniolica To. I. p. 61. Antiquiorem locorum faciem in tabula videre licet in libro apud Juntas Venet. 1553 fol. vulgato: 'de Balneis omnia quæ extant apud Græcos, Latinos, et Arabas' p. 306.

Digitized by Google

ut Pompon.), et, nostra ætate saltem hyberna tempestate, *premit arva*, operit, inundat, *pelago*, aquarum vi pelago simili, *sonanti*, propter aquarum copiam et impetum.[1] De origine Timavi multa disputant iidem, quos memoravimus, auctores. Cum plena sit Carnorum regio fluminibus subeuntibus terram moxque iterum emergentibus, etiam Timavus simili ratione idem esse flumen videtur, quod XIV millia passuum (XVIII vel XX. Irenæus de Cruce Istoria di Trieste l. I. c. 2 et V, 10 memorat) supra hos fontes ad vicum D. Catiani (S. Kazian) bis terve subter rupium cava viam sibi facit, tandemque cuniculo subterraneo totum conditur. Rekam id flumen esse, Valvasor docet, qui rectius hæc exponit, quam Cluverius. Enimvero jam apud Strabonem l. V. p. 329 A. Posidonium hoc idem tradidisse videas, e montibus delatum Timavum voragine terræ absorberi, εἶθ' ὑπὸ γῆς ἐνεχθέντα περὶ ἑκατὸν καὶ λ' σταδίους (XVII millia passuum) ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν ἐκβολὴν ποιεῖσθαι male accipitur: *in mare effluere*. Vert. *ad mare, non longe a mari, emitti iterum*. Hoc Plinius tradit l. II, s. 106 'Et in Atinate campo fluvius mersus post XX mill. passuum exit, et in Aquileiensi Timavus.' Restat ut hoc moneamus, 'fontem Timavi' h. l. pro ipso Timavo dici; eum autem ita *superasse* Antenor intelligendus, ut cursu navium juxta littora servato, nam cum classe hæc loca adiit, ostia fluvii prætervectus ad ulteriores plagas et interiorem sinum pergeret. Est enim is poëtarum v. c. eorum, qui Argonautica exponunt, mos, ut in navigatione facta littoris vicini populos, urbes, et amnes enumerent. Aliam rationem, eamque subtiliorem, suppeditavit Wood l. c., docet enim, navigationem ex Ionio mari in interiora Adriæ aliter tuto fieri non posse, quam ut littus

NOTA.

[1] Minus bene Wood v. c., loco mox laudando antiquam interpretationem revocat, qua 'mare proruptum' de ipso mari Adriatico accipiebatur, quod, quoties exæstuat, in interiora littoris exundans Timavi cursum reprimit. Hoc locorum naturam ita ferre nemo neget: sed verborum structura sermonisque ratio manifeste repugnat isti sensui: est enim *fons, unde* h. e. *ex quo, mare proruptum it*, non vero, fons *in quem, versus quem*, mare procedit.

Digitized by Google

Illyricum legatur:[1] ubi ad intima Istriæ perventum est, etiamnum recta trajicitur mare adversus Venetias. Cf. Liv. x, 2. Quæ observatio, etsi huic loco expediendo prorsus necessaria non est, alterum tamen locum illustrat in Ecl. VIII, 6. 7, ubi de navigatione Asinii Pollionis versus Parthinos Illyrici: 'seu magni superas jam saxa Timavi, sive oram Illyrici legis æquoris.' Factam enim secundum littus navigationem innuit. Ceterum hunc locum certatim expressere Lucanus, Silius, et Statius, qui Timavo etiam ex hoc loco ad ipsos Patavinos fines designandos poëtico more usi sunt. Unde inter recentiores inanis et vana de hoc fluvio, sitne Patavino agro an Istriæ annumerandus, orta est controversia; de qua v. Burman. præf. T. VI Thesauri Italiæ p. 13. Sed præstat illud adjicere, nostro judicio, si verum quidem hujus moris sensum animus imbibit, ex anteriore poëta, et quidem Græco, qui nunc interiit, forte Argonauticorum aut Antenoridis scriptore, Virgilium sua transtulisse videri; unde et eodem amne usus est ad Asinii Pollionis navigationem declarandam l. c. Est enim et in ornando nimius, quod fere in talibus locis solet, et ornamenta paulo exquisitiora cumulat.

EXCURSUS VIII.

DE IULI COGNOMINE ASCANIO INDITO.

I, 271. 272. 'At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno).' Ab Iulo vulgo ducta gens Julia; sed h. l. etiam nomen gentis Juliæ ab Iulo, *cognomine* Ascanii, derivatur. Sane, licet alia gentium nomina ducta fere sint a prænominibus, ut ab Aulo Auliæ, ab Marco Marciæ, non tamen nominum gentilitiorum

NOTA.

[1] Wood's Essay on the Original Genius of Homer. p. 54 sqq.

Digitized by Google

exempla desunt, quæ a cognominibus venisse videntur, ut Gentis Flaviæ, Fulviæ, Rutiliæ, al. cf. Cerda ad h. l. Jam porro hoc cognomen Iuli formatum poëta esse vult ab *Ili* nomine, quod Trojanum fuit, et quo Laomedontis pater fuit appellatus; sed ratione grammatica plane refragante. Verum in etymologiis cum Græci tum Romani argutias plerumque captant, non sermonis rationem et analogiæ veritatem sequuntur. Nec multo subtilior altera ex Julii Cæsaris Pontifical. lib. II, et Catone in Origg. memorata etymologia, ut Iulus a Jove, *Iobus, Iolus, Iulus,* ductum sit. V. Auct. de Orig. G. Rom. c. 15. Altera in h. l. quæstio est, an pro carminis epici majestate, et in Jovis oratione, eaque ad Venerem, Æneæ matrem, etymologia talis recte inserta esse videri possit. Partem difficultatis vidit Britannus in Miscell. Obss. Vol. I, p. 5 et 82, adversus quem et ibi doctiss. Editor et ad h. l. Burmannus disputant, nescio an commode satis. Potest quidem, suffragante Brandesio nostro, defendi poëta hactenus, quod in Augusti gratiam et ad majorem, quam populares sui inde capere poterant, voluptatem, etiam præter πιθανότητα et subtilitatem, intexere aliquid non dubitavit; potest quoque, quod Eschenburgio v. c. placuisse video, Jupiter videri Veneri voluisse hoc in memoriam revocare. Nec tamen minus ita alterum versum ab aliena manu accessisse suspicor, sive totum, sive post *Additur,* cum a poëta scilicet imperfectus esset relictus. Nam interpretatio ista, 'Ilus erat, dum res stetit Ilia regno,' per se inepta, multo etiam magis a loco hoc aliena est. Tum an *regno* satis latine adjectum sit, nescio: dum resp. Trojana, regnum Trojanum, stetit, duravit, *regno:* nisi putes defendi posse ex l. II, 88 'Dum stabat regno incolumis' Palamedes: ubi dictum tamen esse apparet poëtico usu pro, dum regnum ejus stabat incolume, h. e. ejus regia dignitas erat salva et intacta. Certe judicio acutiori parum se probare potest versus tam jejunus. De Ascanio v. Exc. XVII ad lib. II.

Digitized by Google

EXCURSUS IX.

I, 295—300. 'Aspera tum positis mitescent sæcula bellis. Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabunt: diræ ferro et compagibus arctis Claudentur Belli portæ: Furor impius intus Sæva sedens super arma, et centum vinctus aënis Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.' Splendidissimus locus, et Jove vaticinante dignus. Fidem, ait, religiones patrias et concordiam, abolitis bellis ac discordiis, esse regnaturas. Mutata hæc in personas, et quidem Deos Deasque: *Fidem, Vestam, patrem Quirinum. Fides cana,* quia alias *prisca, antiqua,* dicta. Vesta, quippe Romanis patria eaque antiquissima religione culta cum ipsis Penatibus, cf. Æn. II, 296, et imperii præses, in cujus æde ignis sacer servabatur. (Ut *pudicitia* per eam designetur, Romano equidem more fieri posse non arbitror.) Quod autem *Quirinum cum fratre Remo* nunc *jura dare,* h. e. regnare, imperio Romano præesse, rem Romanam tueri, ait, in his concordiam quidem civium innui posse, Burmanno non refragabor, ut forte pro eo, quod diceres, fore ut concordia et pax, bellis civilibus et discordiis sopitis, vigeat ac floreat, poëta Romulum et Remum, quos dira discordia disjunxerat, iterum regnaturos esse dixerit. Meo tamen sensu rei sermonique poëtæ accommodatius est hoc: Bellorum civilium noxa interdum a Remi cæde repetebatur, qua tota posteritas culpæ et piaculo erat obligata; jam bellis civilibus expiatus Remi sanguis videbatur, ut v. c. Horat. Epod. 7, 17. Itaque ea poëtæ mens: Temporum antiquorum integritatem et puritatem iri restitutum, qualis illa fuerit, antequam fraternus 'sanguis in terram defluxit,' primumque illud parricidium fuit commissum. Pacatis iterum animis et fraterna concordia pristina rem Romanam moderari et tueri quasi videbuntur Remus ac Romulus. De Agrippa cum Servio et aliis cogitari non posse, recte Burmannus monuit. Quod vero poëtæ animum ad

Digitized by Google

has rerum imagines deduceret, ut *Fidem*, et *Vestam*, cum *Remo* ac *Romulo* commemoraret, fuisse suspicor etiam hoc, quod, ut ex topographiis Romæ disci potest, in Palatino monte, adeoque circa Palatinam Cæsaris domum, templa Fidei, Vestæ, ac Romuli Remique erant: majorem igitur hæc omnia suavitatem habere debuere, si Romanus ea legeret, qui illa templa ante Augusti domum posita meminisset. Mox v. 293. 294 *Bellum* hic personam Dei induere puto: est ὁ *Πόλεμος*. Diversa Belli a Bellona et Marte persona. Apud Plin. xxxv, 36, 16 Apelles 'Belli imaginem restrictis ad terga manibus *pinxit*, Alexandro in curru triumphante.' Eam cum altera tabula Apellis Augustus in Fori sui partibus celeberrimis dicaverat. Ut tamen picturam hanc Virgilius hic ante oculos habuisse videri debeat, quod jam in Servianis suspicatus aliquis, necesse non est. Notio hæc admodum obvia et communis, ut Discordiam, Bellum, Martem, vinctos, religatis post tergum manibus, fingere animo liceat; inprimis inter eos, qui triumphum agi, in eoque hostes captos vinctis post tergum manibus duci viderant. Occurrit quoque simile argumentum in artis priscæ operibus. Erat Spartæ vetus signum Martis vinculo impediti. Pausan. III, 15. p. 245. Nostrum ante oculos habuit Calphurn. I, 46 de Numeriano Cæsare: 'dabit impia vinctas Post tergum Bellona manus, spoliataque telis In sua vesanos torquebit viscera morsus, Et, modo quæ toto civilia distulit orbe, Secum bella geret.' Hujus *porta dira*, quia Dei diri et abominandi, clauditur 'ferro et compagibus arctis' s. vinculis h. e. foribus ferratis. Hom. *θύραι πυκιναὶ* et *πυκινῶς ἀραρυῖαι*. *Jani templum*, quod *Janus Quirinus*, vel *Janus Quirini*, vel *Janus geminus* appellatur, respicere putatur, et recte. Æn. VII, 607 'Sunt geminæ Belli portæ, (sic nomine dicunt,) Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri Robora, nec custos absistit limine Janus:' ubi vid. Not. Plutarch. de Fort. Rom. p. 322 B. *ἐκλείσθη δ' οὖν τότε* (sub Numa) *καὶ τὸ τοῦ Ἰάνου δίπυλον, ὃ πολέμου πύλην καλοῦσι*, ut recte jam Xylander vertit, non *τύχην*. Pax occludit Janum ap. Lucan. I, 61. 62. Contra Pacem clauso Jano inclusam

Digitized by Google

teneri, interpretatio et sententia Ovidii esse videtur Fast. I, 281, si locum recte capimus. Apud Aristoph. in Pace 222 sqq. Πόλεμος Pacem antro incluserat. Adeo variis modis et accipi et reddi potuit res, cum antiqua Jani ædicula, ad modum templi amphiprostyli utrinque pervia, quæ, bello indicto, prisco more patebat adeuntibus et supplicantibus, pace facta occludi soleret; visum enim est Bellum modo coërceri portis clausis, ne ille Deus portis apertis foras erumperet; modo Pax inclusa teneri, ne avolaret. Itaque idem templum et Jani et Belli et Pacis habitum. Si Valer. Flacc. III, 253 'tunc porta trucis coit infera belli' hunc locum respexit, probabile fit, alteram in eo loco lectionem, *porta effera*, veram esse. Jam porro *Furor impius*, h. e. Bellum civile; ut apud Horat. Petron. et al. Ovid. I ex Pont. 2, 126 de Augusto: 'Clausit et æterna *civica bella* sera:' cf. Petron. B. Civ. 256 sq. *nodi* exquisite pro vinculis, catenis. Virgilium ante oculos habuisse videtur Manil. jam Cerdæ laudatus, I, 925 'jam bella quiescant, Atque adamanteis Discordia vincta catenis Æternos habeat frenos in carcere clausa:' et Ovid. I Fast. 702 'Gratia Dis domuique tuæ: religata catenis Jampridem nostro sub pede Bella jacent.' At ipsi Virgilio præiverat Ennius, apud Horat. I Serm. 4, 60 'postquam Discordia tetra Belli ferratos postes portasque refregit.'

EXCURSUS X.

MERCURIUS AD PŒNOS PLACANDOS MISSUS.

I, 301. 'Hæc ait: et Maia genitum demittit ab alto' sqq. Videtur hunc poëtæ locum expressisse cælator gemmæ non ignobilis e Museo *Bourdalovii*, post Montefalc. in Virgilio Londinensi, Justiciano et Ambrogiano repetitæ, in qua Jupiter in medio sedens, Venus juxta cum Amore Jovi sup-

Digitized by Google

plicans, ex altera parte Mercurius cum mandatis Jovis discedens; modo satis liquido constaret, an a manu antiqua opus illud profectum sit: mihi tamen omnes illæ gemmæ Virgilianæ, ut aliæ Romani argumenti, recentia ingenia prodere videntur; non enim id fuit suorum poëtarum studium Romanis, nec Græci artifices latini carminis peritiam tantam habuisse videntur; contra sæculo XV et XVI cum Græcæ fabulæ vulgo ignorarentur, ad Romanam historiam ac ritum revocari prisca monumenta, ad eundem alia recentia opera confici, passim solebant. Ceterum celeritati bene consulitur a poëta, omni Jovis sermone omisso, quo mandata Mercurio data erant; quænam illa fuerint, intelligimus ex iis quæ Mercurius exequitur. Mercurius autem animis, ut h. l. Didonis et Pœnorum, molliendis et flectendis inprimis idoneus Deus, qui 'feros cultus hominum recentum,' adeoque et barbarorum, quales Pœni erant, formavit. Scilicet hoc ad persuasionis vim pertinet, in monendo, consiliis dandis, et sic porro; ut Odyss. *A*, 37 ad dehortandum a scelere Ægisthum Mercurius mittitur. Omnino œconomia fabulæ hujus primi libri est eximiæ artis. Carthaginis adversus Æneæ fata tuendæ studio (v. sup. 17. 23) Juno Æneam immissa tempestate perdere voluerat. Atqui hac ipsa tempestate in Carthaginis hujus, cui Juno metuit, littus ejicitur Æneas. Jam mireris utique poëtam hoc casu non eo uti, ut tanto majorem nobis super Æneæ discrimine ac periculo, ex Junonis odiis in illa ipsa terra et urbe, quæ Deæ tantopere curæ cordique erat, impendente, sollicitudinem faciat. Sed poëta aliam viam est ingressus. Ne Æneas ullum in his locis periculum adeat, mittitur Mercurius ad Pœnorum Didonisque inprimis animos placidos et propitios efficiendos. Quo facto, cum tamen vel sic Venus haberet, quod Junonis odia et iras metueret, Cupidinis mox illa opera utitur (inf. 668 sqq.), ut Didonis animum amore in Æneam inflammet, quo minus illa Junonis aliquo monitu in diversa consilia impulsa in ejus perniciem conspiret. Interea Juno, dum his jam malis aliter occurri non posse videt (v. IV, 90 sqq.), hoc ipso Didonis et Æneæ

Digitized by Google

amore, ad avertendum ab Italia Æneam, et intercipienda adeo Romæ fata, uti constituit; sed quo minus illa res exitum habeat, Jupiter, cui fatorum ordo inprimis curæ esse debet, cavet (ibid. v. 222 sq.). cf. sup. Excurs. I. *

EXCURSUS XI.

DIDO A SYCHÆI UMBRA MONITA.

I, 357—363. 'Ipsa sed in somnis inhumati venit imago Conjugis; ora modis attollens pallida miris, Crudeles aras trajectaque pectora ferro Nudavit; cæcumque domus scelus omne retexit. Tum celerare fugam patriaque excedere suadet, Auxiliumque viæ veteres tellure recludit Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.' Quæ de mariti specie per somnum oblata narrantur, a poëta ipso adornata videntur, nec incommode ad epicam poësin, ut miraculo animum teneat. Forte poëtæ, præter historiam, debetur etiam illud ad rei atrocitatem adjectum v. 353 'ante aras.' Nam vulgo, cum venatum exiisset, a fratre uxoris insidiis petitus interiisse Sychæus traditur: vide Cedrenum p. 140 B. et Jo. Malalam Chronograph. p. 68 (p. 206 ed. Oxon.), qui Servium ad h. l. descripsit, sed, ut apparet, multo integriorem quam qualem nunc habemus. Cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 195. Sed, ut poëta ante aras id factum mallet, occasionem fingendi præbere potuit hoc, quod maritus Didonis sacerdotio Herculis functus esse memoratur. Cf. Justin. XVIII, 4. Jam somni visum potest illud quidem ita accipi, ut ipsum facinus somniantis animo fuerit objectum, ita ut illa ipsi cædi interesse, eam fieri cerneret; poëticæ tamen rationi magis consentaneum, ut, quæ a Sychæi Umbra verbis sunt exposita, tanquam gesta *nudentur*, enuntientur; ut in notis exposuimus. Similiter Umbra Sychæi mox abditos thesauros indicat, quo loco repositi sint, ut itineris subsidium ac viaticum Didoni fugienti sint. Sic Hectoris

Digitized by Google

Umbra inf. II, 297 *effert* sacra, efferenda esse gestu significat. Thesauri Didonis adhuc Neronis tempore luxum avaritiæ fecere. V. Tacit. Annal. XVI, pr.

EXCURSUS XII.

PIUS ÆNEAS.

I, 382. 383. 'Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum, fama super æthera notus.' Notati hi versus, quod Æneas egregie se ipsum commendat. Recte, nostris moribus si rem æstimes: secus, si heroicis; ut ex toto Homero satis constat. Exempla aliorum v. ap. Pierson. Verisim. p. 206: adde Spencium (in Essay on Pope's Odyssey P. I. p. 52). Hic ipse versus ex Homero adumbratus Odyss. *I*, 19. Ulysses apud Alcinoum: *Εἶμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν Ἀνθρώποισι μέλω* ('carus et honoratus sum propter sagacitatem consiliorum in re bellica') *καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει*· 'fama super æthera notus,' ex poëticæ orationis genio, nihil aliud quam simpliciter, celeber et inclytus. Inclytum autem ac notum se calamitatibus suis dicere, minus habet offensionis etiam nostris moribus; et pietatis mentio facta hominum animos benevolos ipsi reddere poterat. Verum et *pius*, ut omnino in Æneide, perpetuum est Æneæ attributum, quod, Homerico more, proprio nomini tanquam aliud proprium adjungitur. Sic et *pater Æneas*, quod antiquiore sermone honoris vocabulum fuit, ac reverentiæ amorisque, inprimis regibus tributum. Sic Odyss. *Θ*, 145 *ξεῖνε πάτερ*. Cum autem *pietatis* notio tam late pateat: quæri potest, quo tandem sensu poëta accipi voluerit. Fuit enim Æneas *pius in patrem*: unde III, 481 de Anchise: 'o felix nati pietate:' fuit *in filium, in patriam, in Deos*. Scilicet hoc ultimo respectu dictus est *pius* a poëta, *θεοσεβής*, religiosus. Docent hoc adjuncta, h. l. 'raptos qui ex hoste Penates classe veho mecum.' Lib. II, 691

Digitized by Google

'Jupiter, aspice nos, et, si pietate meremur, Da deinde auxilium.' Convenit, quod in omnibus rebus monitis Deorum obtemperat. Cum pietate justitia jungitur inf. 548. 549. Quod autem in Penatibus, de quibus v. Exc. IX ad lib. II, quos secum abduxerat, Æneas inprimis gloriatur, ad veterem religionem pertinet. Nondum excisa plane et eversa videbatur resp. superstitibus adhuc Diis tutelaribus seu patriis, eorumque vasis et sacris instrumentis. Qui in coloniam mittebantur, sacra metropoleos suæ secum abducebant. Si sacra, h. e. Dii patrii et eorum utensilia, essent seu vi seu fraude et furto ablata, gravissima calamitas ea habebatur. Ut Deos elicerent, qui urbem oppugnabant, aut ut Deos vinculis ligarent, qui obsidione gravi premebantur, ad eandem religionem pertinebat. Capta igitur urbe, præcipua ea cura inprimis sacerdotum, ut Deorum signa et vasa salva essent, dum aut absconderent ea, aut secum asportarent. Sic Panthus Apollinis sacerdos II, 319 fugiebat, 'sacra manu victosque Deos' ferens. Sigillatim hæc satis exposita passim sunt a viris doctis; nobis curæ fuit, ut ad rationes suas et causas ea referrentur; idque teneri velim etiam in aliis.

EXCURSUS XIII.

DE IIS QUÆ DEORUM PRÆSENTIAM ARGUUNT.

I, 406—408. 'Dixit, et avertens rosea cervice refulsit, Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos; Et vera incessu patuit Dea.' Habemus hic exemplum ἐπιφανείας numinis insigne. Non injucundum erit, paucis exponere, quibus modis poëtæ, Virgilius et Homerus, Deorum præsentiam vel in discessu arguant, inprimis cum viri docti, qui in hunc locum incidemnt, secuti fere sint Heliodori Æthiop. lib. III. p. 148. 149

Digitized by Google

ed. Bourd., a quo tamen non tam poëticas rationes, quam theosophorum commenta exposita esse manifestum fit.

Quoties igitur poëtæ, inprimisque principes isti, Deos cum hominibus agere iisque interesse faciunt; faciunt autem hoc sæpissime, ex recepta inter veteres persuasione, ad quam divinæ naturæ species humana vulgo credita necessario ducere debuit, in priscorum hominum et heroum vita, fere ut in vita patriarcharum, Deos invisere homines, ad eos devertere, eorum hospitio uti, iis occurrere, sermones ac consilia communicare solitos; quoties igitur Deos inter homines agere memorant poëtæ: si modum quidem et rationem exponunt, quam tamen sæpe declarare negligunt: aut Dii, etsi cum hominibus agunt, plane se hominum visui non subjiciunt, aut in conspectum veniunt manifesti, aut forma humana assumta se offerunt, ut tamen mox, saltem in discessu, divinæ præsentiæ nonnunquam signa aliqua edant.

In variandis his sequuntur poëtæ nonnullas alias opiniones inter priscos homines receptas: primo quidem, Deos propria sua ac divina specie a mortalibus aut omnino cerni non posse aut non nisi cum vitæ discrimine, (pro exemplo sit Semele) saltem oculorum cæcitate, (v. c. Hymn. in Vener. 188. v. ad Callim. L. P. 82 Spanhem. et ad 102) non posse cerni: nisi forte ab hominibus, qui θεοφιλεῖς, a Diis amati essent: οὔπω γὰρ πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς, Odyss. Π, 161. Contra χαλεποὶ δὲ φαίνεσθαι ἐναργεῖς, Iliad. Υ, 131. Cf. Spanhem. Callim. Ap. 9. Quoties igitur alios homines adeant Dii, specie eos humana assumta illis occurrere: esse vero divinam speciem humana majorem, longeque pulchriorem; itaque quoties pulchritudine insignis aliquis mortalis sese offert, numen sub ea specie latere suspicari solent; ut in Hymno in Dionys. 19. 20: porro Deos nube modò candenti modo caliginosa amictos ad homines, quibuscum agunt, accedere. Quæ omnia cum sensuum nostrorum judicio ita conjuncta sunt, ut omnium temporum populorumque opinione, nisi qui aut belluino more vivunt aut ad summam philosophiam expoliti sunt, recepta ea fuerint. Jam si *in hominum conspectum*, quibuscum tamen agunt, om-

Digitized by Google

nimo non veniunt Dii: solent fere verba eorum tantum audiri, quibus is, quem alloquuntur, facile numen agnoscere potest, vel quod Deus suum nomen effatur, vel quod Dei vox jam olim nota et sæpius audita erat. Ita Ulysses (Iliad. *K*, 512) et Achilles de Minervæ vel non conspectæ voce nihil dubitant, et notum Ajacis illud apud Sophoclem: *Ὦ φθέγμ' Ἀθάνας φιλτάτης ἐμοὶ θεῶν Ὡς εὐμαθές σου, κἂν ἄποπτος ᾖς, ὅμως Φώνημ' ἀκούω*, etc. Diversa ratio est, qua Apollo Iliad. *Π*, 788 sqq. loco inter paucos splendido, Patroclo etsi invisus terrorem infert.

Sin *in conspectum veniunt* Dii *manifesti:* divina specie, hoc est majores ac pulchriores humana forma, tum apparent; multa fere luce oculos obtundunt: ita ut hæc ipsa lux præsentiam numinis arguere credatur. Sic inf. IV, 358 'ipse Deum [Mercurium] manifesto in lumine vidi Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.' Etiam plena luce domus memoratur, v. c. Hymn. in Cerer. 188. 190, ubi cf. Ruhnk. Interdum tamen ad terrorem omnia comparata sunt: species, oculi, habitus; ita nube caliginosa et atra amicti sunt Dii, ut Venus lib. XII, 416. Juno vero cum procella venit: lib. X, 633 'cœlo se protinus alto Misit agens hyemem, nimbo succincta, per auras.' Enimvero hoc spectat jam propius ad illa, quæ a consilio nostro aliena sunt, cum Deorum præsentia omnem naturam sensu aliquo perfundere creditur: dum Dii, modo cum aëris, ventorum, marisque tranquillitate et auræ silentio adveniunt: in quam rem loca congesta v. ap. Valken. ad Theocr. 2, 38: modo ventorum marisve tumultus præsentiam Dei arguit. Cum his conjunctæ sunt *ἐπιφάνειαι* Deorum in templis, sub sacrorum solennium aut oraculorum edendorum tempus: de quibus nunc non agitur, et copiose actum ab aliis, inpr. a Spanhem. ad Callim. Itaque nec attingam, quæ ex his ipsis Deorum apparitionibus ad Manes aut Umbras per somnum oblatas translata sunt; ut de Creusa Æn. II, 773: tandem etiam ad homines divinitus afflatos, ut de Sibylla VI, 49. 50. Verum ut ad illum Deorum conspectum redeamus, quo, quoties eorum ministerio poëta utitur, illi pro-

Digitized by Google

deunt: si manifesto numine occurrunt, fieri id fere animadvertas vel occursu alterius Dei, vel ut filio, marito, aut amato a se homini, in conspectum veniant. Sic inter pugnas Dii sibi occursant in Iliade, sic Achilli Thetis, et Æneæ se mater Venus—'non ante oculis tam clara, videndam Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit—confessa Deam, qualisque videri Cœlicolis, et quanta, solet,' lib. II, 591. Veniunt quoque Dii in conspectum unius tantum, etsi in magna hominum frequentia, ita ut ceteri omnes ne sensum quidem numinis præsentis habeant: sic uni Ulyssi ejusque canibus manifesta fit Minerva, Od. *Π*, 160. Sic soli Peleo Thetis apud Apollon. IV, 854 sqq. et Achilli in media Achivorum concione, sed soli, conspicitur Minerva, statimque agnoscitur, δεινὼ δέ οἱ ὄσσε φάανθεν, Iliad. *Α*, 200. Iliad. *Ρ*, 334 Æneas Apollinem ἔγνω ἰσάντα ἰδών. Ceterum ex loco hoc Heliodorus illud duxisse videtur, quod ex fixo et constanti obtutu Deum intelligi dixit. Species autem divina modo ab æterna Deorum juventute, ac pulchritudine, modo cum attributis ex poëtarum et artificum doctrina et usu, declaratur.

Verum frequentissima ratio ea est, ut ad eum, quem volunt, accedant eumque alloquantur, *humana forma induti*, noti fere alicujus et familiaris, sicque ei ludum faciant, ut cum mortali se agere ille putet: tumque Dii consecuti id, quod volebant, interdum abeunt, ut nec agnoscantur: v. c. Iliad. *Ρ*, 70. cf. *Φ*, 285 sqq. *Χ*, 226 sqq. Sic etiam inobservati discedunt, qui per somnum se offerunt, ut Minerva Od. *Ζ*, 41 sqq. *Δ*, 795 sqq. et cum Tiphy illa per somnum astat Orph. Arg. 538. 554. Interdum, ut numen suum prodant, forma humana deposita, divina conspicui fiunt: sic Venus in Anchisæ amplexibus: Hymn. in Ven. 181 sqq. 175. cf. Burm. ad Anthol. Lat. IV. 13, 12 si irati sunt *majores majoresque* fiunt: Callimach. in Cer. 59. cf. Wessel. ad Herod. VIII, 38: aut inter dicendum agendumque oculis, voce, toto corporis habitu mortali forma majore produnt se, ut omnino divinæ naturæ indicium vel originis habita est oris corporisque majestas, vel pulchritudo. 'Specto,' ait ille ap. Ovid. III.

Digitized by Google

Met. 609, 'cultum faciemque gradumque: Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.' Ita Iris, quæ Beroën simulabat, Æn. v. 647 'divini signa decoris Ardentesque notate oculos, qui spiritus illi, Qui vultus, vocisque sonus vel gressus eunti.' Cf. Odyss. *N*, 288, ubi Minerva, proditura se Deam, repente inter dicendum fœmina fit eximia specie; de Cerere autem Hymn. 188. 189, ubi v. Ruhnk. Inprimis autem huc spectat Iliad. *Γ*, 396 sq., ubi Veneris anui assimulatæ consiliis obsequi cum nollet Helena, tum illa manifesta astat Dea, *καὶ ῥ' οἷς οὖν ἐνόησε θεᾶς περικαλλέα δειρὴν, Στήθεά θ' ἱμαρόεντα, καὶ ὄμματα μαρμαίροντα, Θάμβησέν τ' ἄρ' ἔπειτα·* quem ipsum locum Virgilius versibus supra ascriptis ante oculos habuit, rem tamen aliter tractavit: 'avertens rosea cervice refulsit,' etc. Scilicet occurrit apud poëtas tandem et illa ratio, ut *non nisi sub discessum*, modo ad terrorem faciendum, modo ad numen testandum, mortali forma exuta, divina specie numen spectantium oculos præstringat. Itaque h. l. divinam speciem numenque arguit pulchra cervix, coma suaviter spirans, palla Deæ defluens, cum antea venatricis more esset succincta, tandemque incessus. Videamus de singulis.

Scilicet si abeuntes numen manifestum ac confessum faciunt, signis fere atque notis id faciunt sequentibus: Peractis mandatis modo discedunt sic ut ad Olympum redeant, ut de Mercurio juvenis faciem mentito Odyss. *K*, 307. 308 *Νῆσον δὲ ὑλήεσσαν* ille ad Olympum redit; modo subito ex conspectu eorum, quibuscum loquebantur, auferuntur, evanescunt vel avolant. Alias abeuntes, forma ascititia abjecta, divinam speciem a tergo ostendunt. Sic Apollo in Butæ formam conversus: 'Mortales medio aspectus sermone reliquit, Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram. Agnovere Deum proceres divinaque tela Dardanidæ, pharetramque fuga sensere sonantem,' Æn. IX, 657 sq. Apollinem hic vides in aërem sublatum; cum alibi nube vel obscura caligine involvant se Dii, quippe qui omnino, ut invisi sint, nube se operiant, atque eos quoque, quos subducere vel occultare volunt, nube obducant, ut toties ap. Homerum

Digitized by Google

fit. Sed aliis locis abeuntes Deos declarat incessus levis ac celer, et volanti similis, ut vix pedibus terram attingant; qualis omnino Deorum incessus esse fertur, οὔτε χθόνα μάρπτε πόδεσσιν, Iliad. Ξ, 228. Cf. 284. 5, modo stellæ fatuæ cadenti Iliad. Δ, 75, modo columbæ, modo accipitris volatui comparatus. Notus locus Iliad. Ε, 778 Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι. Harpæ etiam, quæ ex aquilarum genere est, Minerva cœlo descendens assimulatur Iliad. Τ, 350. 1, et Neptunus Calchantis habitu Achivos ad pugnam adhortatus Iliad. Ν, 62 sqq. Αὐτὸς δ', ἅστ' ἴςηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι etc. et subjicit Ajax: non hic fuit Calchas: Ἰχνιὰ γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων Ῥεῖ ἔγνων ἀπιόντος (levi scilicet et suspenso gressu) ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ. At in Odyss. Α, 320 Minerva, cum sub Mentæ persona Telemachi animum erexisset, ἀπέβη, Ὄρνις δ' ὡς ἀνόπαια διέπτατο, et Odyss. Γ, 371. 2 eadem apud Nestorem ἀπέβη Φήνῃ εἰδομένη· θάμβος δ' ἕλε πάντας ἰδόντας. Serpentis lapsum ac tractum nusquam a poëtis Græcis vidi Deorum incessui assimulari: vide tamen Spenc. ad h. l. Singulare est inf. IX, 15. 19, quod Iris arcu et sereno cœlo discessum suum mirabilem facit.

Cum Dei discessu conjunctum interdum illud, ut præter naturam mira aliqua vi affici sentiat modo animum modo corpus is, qui cum Deo in mortalem mutato egerat. Sic supra memorato loco Iliad. Ν, 62 sq. Neptunum, qui Calchantis personam induerat, agnoscit Ajax manuum pedumque insolito vigore viriumque refectione, v. 74. 75, et tetigerat eum Deus discedens sceptro suo. Imitatus hoc est Quint. Cal. XI, 142—144. Aliud exemplum habes Iliad. Τ, 81. 110 Apollinis Æneam restituentis: Ὡς εἰπὼν ἔμπνευσε μένος μέγα ποιμένι λαῶν, et Odyss. Α, 320 Minerva discedens Telemacho non modo incessu, sed et ex eo manifesta fit: τῷ δ' ἐνὶ θυμῷ θῆκε μένος καὶ θάρσος. Hoc idem faciunt interdum Dii tacite et occulte, ut Pallas Menelaum novis viribus recreat Iliad. Ρ, 569.

Quandoquidem in ipso discessu divina species humanæ formæ succedit, commemorantur quoque illa, quæ in specie divina memorabilia sunt: summa oris pulchritudo aut ma-

Digitized by Google

jestas, corpus humano majus et augustius, cum pulchritudine candor corporis, cervix pulchra, comæ promissæ, quales perpetuam Deorum juventam decent, ut in Cerere, Hymn. v. 277. 8, et in loco nostro Virgilii.

Quod inter præsentis numinis signa refertur gratus odor, quem sive totum corpus sive coma exhalat: uti in Venere, h. l. 'ambrosiæque comæ divinum vertice odorem Spiravere;' et Dianæ nec in aspectum prodeuntis præsentia ex divino odore agnoscitur ab Hippolyto apud Eurip. Hippol. 1391: id quidem ductum est ex antiqua vita, quando regiæ opulentiæ erat, unguentis suavibus delibutum corpus habere, antequam frequentioribus commerciis copia majore et expeditiore sumtu unguenta Asiæ in Europam illata sunt. A regum autem luxu, qualis tum erat, adumbrata Deorum vita, adeoque in eam traductum etiam unguentum ambrosia dictum. Sic de Junone Iliad. Ξ, 170 sqq. et de Venere Odyss. Θ, 364. 365 et sup. Georg. IV, 415 sqq. Etiam ap. Hesiod. Scut. Herc. 7. 8. Alcmenæ a capite et superciliis suaves odores spirant, tanquam a Venere. (etsi versus vix a primo carminis auctore sunt.) Ducta hinc sunt ea, quæ de veste stragula Bacchi habet Apollon. IV, 430 sq. Hoc tamen divinæ naturæ argumentum non nisi in elegantioribus Diis locum habere potest; ut in Venere et Apolline; in Diana etiam apud Eurip. l. c.; in Flora apud Ovid. Fast. v, 376: alia exempla v. apud Burmann. ad Anthol. Lat. IV, 13, 30. Insignius ceteris est in Hymno Homer. in Cer. 274 sqq., quod apponam, quia reliqua quoque præsentis numinis argumenta sub discessum continet: *ὡς εἰποῦσα θεὰ μέγεθός τε καὶ εἶδος ἄμειψε, Γῆρας ἀπωσαμένη· περί τ' ἀμφί τε κάλλος ἄητο, Ὀδμὴ δ' ἱμερόεσσα θυηέντων ἀπὸ πέπλων Σκίδνατο· τῆλε δὲ φέγγος ἀπὸ χροὸς ἀθανάτοιο Λάμπε θεῆς, ξανθὴ δὲ κόμη κατενήνοθεν ὤμους· Αὐγῆς δ' ἐπλήσθη πυκινὸς δόμος, ἀστεροπῆς ὥς· Βῆ δὲ δι' ἐκ μεγάρων.* Videmus hic sub discessum Cereris formam divinam receptam: pulchritudinem, ambrosium odorem, candens corpus, comam promissam; lucem per domum fusam. Imitatione quoque expressa res in templis; v. c. de Dea Syria et in teletis: ut apud Apulei. XI.

Digitized by Google

Et hi quidem priscæ et epicæ poëseos præcipui modi divinam præsentiam declarandi, super quibus multa possint argutius disputari, nisi hoc a consilio nostro esset alienum; et facere hoc cuivis ex superioribus est in promtu. Quando autem de origine et causa hujus phantasmatis hominum mentibus subnati quæritur, ablegandus est lector ad Exc. I ad lib. IX, 638. Nec tamen existimandum est, semper hæc tam accurate et diserte a poëtis tractari. Quin sæpe satis habent, Deum memorare cum mortali agentem, numen suum manifestantem, et a mortali agnitum, nulla tamen re adjecta, qua intelligatur, quomodo id fieri potuerit. Scilicet jam ab initio inter poëtam et lectorem tacito consensu convenerat, posse et solere a Diis fieri ea, quæ naturæ morem deserunt eoque ipso mirationem faciunt. Exempla vide Iliad. *Υ*, 319, ubi Neptunus Æneam non latet, et *Ρ*, 334 Apollinem idem *Ἔγνω ἰσάντα ἰδών*. Adde Iliad. *Β*, 172. *Ε*, 794. 815. Sic inf. XII, 632 Juturnam sororem agnoscit Turnus, nec additur, quo signo vel argumento.

EXCURSUS XIV.

EQUI CAPUT OMEN CARTHAGINIENSIUM FORTUNÆ.

I, 446—449. 'Pœni Effodere loco signum, quod regia Juno Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello Egregiam et facilem victu per sæcula gentem.' Caput equinum adeo auspicium et omen fuit futuræ fortunæ; fore Pœnos gentem bellicosam et rerum copiis (ex agricultura, navigatione et commerciis populorum) affluentem. Justin. XVIII, 5, 16 'Ibi quoque equi caput repertum, *bellicosum potentemque* populum futurum significans, urbi auspicatam sedem dedit.' Quas fidiculas verbis, *facilem victu* fore gentem, interpretandis adhibuerint viri docti, vide ap. Cerd. Burm. Trapp. Si Carthaginiensium historiam inspicere

Digitized by Google

meminissent viri docti, in multis hujus et quarti libri locis minus turbassent. Celebrata satis inter veteres res est, Carthaginienses agri colendi studiosissimos fuisse, et totum illum Africæ tractum lætissimo cultu summæ fertilitatis effloruisse. Itaque præclare iis portenditur perpetua victus copia et affluentia; et *facilis victu* est is, qui facilem et paratum victum habet: εὔπορος, ut agrum *frugibus* vel *frugum facilem* dixere veteres. Tenendum scilicet, ea, quæ in vulgari oratione τὸ *facilis* pro adjectivo adjunctum habent, poëtice ita efferri; ut si *alloquium regis facile* exprimendum sit, *facilem regem alloquio* vel *alloquii* dicat poëta, ut Val. Fl. v, 407 *littus quod faciles appulsus habet*, idem *littus facile appulsibus*. Ita, quæ *victum facilem* fundit humo *tellus* Georg. II, 460, est etiam *tellus victu facilis*: et sic *gens victu facilis*, quæ habet victum, alimenti copiam paratam, affluentem, propter agrorum scilicet fertilitatem et ubertatem. Simili modo infinita alia ad prosaicam formam comparanda sunt. Æn. VIII, 318 *asper victu venatus*, h. e. qui victum asperum, qualis est vitæ asperæ, duræ et pauperis, præbet. *Nox aspera curis*, Val. Fl. III, 362, quæ curas asperas secum affert, et sic porro. *Equus* autem quidni ferax et lætum solum, equis alendis idoneum, ominetur? cum hoc armentum pabuli copiam et uberem agrum inprimis sibi poscat. Vide, si talis res auctoritate indiget, Columellam de R. R. VI, 27. Varia quidem de hoc portento inter fundamenta urbis reperto fuit narratio, nam alii (v. Justin. l. c. Serv. et Pompon.) primo caput bubulum, alii palmam simul repertam tradiderant, proxime tamen ad nostrum alii ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 195 εὗρον κεφαλὴν ἵππου, καὶ συμβαλόντες σημαίνεσθαι σχολὴν αὐτοῖς καὶ παρ' ἄλλων δόσιν τροφῆς, παθὰ καὶ τοῖς ἵπποις, ἔκτισαν ἐν τοιούτῳ τόπῳ Καρχηδόνα. Sane diversa interpretatio de otio ac pacis studiis, inprimis ex mercatibus; vides tamen hoc ipsum, *facilem victu*, ita expressum, ut sine multo labore victum inveniant. Quod Æn. III, 540 sqq. diversum ex equis augurium petitur, nihil officit. Poterant enim eædem res diversis temporibus et rerum conditionibus ad diversa trahi omina. Ita ἵππον πο-

Digitized by Google

λέμιόν τε καὶ ἐπήλυδα, *bellicosum et advenam* interpretabantur vates Telmessenses ap. Herodot. I, 78.

EXCURSUS XV.

PICTURA IN TEMPLO CARTHAGINIS AB ÆNEA PERLUSTRATA.

I, 457 sqq. 'Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,—Dum—Artificumque manus inter se operumque laborem Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas.' De pictura vulgo hæc accipiuntur; et v. 468 *picturam* expresse appellavit. Quod si verum est, adversus temporum rationem peccare poëta maluit hæc commemorans, modo gratis rerum imaginibus delectaret. Nam *Iliacis temporibus non fuisse* pingendi artem *apparet*. V. Plin. XXXV, 6. Observatum hoc jam est Gogueto de origg. legg. art. et discipl. Tom. III, p. 346. Et Homerum sculpturæ opera in omni metallorum genere memorare, *nulla picturæ*, unicuique Homerum legenti facile succurrit. Videndum igitur, an Virgilius non de pictis tabulis, sed de anaglypho opere, et quidem ex ære, quod antiquissimum fuit genus, et quo ducunt fores ex ære factæ v. 452. 453, agere dicendus sit. Nam, quod *picturam* dixit, hoc poëtica elegantia de quovis opere, quod figuras rerum ac signa repræsentat, bene memorare potuit. Accipiendum autem ita esset de sculptorio opere in foribus templi ac valvis ex ære facto: in his enim, ut et in fastigiis, templorum pariter ac palatiorum frequens fuit cœlatura: cf. Paus. I, 24. V, 10. X, 19. VIII, 45. Cic. Verr. IV, 56 et porticus templi Jovis Olympii apud Agrigentinos: v. Diodor. XIII, 82 in qua et exsculpta ἅλωσις τῆς Τροίας heroibus suo quoque habitu expressis: et solent poëtæ in argumentis ejusmodi sculpturæ sibi placere: ut noster Ge. III, 26 sqq. Æn. VI, 20 sqq. Sic Ovid. Met. II, pr.

Digitized by Google

in regia Solis. Silius III, 32. in templi Herculis foribus: ad q. l. cf. Drakenb. Valer. Fl. V, 411 in fastigio templi (ita quidem nobis videtur) et in foribus 417—465 expressas historias apud Colchos memorat; sapienter quidem hoc; sed idem in operis summa infelix; non enim apparet, quorsum ista descriptio anaglyphi inserta sit. At noster poëta ad confirmandum Æneæ animum his rerum imaginibus egregie utitur. Anaglypha idem et alibi memorat, ut inf. 644. Inter hæc tamen commento illi sculpturæ h. l. non magis confidam, quam ei, quod multo minus probabiliter in animum venit viro docto, ut crederet, hic de textura agi. Nisi vim facias verbis, non nisi de tabulis pictis agere poëta potuit: et dicendus ille est maluisse morem Italiæ suæ sequi, in qua passim visebantur porticus templorum pictæ. Res Trojanas inter argumenta fuisse, vel ex Petronio 29 et 89 discere licet: cf. Wernsdorf. P. Min. T. IV, p. 605. Nihil frequentius eodem more inter Græcos, quos, parietes templorum et porticus picturis exornasse, multa docent exempla apud Plinium et Pausaniam, ut Athenis I, 17 in Thesei templo; I, 18 in templo Dioscurorum; I, 20 in t. Bacchi; cf. c. 25. 26. et Athenæum X, p. 456 extr. inprimisque templum Minervæ ap. Cicer. Verr. IV, 55. Trojani autem belli historiæ, etsi in populo qui nihil cum Trojanis et Græcis commune haberet, recte tamen poterant operis ab arte profecti argumentum præbere. Solet enim ars externas historias, inprimis claras et nobiles, sibi materiem facere; et ab Etruscis, saltem ab Italis, similiter belli Trojani historiam, quanquam illa aliena ab hoc populo erat, in tot monumentis, inprimis sepulcralibus, expressam videmus. Ceterum ea, quæ mox memorantur, non continui alicujus operis uniusque tabulæ argumentum sunt habenda; certe nihil in poëta video, quod ita statuere jubeat; sed singulæ historiæ singulorum operum argumentum constituere putandæ.

Digitized by Google

EXCURSUS XVI.

DE RHESO.

I, 473. 'Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis.' Novavit plura in rebus Trojanis Maro ab Homero aliena, et morem ætatis suæ prætulit; Trajicos ea in re secutus, qui equites, tubas, et alia memorant, quæ heroica vita ignoravit. Nunc *tentoria* narrat *niveis velis:* in quibus non tam illud me movet, quod *nivea* tentoria fecit, eo scilicet, ut vel noctu nitore fulgentia late essent Diomedi et Ulyssi speculantibus conspicua; sed quod Trojanis temporibus tentoria nondum erant *lintea*. Achivorum κλισίαι stipitibus lignisque constabant, vimine intertexto humoque aggesta, adeoque tuguria potius. V. Iliad. *Ω*, 449 sqq. cf. Eustath. ad Iliad. *Λ*, 185. Recte et Tzetza in Antehomericis, a viro doctissimo Jacobs nunc editis, Achæi: τεῦξαν δὲ κλισίας πλεκτὰς, σταβάραις (h. e. σταυροῖς) ἀραρυίας· et Tryphiod. 139. πῦρ ἴδιον πλεκτῇσιν ἐνὶ κλισίῃσι βαλόντες· ad quem versum loci nostri haud oblitus est doctiss. Northmore. Thraces vero illa nocte ne in talibus quidem tentoriis, sed, ut erant, nuda humo recubabant; πεδοστιβεῖς ut in Rheso 763 sqq. quid? quod totus Trojanorum exercitus sub dio noctem agebat, quantum quidem ex Homerica lectione memini. Etiam Rhesi Trag. auctor tantum εὐνὰς Thracum et κοίτας memorat. At Dictys tentoria memorat p. 60, l. 45.

EXCURSUS XVII.

DE TROILO.

I, 478—482. 'Parte alia fugiens amissis Troilus armis, Infelix puer, atque impar congressus Achilli, Fertur equis, curruque hæret resupinus inani, Lora tenens tamen: huic

Digitized by Google

cervixque comæque trahuntur Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.' Troilus Priami f. (aliis Apollinis. cf. Not. ad Apollod. p. 762) admodum puer, h. e. in prima juventa constitutus ('impubem Troilon' Horat. dixit II, 9, 15: 'nimium cito Congresse Achilli Troile' Senec. Agam. 747. 748) ab Achille victus. Factum jam ante Iliadis tempora. Nam libro ultimo inter occisos ab Achille filios Priamus Τροΐλον ἱππιοχάρμην memorat, Iliad. Ω, 257. Meminit etiam Quintus Paralip. IV, 155. 419 sqq. inter superiorum temporum res ab Achille gestas; et in hoc præivisse auctorem Cypriorum carminum, e Proclo didici. Alii serius et post Memnonis demum interitum collocasse videntur, ut ex Lycophrone 307 sqq. et Tzetza ad e. l. et in Posthomer. 353 sqq. colligas. Et sic manifeste Dictys qui vulgo fertur IV, 9. Post Hectorem Ausonius Epitaph. 18, qui h. l. expressit. Omnino varie hanc narrationem a priscis poëtis tractatam fuisse necesse est. Inprimis tamen infames fuere Achillis amores in Troilum pulcherrimum puerum, vid. Tzetza ibid. et ad e. Canter. Nov. Lect. II, 9, et h. l. Cerda post Servium: quanquam Tzetza pro solita sua stultitia sponsione certat, Troilum magnum jam natu fuisse. Nata autem sine dubio est ea fabula e poëtarum lusibus, qui puerorum amores inprimis Achillis exemplo defendebant; quam ad rem summum illud occisi Patrocli desiderium memorari solebat. Fuere ex eo genere plures, ut Phanocles, cujus Ἔρωτες ἢ Καλοὶ nuper in memoriam revocati fuere fragmento e Stobæo a Ruhnkenio v. c. retractato. Cf. Notæ ad Apollod. p. 532 sqq. Illud mireris, quod jam Lycophron fabulam hanc Troili interpolatam secutus esse videtur l. l. et Aræ auctor carminis, quod inter Simmiæ παίγνια habetur. Ceterum Virgilius Troili cædem ita narrat et tractat, ut is cum Achille congressus vulnere accepto curru exciderit, pedibus tamen ita impeditus, ut supinus e curru delapsus ab equis raptaretur (compara Iliad. Z, 42. 43), cum interea nec hastam nec fræna e manibus dimitteret; itaque hasta inversa per terram tracta sulcos in pulvere tractim faciebat. Aliter Dictys l. l. Dares c. 33. Josephus Isca-

Digitized by Google

nus VI, 289 sqq. Tragœdiæ Troili nomine inscriptæ fuere olim Sophoclis, et aliorum. Observabimus tandem recentiorum quoque fabularum factum esse Troilum argumentum, Lollii quidem Urbinatis, et Guidonis de Colonna. Unde Chaucer duxit suum Troilum et Cressida. Extat quoque Ms. Alberti Stadensis carmen elegiacum historiam belli Trojani complexum, Troili nomine inscriptum in bibliotheca ducali Guelpherb.

EXCURSUS XVIII.

DE HECTORE CIRCA TROJAM RAPTATO.

I, 487. 'Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros' Achilles. Observatum et hic et ad Homerum jam ab aliis (add. Wernsdorf ad Epit. Iliad. P. M. T. IV, p. 742), Homerum raptati circa Trojam Hectoris non meminisse. Ter circa urbis muros fugit Hector (Iliad. *X*, 208), cæsus autem e curru ligatus statim ad naves trahitur, v. Iliad. *X*, 399 sqq., ubi ter quotidie circa Patrocli tumulum raptare eum solebat Achilles, Iliad. *Ω*, 14 sqq. Tractum igitur Hectoris cadaver circa muros aut uni ex Cyclicis aut ex Tragicis deberi puto, qui omnia fere belli Iliaci facta variis modis tractata et ornata pro consilii ratione sæpe inflexerant et variaverant. V. Excurs. ad Æn. II, pr. Fuere autem hujus argumenti tragœdiæ olim plures Æschyli, Timesithei, Dionysii Tyranni, Ennii, *Ἕκτορος λύτρα* inscriptæ, aliorum *Πρίαμος*, *Ἀχιλλεύς*. Virgilius tamen inprimis ante oculos habuisse videtur Euripidem, quem inter ceteros ille probavit, Androm. v. 105. 106. Hanc Ennius latinam fecerat, ex eaque hic ipse locus de miserabili Hectoris cæde superest: v. Fragm. Ennii p. 239. Est ex ea vox sonora et splendida *raptaverat* petita. Cf. inf. II, 272. Actum est nuper pluribus de raptato Hectore ad Ilium, non circa Ilium, ad libellum Lechevalerii qui Descriptio Troadis inscribitur.

Digitized by Google

EXCURSUS XIX.

DE MEMNONE.

I, 493. 'Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.' Memnonis ad Trojam adventus, et pugna cum Achille ac cædes, inter res Iliacas post Iliadem celebre argumentum, quod inprimis nobilitaverat Arctinus Milesius, cujus Æthiopis libris v olim fuit lectitata. Ejus argumentum a Proclo servatum e cod. Vatic. datum vid. in Biblioth. ant. litt. et art. unde intelliges, carmen illud initium cepisse ab Penthesileæ accessu ad urbem, atque etiam post Memnonis mortem complexum esse Achillis extrema, ludos funebres ei factos et judicium armorum inter Ulyssem et Ajacem. Nihil itaque mirum, quod Schol. Pindar. I, 4, 58 Ajacis αὐτοχειρίαν ex illo carmine docet. Etiam in Tabula Iliaca a Fabretto edita Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον ascripta, tanquam ex qua rerum expressarum pars petita sit. Arctinum ad Olymp. IX Suidas, ad IV refert Eusebius Hieronymi MCCLIV, ubi v. Pontac. Scalig. Vallars. item Salmas. ad Solin. p. 599. 600, Ryck. de prim. Ital. colon. p. 440. Eidem Ἰλίου Πέρσις tributa, de qua v. Excurs. I ad lib. II pr. Secundum veteres, quos amisimus, late describitur Memnonis fatum a Quinto Paralip. lib. II et Dicty IV, 4. VI, 10. et ultimo loco a Tzetza in Posthom. 212 sqq. ubi v. Jacobsii nota, qui Sturzium quoque excitat ad Hellanici fragm. p. 149. Multis etiam olim tragœdiis fuit celebratus Memnon, Æschyli inprimis et Sophoclis, cujus Αἰθίοπες ejusdem argumenti fuisse videntur, et, quod probabile fit, una eademque cum *Memnone* fabula. Memnonem etiam Homerus ipse memoravit Odyss. Δ, 188. ubi Nestor filium Antilochum ab eo cæsum prodit; est ibi Ἠοῦς φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός. Et Λ, 521 Ulysses Neoptolemum prædicat κάλλιστον μετὰ Μέμνονα δῖον. Fuit itaque Memnon pulcherrimus juvenis. Virgilius tamen *nigrum* appellat. Scilicet Tithoni et Auroræ filius Indos et

Digitized by Google

Æthiopes adduxisse fertur, ut Trojanis opem ferret: sive quod fama acceptum erat, venisse Trojanis socios et auxilia ex terris ad orientem Troadis sitis, sive quod a Cyclicis tota illa narratio fuit illata rebus Troicis. Obscurior est de Memnone fabula, et quæ modo ad Ægyptum superiorem, modo ad Assyriorum adeo origines revocetur. Vide a Pocockio congesta ad Memnonis signum illustrandum in ruinis Thebarum (Descript. of the East Tom. I, p. 101 sqq. et in Inscription. ant. græcis p. 80 sqq. 91 sqq.). Sed ne poëtæ absurda commenti esse videantur, hoc saltem monebimus, Assyriorum imperium videri illo tempore usque in Asiam minorem prolatum, atque ex iis finibus, adeoque ex Oriente (hinc *Eoæ acies*), non vero ex Assyria proprie dicta, potuisse fingi vel tradi aliquem Memnonem, Auroræ, *Ἠοῦς*, filium, copias Trojanis adduxisse; Indos et Æthiopes poëtæ vocant; quo nomine omnes ad Orientem sitos populos, in Australibus inprimis plagis, declarabant veteres. Ornata deinde variis modis et amplificata fabula. Cf. Pausan. X, 31 p. 875. Schol. Pind. Nem. 6, 85. 3, 106. add. inf. ad v. 751. Fuit quoque Memnonis sepulcrum haud longe ab Æsepo ad septentrionem Troadis finium: Strab. XIII p. 878. c. Confusa tandem cum alio Memnone Ægyptio, *Pha-menopha* apud Paus. I, 42 p. 101, alibi *Amenophis*, f. Amun-no-phi, secundum Jablonsk. de Memnone p. 31. Erat is Sol oriens: id quod statua quoque sub orientem Solem vocalis declarabat.

EXCURSUS XIX.*

DE AMAZONIBUS AUXILIUM ILIO FERENTIBUS.

I, 494. ‘ Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet, Aurea subnectens exertæ cingula mammæ, Bellatrix, audetque viris con-

Digitized by Google

currere virgo.' Quæ mythi de Amazonibus origines fuerint, incertum est; fuisse tamen fundum aliquem historicum, famam antiquam, multa arguunt. Verum de his disputandi locus hic non est. Vide notata ad Apollod. II, 5, 9. Not. p. 372 sq. Quæ cum Virgiliano loco conjuncta sunt, partim e belli Trojani historiis, partim ex Amazonum specie et habitu repetam.

Induxerant Amazones in belli Trojani historias poëtæ qui post Homerum scripsere, et in his primo, ut suspicor, loco Arctinus in Æthiopide, quantum ex Proclo colligere licet (Biblioth. d. a. Litt. P. I. p. 33 Ined.) quia antiquiore aliqua fama celebratæ erant Amazonum irruptiones in Asiam minorem factæ, inprimis in Lydiam et Phrygiam; quarum una in Priami tempora inciderat: Il. Γ, 189. Intulere hinc Amazones in heroum tempora et facta Cyclici propter rei novitatem admodum licenter; memoratæ adeo Amazonum pugnæ sunt in Argonauticis, Heraclea, Theseide, etiam in Bacchi profectione ad Indos: quæ omnia fuere poëtarum commenta; at illud, quod in Homero memoratum erat, a fama profectum. Priamus adversus eas arma tulerat; at Penthesilea auxilio Trojanis fuit accita.' Post eos, qui periere, exponit cyclicorum narrata Quintus lib. I. et pleraque ex eo Tzetza in Posthomericis pr.

Virgilii locus inprimis disertus est in specie et habitu Amazonum reddendo. Satis notæ sunt earum *peltæ lunatæ*. Quod *ex equis* pugnarunt, non attigit. At *mammam nudam* memorat.

Dextra fuit ea mamma, fabulis et arte celebrata: fabulis quidem, quod *exusta* fuisse fertur; arte, quod ea *exerta* est, non exusta, quod visu ingratum respuerat ars. Verum et ipsa res docere potest, dextram fuisse, quæ exureretur, ne arcui intendendo et remittendo tumor esset impedimento. Inf. XI, 649. Amazon dicta Camilla est 'unum exerta latus,' quod Silius imitatus lib. II, 79. reddit 'dextrum nuda latus.'

De Amazonum specie in priscæ artis monumentis obvia, plura nunc in vulgus innotuerunt quam illis annis, cum prio-

Digitized by Google

ribus vicibus commentabamur in poëtam. Neque adeo necesse est, nunc multa commemorare. Attingam tantum potiora, quæ iis, quorum studia in ea antiquitatis parte collocata haud fuere, prodesse possunt. Antiquæ artis frequens fuit argumentum jam inde a Phidia, sculptum in scuto Minervæ Athenis, Amazonum prælium (Plin. XXXVI, 4, 4) et in basi simulacri Jovis Olympii (Pausan. V, 11. p. 402). In lorica autem seu humili pariete, ante Jovis simulacrum ducto, Penthesilea vulnerata, picta a Panæno, Phidiæ fratre (ibid.). Alia erat Penthesileæ pictura Polygnoti Delphis (ibid. X, 31. p. 875 f.) et pugna Theseï cum Amazonibus, picta in Pœcile a Micone (ibid. I, 15) Certamen artificum in dedicando ex ære signo in templo Ephesiorum v. ap. Plin. XXXIV, 19 pr. Fuere ii artifices Polycletus, Phidias, Ctesilaus, Cydon, et Phradmon. Præterea Plinius Desilai Amazonem vulneratam, (XXXIV, 19, 15) et Strongylionis Amazonem *eucnemon* (ibid. s. 21) utramque ex ære, memorat. Debuit Phidiæ alia esse Athenis Amazon *hastæ innixa*, si vera dixit Lucian. Imagg. 4. Antiquius omnibus enumeratis signum fuit Aristoclis Cydoniatæ ultra Ol. XXIX. assurgens ævo, (Paus. V, 25. p. 445.) Olympiæ positum, Herculis cum Amazone equestri pugnantis. Narrata hæc sunt eo consilio, ut quam vulgatum artis argumentum hoc fuerit, appareat, utque recte hoc a Marone inter picturas referri intelligatur. Ex iis monumentis, quæ ad nostra tempora servata sunt, facile princeps est signum e marmore, cum titulo: *translata de schola Medicorum*, (ἐκ λέσχης) olim in hortis Matthæiorum, nunc in Museo Pio-Clementino (Vol. II, 38) in pulcherrimis habitum; mamma dextra nudata stans. Sunt alia in Museo Capitolino, alia aliis in locis, præclara Amazon equestris ex ære inter Herculanensia; sed ad locum nostrum facit anaglyphum in Villa Borghesia apud Winckelmann. (Monum. ined. CXXVII.) in quo Penthesileæ adventus ad Priamum exhibetur. Amazonum imagines frequentes sunt in numis multarum Asiæ urbium, quæ origines suas ab Amazonibus repetebant.

Digitized by Google

EXCURSUS XX.

DIANÆ ET NYMPHARUM CHOREÆ.

I, 502—507. 'Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi, Exercet Diana choros; quam mille secutæ Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnes; Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus: Talis erat Dido; talem se læta ferebat Per medios.' Expressa suavissima formæ Didonis et speciei corporis proceræ cum Diana comparatio, cujus semina jam in nobilissimo illo versu de Helena Odyss. Δ, 121. 122 Ἐκ δ' Ἑλένη θαλάμοιο θυώδεος ὑψορόφοιο Ἤλυθεν, Ἀρτέμιδι χρυσηλακάτῳ εἰκυῖα latent, et Odyss. Z, 101 sqq. Τῇσι δὲ Ναυσικάα λευκώλενος ἤρχετο μολπῆς. Οἴη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα, Ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον ἢ Ἐρύμανθον Τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι, Τῇδε θ' ἅμα Νύμφαι, κοῦραι Διὸς Αἰγιόχοιο, Ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ· Πασάων δ' ὕπερ ἦγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, Ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαί δέ τε πᾶσαι· Ὣς ἦγ' ἀμφιπόλοισι μετέπρεπε παρθένος ἁδμής. In qua Homerum cum Virgilio contulerunt viri docti, iniquo fere judicio, cum modo in singulis partibus hærerent, et ex accessoriis rebus vim totius comparationis definirent, modo alterius poëtæ cæco amore omnem laudem ad eum, contemto altero, traherent. Probus, etiam Pomponio Sabino ad h. l. laudatus, ap. Gell. IX, 9 (cf. Macrob. V Sat. 13 et 14) 'nihil quidquam tam improspere Virgilium,' ait, 'ex Homero vertisse' —quem locum ibi vide, et expende Grammatici pravum acumen. Nam singula refellere non vacat. Contra Jul. Cæs. Scaliger in Poëtice V, 3 p. 219 'Virgilianos versus a magistro, Homericos vero a discipulo confectos' ostendere vult. Sed erat summus Vir omnino Homero iniquior. Probum vel Scaligerum exscripserunt vel secuti sunt plurimi alii, etiam nuper Martorellus (in gli Euboici secondi Abitatori di Napoli p. 405). Nobis quidem, ut in aliis, inventi laudem,

Digitized by Google

quæ haud dubie est major, Homerus, majoris ornatus commendationem habere videtur Virgilius; et esse in utroque, quod probes, quod mireris. *Choros* egregie substituit Virgilius, cum Homerus *lusum* memoret: παίζουσι, quod, etsi et ipsum de choreis ac saltatione solenne, ut v. c. Odyss. Θ, 250. 251 (et paulo ante μολπὴ cantus cum saltatione: v. Græv. Lect. Hesiod. c. 19); vix tamen Homerus, quæ ejus verba sunt, alia de re quam de incessu et discursitatione venantium cogitare potuit. Variavit itaque Virgilius rem, et multo splendidiorem speciem exhibuit χορευούσας, non discurrentes, Nymphas.

Vituperant tamen in Marone choros Dianæ, Deæ venatrici, tributos, et præferre hactenus possis Silium, qui in re venatoria substitit in loco e nostro expresso lib. XV, 772 sqq. 'Ut, cum venatu saltus exercet opacos Dictynna, et lætæ præbet spectacula matri, Aut Pindi nemora excutiens, aut Mænala lustrans, Omnis Naiadum plenis comitata pharetris Turba ruit, striduntque sagittiferi coryti:—exultat vertice montis Gratam perlustrans oculis Latonia prædam:' aut illam Claudiani R. P. II, 62—70, ubi Amazonum *cohors* memoratur. Scilicet non meminere viri docti, cum antiquorum hominum more solennis in solemnibus festis et sacrificiis esset saltatio cum cantu, traductas esse choreas, ut alia vitæ humanæ gaudia, ad beatam Deorum vitam. Ducit chorum Bacchus, ducit Apollo, ducit Diana, Venus. Inprimis autem puellares choreas dederunt veteres Veneri cum Gratiis et Nymphis; quod ex iis in suum carmen derivavit Horat. I, 4, et Dianæ cum Nymphis, v. c. apud Callim. in Dian. 170 sq., unde ejus Nymphæ χορήτιδες v. 13. 14. In talibus autem choris haud dubie, quæ procerior et pulchrior est corpore, eminet super ceteras. Aliam viam ingressus erat Apelles, qui 'Dianam *pinxerat* sacrificantium virginum choro mixtam: quibus vicisse Homeri versus *videbatur*, id ipsum describentis.' Plin. XXXV, 36, 17. Velim utique Plinium aut disertius aut subtilius rem exposuisse: si sacra facientes puellæ chorum ducebant, non bene intelligitur, quo jure Dianam illis inserere potuerat Apelles: cui enim sacra

Digitized by Google

faciebat Dea? aut quomodo sacris seu suis seu alienis interesse illa poterat? Tum quomodo artifex Homeri versus vincere dici potuit 'id ipsum describentis!' cum Homerus longe aliam Dianæ cum Nymphis ludentis speciem expresserit. Corruptelam in voce *sacrificantium* quærere cum Lessingio (in Laocoonte p. 224) vix ausim, cum nulla adsit ratio critica probabilis. Dubitare licet, sitne 'sacrificantium virginum chorus' de choro proprie dicto accipiendus; an *chorus* dictus sit pro turba ac multitudine: ut ap. Ovid. II Met. 441 sqq. 'Ecce suo comitata choro Dictynna per altum Mænalon ingrediens,' &c. Pinxerat forte Apelles sacrum Dianæ, cui ipsa Dea interesse dignata erat; ut ap. Apollon. III, 875 sq. ubi Medea comparatur cum 'Diana ad sacrum properante:' incedit illa τηλόθεν ἀντιόωσα πολυκνίσσου ἑκατόμβης.

Eurotam tribuit Dianæ Virgilius, Laconicæ fluvium, qui *Taygetum montem* alluit, quem Homerus memoraverat. Nec *Cynthus* inepte nominatur, utpote Deli insulæ mons. Magnus numerus Nympharum bene declaratur: 'quam mille secutæ Hinc atque hinc glomerantur Oreades.' Nympharum comitatum Latonam circumstantem pulchre etiam Apollon. expressit in loco insigni paulo ante laudato, et cum hoc comparando III, 875—884: incedit ibi Diana curru vecta Nympharum comitatu stipata, sacro interfutura. Alio invento Penthesilea inter Amazones eminens cum Luna inter sidera et cum Aurora comparatur a Quinto Smyrnæo I, 36 sqq., quod proxime accedit ad illud Horatianum: 'velut inter ignes Luna minores.' Quod 'pharetram Fert humero' Diana, otiosum (quanquam vel sic positum, ornaret tamen; cum Dea sit ἰοχέαιρα) haberi nequit, siquidem Nymphas 'supereminet omnes:' conspicuique adeo sunt humeri Deæ. Jam hoc quidem ornatius extulisse Homerum, negari nequit: Πασάων δ' ὕπερ ἦγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα, Ῥεῖά τ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι· in quibus inprimis novissima verba præclare dicta sunt. Recte itaque ab his abstinuit poëta Romanus. In versu autem 502 cum Homero certasse videri potest: cujus γέγηθε δέ τε φρένα Λητῶ reddidit: 'Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus;' quod enim Homerus in

Digitized by Google

medio collocaverat, ipse in fine subjecit. Est etiam hoc in artificio magnorum poëtarum, ut in fine comparationis adjiciant adjunctum vel factum aliquod, quod illam notionem, ad quam illustrandam tota comparatio erat instituta, inprimis animo audientis infigit. Feliciter illud interdum ab aliorum sensu et opinione ducitur, aut a vi, quam res ad eorum animos et affectus habet. Ita h. l. præclara Dianæ species mirifice declaratur Latonæ matris sensu, quæ si miratione filiæ defixa fuit, quid de aliorum judicio expectabimus? 'Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus;' exultat tacite et in sinu gaudet, animadversa hac filiæ suæ divina formæ majestate. Atque hoc decus Virgilius sibi conflavit ex illo, quod temere inter cetera abjectum repererat: γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ. Conf. imitationem Claud. R. P. II, 69 sq. In illis: 'gradiensque Deas supereminet omnes,' multi certarunt cum Virgilio. Statius I Sylv. 2, 115 'Latias, metire, quid ultra Emineat matres, quantum Latonia Nymphas Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exto.' Incessum Æneæ simili modo per Apollinis incessum declaratum videbimus inf. IV, 142 sqq. Juvat tandem observare et hoc, post alios, nisi fallimur: in forma Didonis describenda uno epitheto defungi poëtam: 'pulcherrima Dido:' tam parum poëta ulteriore pulchritudinis descriptione immorandum sibi esse putabat: nec facile corporis formosi speciem per partes describere ullus poëta, si sapit, laborabit.

EXCURSUS XXI.

DE ANTIQUO ITALIÆ NOMINE.

I, 534—537. et III, 163—166. 'Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt—Œnotri coluere viri; nunc fama, minores Italiam dixisse ducis de nomine gentem.' Nomina

Digitized by Google

Italiæ omnia a Græcis venisse videntur; an inter incolas toti huic terrarum tractui nomen commune impertitum fuerit ac quale, ignorari, aut verius, nullum omnino ab initio fuisse, putamus. Ita enim fert rerum hominumque ratio ac mos, ut nomina non imponantur rebus nisi iis aut ab aliis aut inter se discernendis; adeoque nec terris ac regionibus imposita fuere nomina nisi hominum commerciis subnatis; ut aut diversarum stirpium ac gentium sedes designarentur, aut ut accolæ ac fines dirimi ac regi possent. Inventa ita que terrarum nomina partim inter tribules ac populares, partim ab advenis. Prioris generis nomina, id quod ipsa rei ratio credere jubet, ad angustos tractus, quos aliqua stirps, tribus, vel gens tenebat, spectarunt; alia nomina in his substitere, alia inde latius ad proxima quæque loca proferri cœperunt. Aliter res se habere potuit in nominibus, quæ ab advenis seu negotiandi seu visendi causa fines ingressis invenirentur; quippe quæ magnum terrarum tractum jam ab initio declarare possunt, dummodo, fines aut oram ac littus aut populum tam late protendi, primo statim aditu constabat. Cf. Exc. II extr. ad lib. VIII. Potuit adeo isti terrarum tractui, quam Italiam appellamus, initio a certa oræ maritimæ parte vel loco facto, nomen impositum esse a Phœnicibus, quod tamen nunc ignoramus. Nomina, quæ tenemus, Græcæ fere originis sunt: verum Græci non nisi exiguos littoris tractus ab initio cognitos habuere. *Saturniæ* quidem nomen, quod Dionysius Halic. I, 34 putabat, vix fuit commune ac vulgare, sed est poëtarum; etsi primo ad locum aliquem circa Tiberim spectasse dicitur: v. ad lib. VIII Exc. II extr. *Hesperiæ* nomen, terram ad occidentem sitam declarans, commune fuit cum Hispania; ut satis appareat, Græcis ex omni Europa primam innotuisse Italiam, nec nisi navigatione ad ulteriora facta, Iberiam quoque in notitiam venisse. Reliqua Italiæ nomina, cum certo agro vel certæ regioni, quam primum adierant vel coloniis frequentarant Græci, essent propria, ad remotiores terras, modo angustius modo latius, tandemque ad totum hunc ab Alpibus procurrentem tractum fuere traducta. *Œnotria* ab

Digitized by Google

initio fuit ager inter Lameticum s. Terinæum sinum ac Scylacium, qui serioribus temporibus Bruttiorum erat. Appulerunt enim Œnotri Pelasgi in littore hoc Italiæ interiore, atque Ausonibus hinc ejectis protulerunt fines suos primum versus Laum fluvium et Metapontum urbem, mox usque ad Silarum et Bradanum, forte etiam latius; Dionysius quidem hos ipsos Pelasgos ad Latium progressos, Umbris Siculisque expulsis, et cum Aboriginibus permixtos ea loca tenuisse narrat; sed ex opinatione ita statuens; cum non meminisset, alteram Pelasgorum multitudinem, in mare Adriaticum evectam, aliunde per Umbriam ad ista loca penetrasse. Propter cognationem tamen stirpis, aut etiam secundum illam Dionysio quoque probatam opinionem, Œnotri totam Italiam obtinuisse dici possunt, et ipsa Italia *Œnotria*, uti a prioribus incolis *Ausonia*, et a Chonibus, Œnotrorum parte, *Chonia*. Accuratius hæc, etsi primis lineis, secundum Aristotelem de rep. VII, 10 et Strabonem VI p. 391 comparato Dionysio I, 11 sq. 35 sq. post Cluverium a nobis exposita sunt in Guthriani operis (Allgemeine Weltgeschichte) recensione T. IV p. 75 sq. et al. Successit *Italiæ* nomen, idque paulo serius: 'nunc fama, *minores* Italiam dixisse ducis de nomine gentem.' Ergo Trojani saltem belli tempore in Œnotriæ locum alterum Italiæ nomen successisse, audierat Virgilius. Convenit hoc fere cum eo, quod Dionysius Halicarnassensis habet, XVII γενεαῖς seu ætatibus h. e. 450 annis ante bellum Trojanum, Œnotros Italiam accessisse: etsi hoc conjectura tantum, neque ea satis probabili, apposuisse videri debet: cf. Exc. IV ad lib. VII. Add. Commentat. de fabulis Gr. inter Etruscos in Tom. III. Nov. Comm. Soc. Sc. Gotting. p. 35. 36. Ipsum *Italiæ* nomen ab initio illi parti fuit proprium, intra cujus fines Œnotria principio includebatur, Antiocho Syracusio teste apud Strabonem VI, p. 391, et Dionys. Halic. I, 34. Ab *Italo*, qui ex regibus post Œnotrum gentis conditorem fuit, nomen ductum idem Antiochus tradiderat: v. loca laudd. Hellanicus autem Lesbius cum Timæo ap. Gell. XI, 1 aliisque a *vitulis*, ἰταλοῖς (Leguntur eadem in Apollodoro II, 5, 10, sed v. No-

Digitized by Google

tas p. 400 sqq.); utrumque tamen conjecturæ potius Græcanicæ, quam acceptæ a majoribus narrationis fidei, deberi videtur. Saltem hoc ex iisdem locis teneri forte potest, circa Herculis Thebani demum tempora Italiæ nomen invaluisse. Omnino super nominis origine multa alia aut commenti sunt aut tradidere veteres. V. Serv. ad h. l. I, 587. adde his Bocharti somnia (Canaan I, 33). Siculorum regem appellat Italum etiam Thucydides VI. cf. Cluver. Ital. I, p. 10 sqq., qui tamen frustra conatur efficere, ut Italiæ nomen Latio proprium fuisse videatur. Ceterum, quod in Servianis ad v. 536 lib. I legitur: Œnotria, 'ut Varro dicit, ab Œnotro, Sabinorum rege,' videndum est, an a seriore manu inculcatum sit. Consentit enim cum iis, quæ a Catone Anniano p. 6 traduntur.

EXCURSUS XXII.

AURO INCLUSUM EBUR, MARMOR, ARGENTUM.

I, 592—597. 'Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,— Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo Argentum Pariusve lapis circumdatur auro.' Comparationem vulgo male institutam in altera editione deserueram: recte quoque adversus illam disputavit Meierotto v. c. in Dubiis p. 85. Primum conferenda cum h. l. inf. X, 135 sqq. Homer. Odyss. Z, 229—235. Ψ, 156. 162. De statua ex ebore, argento, vel marmore facta vix recte hæc accipias; quorsum enim pertinere τὸ *circumdatus* dixeris? nam ad inaurandi artificium multo minus bene hoc referas. Cogitandum saltem de sculptura vel anaglypho. Enimvero accipere præstat simpliciter de ornamento aliquo vel cimelio, ex ebore, argento, vel marmore facto, quod intra aliam materiam, h. l. aurum, comprehensum et inclusum est, ut ita auri splendore

Digitized by Google

repercusso interioris materiæ candor et nitor tanto clarius effulgeat. Ad similem modum viri divina oris dignitate ornati species erat tanto magis insignis et præclara, quod *nimbus fulgidus* eum circumdabat. Quod etiam multo magis patet ex altero loco lib. x, 135 sq. 'Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum' (auro inclusa) 'Aut collo decus aut capiti; vel quale per artem *Inclusum buxo*, aut Oricia terebintho Lucet *ebur*.' Ascanius scilicet inter ceteros pugnantes conspicuus est oris nitore et pulchritudine. At Homerus, e quo uterque locus expressus, dum Ulyssem lotum et unctum nova corporis dignitate enituisse declarare vult, simpliciter *argentum auro inclusum* memorat, versibus tamen nitidissimis; inprimis ad declarandam notionem τοῦ· τῷ περίχευε χάριν, adhibet illud: 'Ὡς ὅτε τὶς χρυσὸν περιχεύσεται ἀργύρῳ ἀνὴρ Ἥφις—in quo argentum, h. e. ornamentum aliquod et ἄγαλμα, muliebris v. c. ornatus, ex argento, ferruminatione (κολλήσει, συναφῇ), inclusum auro, intelligere in promtu est; in quo argenti nitor ac candor inter aurum suavius ac vividius elucescit; auri enim rutilantis splendore repercusso argenti nitor multo magis efflorescit. Apparet ex his ipsis locis talem argenti aurique in uno opere consociandi usum ac morem viguisse, et placuisse, Homeri saltem ætate. Talis erat calathus Helenæ ex Ægypto apportatus Odyss. Δ, 132 τάλαρον Ἀργύρεον· χρυσῷ δ' ἐπὶ χείλεα κεκράαντο. Talis erat crater ibid. v. 615. Omnino variis metallis vas vel utensile exornandi morem fuisse declarat v. c. lectus Ulyssis Odyss. Ψ, 200. At eboris aurique, inprimis in anaglypho opere, miscendi mos a Græcis Romanisque est frequentatus. Cf. Ge. III, 26. Cœpit quoque 'lignum ebore distingui, mox operiri;' Plin. XVI, 43 s. 84.

Digitized by Google

EXCURSUS XXIII.

TEUCRI AD SIDONIOS ACCESSUS.

I, 623—630. 'Atque equidem Teucrum memini Sidona venire, Finibus expulsum patriis, nova regna petentem Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.' Multa cum arte et sagacitate hæc ex tragicorum fabulis ad majorem rei probabilitatem traduxit poëta. Teucer, redux a Troja, a patre Telamone aspere acceptus, sive quod fratrem Ajacem non esset ultus, sive alia de causa (v. Serv.), neque in insulam Salaminem admissus, sorte Phœbi accepta, profectus, novam Salaminem in Cypro condidit. Plures fuere hujus argumenti tragicæ fabulæ. Nunc ea de re Helena Eurip. 89 sqq. 144 sqq. est consulenda. Extiterunt forte etiam lyrica carmina, unde Horatius I Carm. 7 expressit, nisi is Pacuvium ante oculos habuit. v. Cic. II de Or. 46. Jam Cyprum a Phœnicibus coloniis fuisse frequentatam, atque etiam ditione habitam, vel ipse insulæ situs probabile facit. Forte tamen et historiarum monumenta tradiderant, a Tyriis vel Sidoniis, et quidem a Belo aliquo, Cyprum fuisse bello petitam. Paulo tamen licentius in his, jure quidem suo, versatur poëta. Facit Beli, Tyri regis, sedem *Sidonem*, quæ tamen, Trojanis saltem temporibus, suos reges ipsa habuit (cf. ad Guthrium T. I, p. 439). Paridem Sidonem venisse et urbem evertisse, narratum erat in Cypriis, ut ex fragmento Procli Escurial. didici. Accesserat mox ad Cinyram Palamedes in Cyprum missus ad societatem belli petendam: quod ex eodem, ut suspicor, carmine narratur in Alcidamantis Or. in Palamed. p. 73. Fundus erat Iliad. *A*, 20—23. Porro *Beli* nomen, tanquam mollius, recte prætulit poëta vero nomini, quod pater Elisæ et Pygmalionis, Tyri rex, habuit *Mutgonis* vel *Matgeni* ap. Joseph. in Apion. I, p. 927, *Mettinum*, *Mettem*, *Methrem* appellant alii, v. ad Justin. XVIII, 4, 8. Adde Serv. ad Æn. I, 347.

Digitized by Google

EXCURSUS XXIV.

DE ILIONE.

I, 657. 'Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim.' Ilionen inter Priami filias ab Apollodoro et similibus memorari non videas, ab Hygino tamen fab. 243 et 109 ex tragœdia scilicet Græcorum aliqua, quæ interiit. Est ibi illa Polymnestori Thracum regi nupta, et ad eam frater Polydorus educandus mittitur. Etiam Pacuvii tragœdia hoc nomine fuit; et Accii *Ilionen* ex Nonio laudari videas, male ab aliis, etiam a Columna, inter Ennianas fabulas commemoratam. Ex ea dictum illud: 'Mater te appello' e Cic. Acad. Qu. IV, 27 et Horat. II Serm. 3, 61 notum. Adde Serv. ad h. l. et III, 15. Laodicen frustra huc vocat Cerda, de qua v. Quint. Cal. XIII, 544 sqq. Tryphiod. v. 648 et Pausan. X, 26.

EXCURSUS XXV.

I, 720. 'Et magnum falsi implevit genitoris amorem.' Videamus paulo accuratius de h. l., in quo mihi dissentiendum est a doctiss. Interprete. Nam, quæ prima legentis cogitationi occurrat, sententia esse videtur hæc, ut Ascanius falsus desiderium patris, a quo absentiam filii impatienter ferente arcessitus erat, primis amplexibus et osculis expleret. Ita *magnum* amorem bene dixit, et *falsus genitor* est elusus, deceptus, vel simpl. cujus verus filius Amor non esset. *Implere amorem*, ut, *dolorem, luctum*, bene dicitur; communius *explere*. Burmannus tamen Corradum, qui ita exposuerat, reprehendit, alteramque rationem proponit, ut sit: 'partes filii, patrem vehementer amantis, bene egit;' erga patrem amorem ostendit omnibus numeris ita perfec-

Digitized by Google

tum, ut is crederet, esse verum filii affectum. Sane *amor genitoris* est etiam amor in genitorem; et ut *impleri officium* dicitur, cui satisfacimus, ita *amor* recte videtur dictus *impleri*, cum debitus amor præstatur. Sed primum toti rationi subesse aliquid coacti ac duri videtur; nec, quorsum *magnus* amor pertineat, dicere in promtu est; et Æneæ desiderium potius erat explendum, cujus omnis in Ascanio cura stabat et animus hærebat. Ceterum Servius locum obscure interpretatur, nec Donatus vel Pompon. Sab. quidquam juvant.

EXCURSUS XXVI.

I, 754—757. 'Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa; Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis; Nunc, quales Diomedis equi; nunc, quantus Achilles.' Memnonis (de quo vid. Excurs. XIX sup. ad 493) *arma* nec apud Pindarum, nec apud Dictyn et Quintum quidquam habent præcipui. Apud Hesiodum Theog. 984 Memnon χαλκοκορυστής, sed hoc simpliciter *armatus*, ut passim alii heroës. Nisi itaque poëta fabulam parum nunc notam secutus est, nec commentitium est, quod in Servianis legitur, a Vulcano facta fuisse ei arma; ad barbaricum exercitus Memnonii apparatum, a Trojano more diversum, referendum est. Cf. Dictyn IV, 4 et 5. Quod nisi probare malis, accipienda verba sunt simpliciter, ut sit variata oratio pro vulgari: 'multa rogitans—porro super Memnone, et Diomede et Achille.' Similis forma orationis Ecl. VI, 80. 81 'Quo cursu deserta petiverit, aut quibus ante Infelix sua tecta supervolitaverit alis,' pro, quomodo ille narraverit, quemadmodum Philomela primum in solitaria loca fugerit, mox vero, in hirundinem mutata, pristina sua tecta iterum petierit, et circum ea volaverit. Sed, ut in nostro Æneidis loco rationi propositæ non satis confidam, facit primum, quod etiam supra v. 493 'nigri Memnonis arma' memorata

Digitized by Google

singulare quid de armis ejus innuere videntur; tum in hoc ipso loco v. 756 *Diomedis equi* subjecti similiter certa aliqua ratione sunt dicti, etsi nec, illi quidnam præcipui habuerint, dicere in promtu est. Si equi sunt currus, quos Sthenelus regebat, Iliad. Δ, 366. 367, non memini ulla insigniore laude eos a poëta commendari. Sin equi sunt Rheso cæso abducti, sup. v. 473 sq., ii Rhesi erant dicendi, non Diomedis; qui etiam aliis equis, Æneæ abductis, superbiebat in ludis funebribus Patrocli, Iliad. Ψ, 290 sq. Quod Servius Diomedis equos a Diomedis Thracis equis carnivoris originem ducere dicit, inter Grammaticorum acumina referendum esse videtur. Tandem *quantus Achilles*, quam magnus corporis viribus et animi virtute.

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. II. PRINC.

DE AUCTORIBUS RERUM TROJANARUM

(*τῶν Τρωϊκῶν*).

Post sermonis poëtici elegantiam, poëtæ doctrinam declarare nobis inprimis esse propositum, ab initio sumus professi. Cum itaque in libro altero ille excidii Trojani casus mira rerum varietate et jucunditate exponat, multaque, quæ in Homero non occurrunt, commemoret; quandoquidem in inveniendis rebus aut in aliorum inventis sapienter adoptandis, variandis, ornandis, disponendis, eloquendis, vel maxime poëtæ ingenium cognoscitur; ut intelligatur, quænam ille ab antiquioribus poëtis jam ante exposita ad sui carminis naturam, rationem ac consilium, attemperaverit, non intempestivum fore arbitramur, si, qui ante Virgilium præter Homerum res Trojanas, excidii inprimis, de quo nunc potissimum agitur, exposuerint, quosque ex iis

Digitized by Google

potissimum Virgilio ante oculos fuisse probabile sit, paulo accuratius indagemus; etsi in nonnullis nos doctioris disputationis tantum lineas ducere, in aliis nonnulla, quæ copiosius jam ab aliis dicta sunt, summatim colligere non ignoremus.

Res igitur Trojani belli omnino post Homerum, primum auctorem,[1] longo tamen temporum intervallo, centum saltem annorum, nec nisi postquam vulgo circumferri cœperant Homeri carmina, fuerunt tractatæ a poëtis cyclicis, hoc est, ab iis poëtis, qui, Homeri exemplo, non modo rerum bello Trojano gestarum, quæ Iliadem sive antecesserunt sive sunt secutæ, verum adeo, Proclo apud Photium teste, totius mythologiæ a Cœli et Terræ inde nuptiis ad finem errorum Ulyssis, modo singula capita modo plurium capitum complexum, carmine epico, hoc est, ad Homerici carminis numeros, tractandique et eloquendi modum, composito, exposuerant, et ex quibus certa dispositione a nescio quo collectis et ordinatis syntagma epicum concinnatum, extitisse putatur. Accurate de iis, post Nicolaum Loënsem in Epiphyll. II, 4. Salmas. in Solin. p. 597 et Casaub. ad Athen. VII, 4. Dodwell. de Cycl. p. 802, qui soli consuli merentur, egit Schwarzius Altdorf. in Diss. de poëtis cyclicis. Adde Fabric. B. Gr. T. I p. 281. Sunt tamen admodum pauca in hoc argumento ad liquidum perducta.

Nam primo, quorum poëtarum nomina et opera hoc cyclo comprehensa fuerint, res est partim obscura, partim controversa, etiam inter veteres; nec satis constanter traditur, quam late ejus argumentum patuerit; modo enim intra belli Trojani fines ille substitisse, modo ad ipsam cosmogoniam evagatus esse narratur. Quo ipso constare puto, intra privatam nonnullorum doctorum Grammaticorum opinionem

NOTA.

[1] De his accuratius disputandi locus erit ad ipsum Homerum. Nunc reliqui intacta ea, quæ ante Iliadem cum Scholiis Venetis a Villoisono editam mihi probabilia esse videbantur. Alia dies docuit, docebitque, ut fieri necesse est in iis, quæ tantum probabiliter constitui nec, fide historica deficiente, ultra probabilitatem assurgere possunt.

Digitized by Google

totam hanc de cyclo epico praeceptionem substitisse in diversa abeuntium. Neque unquam tale corpus plurium poëtarum aliter confectum, quam ut grammaticus aliquis eorum recensum seu indicem faceret, et singulari forte libello aut in opere grammatico ederet; nec facile omnes, quorum magnus fuit numerus, qui Genealogias Deorum, Titanomachias, Gigantomachias, Argonautica, Thebaica, Heracleas, et sic porro, tum in rebus Iliacis, qui *Νόστους* scripserunt, tali indice enumerati fuerunt. Arctinum Milesium, Eumelum, Leschen et Cypria carmina eo comprehensa fuisse plerique tradunt; Antimachum, Stesichorum, alios inserunt alii, fide non satis explorata. Videntur porro plura in hac quaestione confundi: alius est *Cyclus mythicus*, h. e. fabularum complexus inde a genealogiis Deorum ad Trojae usque excidium deductus; alius *Cyclus Trojanus*, h. e. fabularum ad bellum Trojanum spectantium. Jam *ab his cyclis* dictos arbitror *poëtas cyclicos* et *carmina cyclica*, quorum argumenta intra alterutrum mythorum complexum et orbem continerentur: non vero ut ipsi cyclum aliquem constituerent. Ex priore genere fuere Theogoniae, Cosmogoniae, Titanomachiae, qualis fuit seu Eumeli Corinthii sub Olympiadum initia, seu Arctini, Corinthii (non Milesii), Gigantomachiae, *Φορωνὶς, Δαναΐς*, Eoeae, Naupactica, *Ἡρακλεία*, Argonautica, *Θηβαΐς* (*κυκλικὴ* dicta) *τὰ ἔπη τὰ εἰς τὸν πόλεμον τῶν Ἐπιγόνων, Ἀλκμαιωνὶς, Μινυὰς, Αἰγίμιος, Οἰχαλίας ἅλωσις, Κήϋκος γάμος, Ἀμαζονικὰ, Θησηΐς*; ex altero autem Arctinus, Lesches, Stasinus Cyprius. Confusus cum his cyclis *cyclus epicus*, quem grammatici Alexandrini, Aristarchus et Aristophanes Byzantinus, constituerant, dilectu inter poëtas epicos veteres facto, et principibus tanquam in canonem et in censum relatis; fuere illi Homerus, Hesiodus, Pisander, Panyasis, Antimachus (v. Quintil. x, 1, 51 sqq. Proclus Chrestomath. et hinc Tzetza Prol. in Hesiod. et in Lycophr.). Translatum est hoc nomen cycli epici etiam ad illa duo cyclicorum genera, quatenus res Trojanae et mythi hexametris erant expositi. Tractum aliquando nomen ad duo carminum genera, quibus tanquam nota aliqua eo ipso inureretur: al-

Digitized by Google

terum, quoties poëtæ in argumento jam ab aliis tractato, in rebus notis ac tritis, *circa vilem patulumque* morarentur *orbem* (Hor. Art. 132): alterum, cum epici carminis naturæ et artis ignari narrationem a primis rei primordiis repetitam per singulas partes, tanquam scriptores pedestres, exponerent: quod v. c. Statius in Achilleide tentavit: ad hoc genus spectat Epigr. in Anthol. II, 40 p. 163 Steph. Nata hinc illa: apud Acronem in Horat. cyclicum poëtam esse, qui variare res nesciat; et Isidor. VI, 17 ea carmina cyclica vocari, quæ cujusque materiæ simplici forma facta sint. Hunc in modum diversarum rerum discrimine facto, licebit tandem aliquid certi et explorati de *poëtis cyclicis* tradere.

Horum poëtarum opera, quantum ex fragmentis, tum ex Quinti Smyrnæi imitatione, et ex argumentis Cypriorum Carminum et *Νόστων* apud Proclum, colligere licet, tota ad Homeri non tam artem quam sermonem potius ac colorem et epicam dictionem fuit composita. Nec tamen res intra poëtices spatia substitit, sed liberius est evagata. Nam, cum pedestris orationis usus et cultus increbescere inter Græcos cœpisset, multique essent, qui antiquissimos mythos historiasque Græciæ, partim singularum urbium fabulis, religionibus ac sacris, festis ac ritibus, locorum etiam monumentis, templorumque donariis consecratas, partim ex priscis carminibus, quæ supererant, collectas litteris mandarent; inter quos Pherecydes Atheniensis, et Acusilaus Argivus, Hecatæus Milesius, et post hos alii *θεογονιῶν* auctores, genealogiis Deorum ac cosmogoniis condendis inprimis inclaruerant; successerunt alii, qui Græcorum post mythicum tempus historias, adeoque etiam bellum Trojanum perscriberent, inter quos nescio an primo loco Hellanicum Lesbium ponam, cujus magnum opus *ἱστοριῶν* fuisse videtur, ad quod tanquam partes referenda erunt quæ laudantur: *Φορωνὶς, Ἀτθὶς, Ἀτλαντὶς, Δευκαλιώνια, Τρωϊκά.* (Fragmenta ejus nunc collecta sunt a doctissimo viro, F. W. Sturz.) In Troicis rebus fides ejus inprimis fuit probata, ut etiam Dionysius Halic. lib. I. c. 46. 47. 48 in Trojæ excidio Æneæque fuga narranda eum potissimum sequendum

Digitized by Google

existimaret; et ex Clemente Alex. I Strom. p. 139 satis constat, eum Trojæ captæ epocham inter ceteros accurate definiisse. Laudantur eodem loco alii, sed nominibus tantum noti. Celebrius nomen est Dionysii Milesii, qui Herodoto paulo antiquior circa Olymp. LXV vixisse traditur, κυκλογράφος Suidæ et Tzetzæ dictus, non tanquam cycli epici auctor, quod male traditur, sed propter opera, quæ cyclum mythicum et historicum efficiebant, eaque in hunc modum ordinanda, ut scripserit Μυθικά, Ἀργοναυτικά, Τροϊκῶν βιβλία γ', tum Κύκλον ἱστορικὸν ἐν βιβλίοις ζ', sequebantur τὰ Περσικὰ et tandem τὰ μετὰ Δαρεῖον; nisi duo hæc unum idemque opus fuere; in quo ipso habemus historiæ catholicæ scriptorem antiquiorem illis, qui vulgo habentur.[1]

Etsi autem cum temporum decursu ab antiquis illis rebus mythicis ad seriorum temporum res et casus historiæ procederent, tamen et sequiores scriptores ab antiquioribus Græcorum rebus orsi bellum fere Trojanum, quoniam ab eo inde tempore civitates ac regna Græciæ sive ad certam formam fuerant descripta, sive futurarum opum prima initia ceperant, in principio operum suorum modo brevius modo copiosius repetebant; quod nec Thucydides facere recusavit. Et in hunc, puto, censum veniunt nonnulli scriptores, qui Trojanas res perscripsisse dicuntur; quos in transcursu modo eas leviter attigisse existimandum est. Ita apud Dionys. Halic. I, 48 Menecrates Xanthius historiam ab Achillis funere auspicatus narratur, exordio quoque libri subjecto; quo tamen summatim tantum, cum ad Lyciæ res (τὰ Λυκιακὰ) exponendas ille properaret, Trojanas res perstrictas fuisse credere licet. Etiam Callisthenes, cujus Græcæ Historiæ olim celebratæ fuerunt, ab anno pacis Antalcidæ Ol. XCVIII, 2 deductæ, quando de Troja capta egisse memoratur (v. Schol. Euripid. Vet. apud Ursin. ad Virg. II

NOTA.

[1] Cf. ad hæc Notas ad Apollodor. p. 921 sq. 980 sq. Commentat. II. de fontibus historiar. Diodori in Commentation. Soc. R. Sc. Gott. T. VII. Omni tamen hac opera me non nisi lineas duxisse iis, qui in hæc accuratius inquirere vellent, obscurum esse non potuit.

Digitized by Google

Æn. 255 et interpolatus ab eo locus Iliad. B. memoratus est a Strab. XII, p. 817.) primo saltem Græcarum Historiarum libro Trojanas res summatim narrasse videtur; etsi, hoc ita factum, ut separatum aliquod opus particula illa haberi posset, suspicari possis ex Cicer. V ad Div. 12.

Cum ab his scriptoribus, qui res vel universæ Græciæ, vel singularum civitatum certique temporis exponerent, tamen Trojanum bellum non plane prætermitteretur: fieri id multo magis debuit ab iis, qui Historiarum systemata conderent, ut res Trojanas omninoque totum cyclum mythicum operibus suis intexerent aut præfigerent. Et hoc factum vides a Diodoro Siculo in libris quinque prioribus, qui extant, in quibus eum Dionysium maxime Milesium supra memoratum exscripsisse suspicor. Cf. lib. III, 52, ubi V. Wessel.[1] Idem ante eum ab Anaximene Lampsaceno factum, qui Alexandri tempore vixit et ab antiquissimis Græciæ rebus (ἀπὸ θεογονίας καὶ ἀπὸ τοῦ πρώτου γένους τῶν ἀνθρώπων) orsus (τὰς πρώτας ἱστορίας vel τὴν πρώτην τῶν Ἑλληνικῶν) historiam usque ad pugnam Mantineensem pertexuerat. Vid. Diodor. XV, 89 et Voss. de Hist. Gr. I, 10, necnon in Pisandri opere infra laudando. Fuit quoque scriptor antiquus (συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ apud Dionys. Halic. I, 72, et I, 49 ἀρχαῖος καὶ λόγου ἄξιος) Cephalo Gergithius seu Gergethius (τὰ Γίργηθα urbs Æolidis), qui Τρωϊκὰ scripserat: cf. Notæ ad Apollod. p. 740: diversus ille, etsi obloquatur Leo Allatius de patria Homeri c. 1, a *Cephalione* vel *Cephalæone*, cujus σύντομος ἱστορικὸς fuit *Musarum* nomine inscriptus, res a Nino ad Alexandrum narratione persecutus; lectus ille Photio c. 68, et in epitomen redactus a Sopatro: ibid. c. 161. add. Syncell. p. 167, et ib. not. Quid tamen facias Athenæo IX, p. 393 E, ubi Hegesianax Alexandrinus ὁ τὰ Κεφαλίωνος ἐπι-

NOTÆ.

[1] Cf. Commentationem paulo ante laudatam. Viam ad hanc mythicæ cum vera historia conserendæ rationem munierat Dionysius Milesius paulo ante memoratus; et ipse Hellanicus Lesbius, qui in libris supra laudatis mythicæ narrationi historias subtexuisse videtur. Cf. Dionys. Halic. I, 48 pr.

Digitized by Google

γραφόμενα Τροϊκὰ συνθεὶς? Scilicet suspicari licet, veterem illum librum interiisse et in ejus locum temere a nonnullis substitutum fuisse similem librum Hegesianactis. Fuerunt alia Τροϊκὰ Metrodori Chii, qui Hippocratis magister fuit, laudata apud Athen. lib. IV exeunte, p. 184 A. Non mihi constat, ad quod tempus referendus sit Theodorus Iliensis, qui ἐν β' Τροϊκῶν excitatur apud Suidam in Παλαίφατος Ἀβυδηνός. Fabulosum *Syagri* nomen ex Æliani V. H. XIV, 21 laudare nil attinet. Servius ἐν τρίτῳ τῶν Τροϊκῶν excitatur in Schol. Ven. B. ad Iliad. Φ, 242. Verum hi ad seriores relegandi esse videntur: de quibus postea memorabitur.

Aliquamdiu *res Trojanæ* communi aliquo inter scriptores consensu erant traditæ, prout ab Homero et poëtis cyclicis, *ex majorum fama* ac narratione, *antiquo sermone*, hoc est, poëtico, fuerant expositæ. Sed cum poëtices honos inter Græcos frequentari cœpisset, essentque primum, qui sigillatim particulam aliquam ex toto illo cyclo mythico decerptam carmine tractarent, ornarent et delectationis causa variarent, tum alii, inprimis lyrici, qui carmina sua suavibus episodiis distinguerent, ex eo tempore res Trojanæ quasi *materiæ poëticæ* loco esse cœperunt, qua ingeniosi homines in quamcumque formam diffingenda uterentur, unumque id propositum haberent, ut cum probabilitate aliqua delectarent.

Ab historiæ fide multo magis recessum est, cum *Tragici* poëtæ fabularum suarum ὑποθέσεις et argumenta ex cyclo illo peterent, et pro consilio suo tragœdiæque natura varie ea tractarent, ornarent, inflecterent, nova affingerent, et sæpe in diversissimas partes traherent. Quæ quidem res cum vel ex Sophocle et multo magis ex Euripide notissima sit, hærere in illa nolumus.

Jam historicis et tragicis successit novum hominum genus, quod omnia miscuit ac turbavit, *Interpretes poëtarum* dico et *Grammaticos*, maxime ab Ptolemæorum inde sæculo,[1]

NOTA.

[1] Cf. Prolus. de sæculi Ptolemæorum genio in Opusc. T. I, p. 94. 98. 105.

Digitized by Google

quorum alii Cyclos illos in epitomen redegerunt; qualem habemus adhuc Apollodori Bibliothecam, quam cycli epici compendium esse jam Salmas. ad Solin. p. 874 vidit;[1] alii separatim hanc vel illam particulam ex toto orbe exposuerunt. Ita Lysimachus Alexandrinus τὰ Θηβαϊκὰ, et τοὺς Νόστους, de quibus inf. Excurs. v. Euphorion autem suis Chiliadibus (de quibus v. ad Ecl. VI, 72) suis locis res Trojanas inseruerat; ut de Laodice: v. Pausan. x, 26 extr. et inf. Excurs. v. Similiter alii Grammatici τὰ τραγῳδούμενα scriptis peculiaribus explicuerant, quibus tragœdiarum argumenta ac fabulas exponebant, interdum et commentabantur: quo ex genere utinam superessent saltem Asclepiadæ τῶν τραγῳδουμένων libri! verum iis aliisque multis amissis, nonnulla superesse videntur in Hygini fabulis ex veteribus tragœdiis excerpta; nam major operis pars ex orbe Græcorum mythico est consarcinata, ut inspicienti facile apparet; facto enim a genealogiis Deorum initio per Cadmeas ac Thebanas fabulas ad Argonautica, Heracleam et Troica ex more procedit.[2]

Qui *post illos scriptores* iterum veteres mythos, adeoque etiam Trojanum bellum, novis libellis repetebant, cum antiquissimos scriptores sequi, et tragicorum ac lyricorum ceterorumque poëtarum commenta ac lusus solerter ab illis discernere deberent, *omnia* inter se *miscuerunt*, totamque adeo veterum mythorum rationem turbarunt, ut in plerisque difficile sit perspicere, quid ac quantum veteris vel philosophiæ vel religionis vel historiæ vel prisci sermonis iis subesse credendum sit. Cujus corruptelæ auctores habendi imprimis iidem sunt Grammatici, qui commentarios in veteres poëtas scripserunt. Dum enim illi ad illustrandam aliquam fabulam, omnia, quæ usquam legerant, nullo judicio collegerunt, et ex uno loco in centum alios, modo additis nonnullis modo recisis, transtulerunt; perditis nunc antiquis

NOTÆ.

[1] Vid. Notas ad Apollod. p. 936 sq. [2] Vid. ibid. p. 945.

Digitized by Google

scriptoribus, unde hauserant, ipsi ab eo inde tempore fabularum auctores, indocti pariter et levissimi, facti sunt.[1]

Etiam Philosophorum, Sophistarum ac Rhetorum, opera aliqua fuit in corrumpendis mythis et historiis antiquissimis; *illorum* quidem in theogoniis maxime aliisque Deorum fabulis allegorice interpretandis;[2] ex quo semel Pythagoras, Heraclitus, et Xenophanes ad mythologiam, tanquam theologiæ aliquod systema subtiliter conditum, offendissent; *horum* autem in heroum rebus et Trojano inprimis bello, dum declamationum argumenta inde caperent et laudem ex eo captarent vani homines, si haberent, quæ contra res vetustissimæ fidei probabiliter dici viderentur. Habemus adeo Dionis Chrys. oratiunculam de Troja nunquam capta, qua mireris nonnullos ad elevandam veteris historiæ fidem, inprimis in rebus Trojanis, uti. Ex eodem genere sunt Philostrati Heroica.

Ausi etiam ipsi *historici*, qui veterum scilicet historiarum fidem suis temporibus et solito rerum gerendarum mori ac consuetudini accommodare volebant, res Trojanas in πραγματείας formam redigere, aut diversarum narrationum naturas eo consilio miscere, ut major probabilitas novæ narrationis existeret, v. c. ut Romani populi originibus a Trojanis ductis consulerent. Demetrius autem Scepsius, ὁ τὸν Τρωϊκὸν διάκοσμον ἐξηγησάμενος, ut Strabo XIII, p. 609, Grammaticus Crateti et Aristarcho æqualis, in Scepsiorum gratiam multa in rebus Trojanis aliter ac ceteri tradiderat. V. Strabo l. c. Librum XVI et XXIV laudari videas ap. Athen. IV, p. 173 F. 175 A.

Cum jam Græcia a Romanis in servitutem redacta cum ceteris libertatis bonis etiam accuratæ doctrinæ habitum, tandem etiam sensum, amisisset, deperditis jam tum aut delitescentibus plerisque ex præclaris illis antiquioribus poëtis ac scriptoribus, ecce tibi provenerunt multi non poëtæ, sed *versificatores*, qui ex nonnullis, qui supererant, poëtis

NOTÆ.

[1] Ibid. p. 929 sq. [2] Ibid. p. 932 sq.

Digitized by Google

cyclicis antiquis nova carmina conscriberent, aut etiam ex grammaticorum vel historicorum doctioribus libris breviores *epitomas* conficerent, censendas istas et dijudicandas fere non modo ex propria doctrina, sed etiam ex eorum, quos exscripserunt, fide ac judicio. Ex priore genere poëtam habemus non infimo loco habendum, Quintum Calabrum, in quo emaculando Laur. Rhodomannus, Ilfeldensis olim sub Mich. Neandro disciplinæ æternum decus, tale ingenii acumen exhibuit, ut ex summis recentiorum temporum criticis paucos habeam, quos cum ipso comparandos putem. Sed Quintus ille haud dubie ante oculos habuit aliquem aut plures ex veteribus poëtis cyclicis, inprimis Leschen, ut mihi quidem visum est, comparandis cum eo fragmentis Leschæ et iis, quæ aliunde de parva Iliade cognoscere licuit.[1] Sunt in eo loca egregia et quæ præstantiore quoque poëta non indigna sint. Alter est Tryphiodorus, cujus *Ἰλίου ἅλωσιν* habemus, sed multo indoctior et sæpe ineptus homo, et cum eo Coluthus, in *Ἑλένης ἁρπαγῇ*: in utroque tamen facile melioris venæ vestigia passim deprehendas, tanto gratiora illa et jucundiora, quo aridius et sterilius solum est, in quo flores illi enascuntur. Ex hoc genere infima jam ætate, infimo loco, fuit *Tzetza*, qui Antehomerica, Homerica et Posthomerica,[2] versibus scripsit parum doctis; stolidæ jactantiæ homo, qui, non tam, quod Dodwellus augurabatur, veteres cyclicos, quam misellos potius Grammaticos et compilatores, qui eum antecesserant, exscripsit, nec sic tamen negligendus, quippe ex quo, in tanta meliorum scriptorum jactura, multa, quomodo a superioribus tradita fuerint, in-

NOTÆ.

[1] Accurate hoc persecutus est Tychsen noster, v. c., in Commentat. de Quinto Smyrnæo (1783), cujus novam recensionem parat. Perspectum nunc mihi est, in quinis prioribus libris Arctini Æthiopidem expressam esse, inde Iliadem Parvam, usque ad librum XII. Tum librum XIII et XIV. esse argumentum τῆς Ἰλίου πέρσιδος *Arctini*. Per quæ multo magis firmatur id, quod antea mihi persuaseram, plura antiquorum poëtarum vestigia et loca in hoc carmine nobis esse servata, et illud esse 'Cyclum Troicum ex antiquioribus istis poëtis exscriptis concinnatum.'

[2] Edita nunc illa sunt in lucem et docte illustrata a Fred. Jacobs 1798.

Digitized by Google

telligi possint, modo quis satis magna doctrina instructus sit.

Inter eos, qui in morem veræ historiæ rhetorica arte pedestri sermone bellum Trojanum seriore ætate condiderunt, is qui Dictyis Cretensis nomen mentitus est, quem adhuc latinum habemus, non indoctus fuit homo, et qui, si non veteres passim cyclicos, interdum et tragicos poëtas, tamen eos, a quibus isti fuerant exscripti, ante oculos videtur habuisse. Hunc Græci fere recentiores exscripserunt, ut Joannes Malelas, Cedrenus, Tzetza et Constantinus Manasses p. 44 seqq. in Synopsi historica a Meursio edita. Præter illum tamen alium adhuc Trojanarum rerum interpolatorem inter seriores Græcos extitisse necesse est sub Sisyphi Coi nomine; ex quo multa petiisse videtur Jo. Malelas. Alius Idomeneus, qui ἐν πρώτῳ Τρωϊκῶν excitatur a Schol. Apollonii Arg. I, 916. de Electra Dardani, Betionis et Harmoniæ matre. Videtur ille Hellanicum esse secutus, ut eum forte auctorem habuit Nonnus Dionys. III, 115. 132. 274. ubi similia narrantur. At Daretis Phrygii de excidio Trojano libellus haud dubie ineptum aliquem Sophistam habet auctorem; et declamationis potius genus constituit, quo poëtarum fabulæ in historiæ pragmaticæ formam deflectere propositum est. Characteres heroum, quos intexuit, sunt ex μελετῶν genere, cujusmodi passim alibi occurrunt. Ex Dictye repetiit Isaac Porphyrogennet. p. 304 sqq. in περὶ τῶν καταλειφθέντων ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου: quæ sunt Posthomerica rhetorice exposita; edita in Allatii Excerptis variis (Ro. 1641, 8) p. 259. Melioris notæ est fragmentum τῶν Τρωϊκῶν ex Cod. XXIV Bibliothecæ Uffenbach. P. II, p. 655—686, quod Antehomerica complectitur multaque habet quæ cum Tzetza conveniunt.

Fuere etiam olim Τρωϊκὰ Palæphato tributa, sed junioris Grammatici, ejusdem forte nominis, fœtus. V. Suidas h. v. et Voss. H. Gr. III h. v. Ex iis depromtum esse videtur, quod Servium laudare video ad lib. III, 8 'quamvis Palæphatus tradat, capto Ilio Æneam post triennium navigasse.' Idem de Anio rege et sacerdote egerat, v. eundem ad III, 80,

Digitized by Google

scilicet secundum antiquiores, quos exscripserat. Ad eum Joan. Malelæ quoque locum refero Chronogr. p. 101. Troica Abantis apud Servium ad Æn. IX, 264 memorata video. Ex his ac similibus, qui veteres, quas narrabant, historias simul interpretabantur, fluxisse videntur absurda commenta, quibus contaminata est Trojani excidii Historia in Malela, Cedreno, forte et aliis Græculis, qui ex telesmatica adeo et astrologia multa intexere ausi sunt v. c. de Palladio etc., alia autem allegorice exponere, ut ipsius Tzetzæ allegoriæ Homericæ in bibliothecis servantur; quarum similia multa in Chiliadibus apposuit. Non eo usque audaciæ sunt progressi, sed intra Dictyis fere et Daretis commenta substiterunt scriptores deterioris ævi latini, ut Elinandus, et qui eum excerpsit, Vincent. Bellov. Specul. Histor. lib. III, 62, item Guido de Columna in Historia Trojana circa 1287 scripta et 1477 edita; quæ si quis non meminerit, unde ducta sint, non parum hæreat, si tot inauditas res a scriptoribus superiorum sæculorum narrari videat.

Romanos poëtas, antiquissimos quidem, nihil aliud fere egisse, quam ut Græca latine converterent, ab his autem ætate proximos, et omnino præstantissimum quemque poëtam, Græca latine expressisse, Græciæ flores in viridaria Romana transtulisse et omnino ex Græcis profecisse unice, ad eorumque exemplum poëticum aliquem sermonem, qui a pedestri oratione plane discrepat, conformasse, in confesso est. Ennius, qui Iliadis rivos in Annales suos traduxerat, Tragœdias plures latine converterat: et sic Tragici ac Comici veteres fere omnes faciendum sibi putaverant. Sed de hoc nunc non agitur; verum Iliadem Homeri transtulerat Cn. Mattius, et Cypria carmina infra videbimus a Nævio latine facta, et, si alii inter Romanos memorantur, qui argumentum belli Trojani tractarunt, ut Macer Antehomerica, v. Ovid. II Am. 18, et Posthomerica II ex Ponto 10, 13, item Camerinus, IV ex Ponto 16, 6, ubi v. not. ex Græcis fere eos sua effinxisse, exemplum eorum, qui superstites sunt, credere jubet. Verum de Latinis

Digitized by Google

Homeristis docte nunc egit Werasdorf. in Poët. minor. T. IV, p. 565. 568 sq. 579.

Munita jam et patefacta est via, ut accedere possimus ad id, cujus causa totam hanc disputationem suscepimus, ut scilicet quæramus, *quem potissimum ex veteribus poëtis Virgilius in excidio Trojanò enarrando secutus sit*. Esse hunc inter eos, qui interierint, facile intelligitur, quandoquidem nec cyclicorum poëtarum aliquis, nec eorum quisquam qui proximi ætate fuere, omninoque qui ante Virgilium vixere, ad nostra tempora pervenit. Sedula tamen multarum rerum, et eorum inprimis qui, seriores quidem, veteres tamen exscripserunt, et Tabulæ Iliacæ a Fabretto vulgatæ, in qua auctores ascripti sunt, una cum Polygnoti tabula apud Pausaniam, comparatione, nunc autem multo magis ex Procli Fragmento, conjectare licet, *Virgilium potissimum Arctini Ἰλίου πέρσιδα, et cum hac Leschei Iliadem parvam expressisse;* multa tamen, ut infra in singulis videbimus, passim ex Græcis Tragœdiis, inprimis Euripidis, hausta intertexuisse, quod tot loca ex Hecuba et Troadibus traducta docent; ut omnino Euripidem plurimum videatur probasse Virgilius. Quod autem poëtæ animum inprimis ad tragœdias fructumque inde ad ornandum epicum carmen uberrimum petendum potuit convertere et adducere, hoc fuisse arbitror, quod magna fabularum Græcarum pars ab Ennio, Accio, Livio Andronico, Nævio, Pacuvio, Varrone, forsan et aliis, latine erat conversa. Proficere ex his poëta non parum debuit, non modo ad narrationis varietatem, verum multo magis ad orationis poëticæ, cui elaborandæ inprimis studebat, dignitatem et ornatum. Etsi enim diversissima sit tragicæ epicæque orationis indoles, tamen tragica illa oratio Virgilianæ dictioni gravitatem illam, quam tantopere miramur, et majestatem, interdum δεινότητα aliquam rhetoricam, eloquentiæque modo copiam modo acumen, comparasse videtur. Quam proclive autem Virgilio fuerit, in bello et excidio Trojano, de quo nunc potissimum quærimus, tractando et ornando Tragicorum inventis uti, ex eo apparebit, si tragœdiarum hujus argumenti copiam, inter

Digitized by Google

Romanos saltem, ante oculos positam habeas. Ita Livius Andronicus *Achillem, Helenam, Laodamiam, Protesilaum* (nisi eadem cum Laodamia fuit fabula), *Ajacem,—Equum Trojanum,—Odysseam, Ægisthum, Hermionen* in scenam produxerat. At Nævii fuere tragœdiæ *Iphigenia, Protesilaus, Telephus, Hector, Equus Trojanus, Ægisthus;* Pacuvii *Chryses, Armorum judicium, Teucer, Iliona, Anchises, Hermiona, Dulorestes:* Accii *Achilles, Telephus, Diomedes, Nyctegresia, Epinausimache, Myrmidones, Armorum judicium. Eurysaces, Neoptolemus, Philoctetes,—Troades, Andromache, Astyanax, Hecuba, Iliona, Deiphobus,—Clytæmnestra, Ægisthus, Agamemnonidæ, Æneadæ, Antenoridæ;* Ennii *Iphigenia, Achilles, Telephus, Pnœnix, Ajax,—Hectoris Lytra,—Andromache, Hecuba, Alexander,—Dulorestes, Eumenides* (quæ Ennio vulgo tribuitur, *Iliona,* Pacuvii fuisse videtur); Varronis tandem *Cycnus, Ajax, Armorum judicium, Eumenides.* Harum partim fragmenta, aliarum nomina tantum ad nos pervenerunt; sic Atilii *Electra,* L. Pomponii Secundi *Armorum judicium.* Et quot non cum ipsis nominibus intercidisse putabimus! Quæ igitur poëta in sua narratione a vulgari ratione habet recedentia, aut in quibus auctorem, qui ei præiverit, desideres, ea *ex tragicis suis* in epos suum traduxisse nobis videtur; in vulgari autem narratione *Arctini* Ἰλίου πέρσιδα s. πέρσιν tum *Iliadem parvam* diximus ipsi potissimum fuisse propositam; de quibus nunc paucis est exponendum.

Ilias parva, Ἰλιὰς μικρὰ, non tam totum bellum Trojanum, quod tradunt, quam res Iliacas post Homericam Iliadem comprehendere debuit, si ea reputes, quæ, tanquam ejus argumentum, Arist. de Poët. v. 23 memorat, plus quam octo tragœdiis sufficere, cum Iliadis Homericæ argumentum tantum unam, ad summum duas, suppeditet. Nam Ὅπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, Πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρσις, καὶ Ἀντήνορος, καὶ Σίνων καὶ Τρωάδες, hæc omnia, inquam, ad res post Hectoris atque post ipsius Achillis cædem gestas spectant. Dici vix potest, quantopere viri docti, inprimis Sal-

Digitized by Google

mas. ad Solin. p. 800 sq., in iis turbent, quæ super hoc disputant. Ad Ὅπλων κρίσιν pertinuerunt versus a Schol. Aristoph. laudati ad Equ. 1053, forte et is qui in Schol. Pindari servatus ad Nem. 6, 85 de Achillis hasta: ἀμφὶ δὲ πόρκης Χρύσεος ἀστράπτει, καὶ ἐπ' αὐτῷ δίκροος αἰχμὴ (ita lego, pro corrupto ἐπ' αὐτὸ δίκροος διῇ) versus effictus est ad Iliad. Z, 320. Θ, 895. Ex particula Ἰλίου πέρσις versus excerptus esse videtur, Scholiastæ veteri Euripidis ad Hecub. 914 (Scholion in nostris editis, ne in recentissimis quidem, non extat; sed ex schedis Fulvii Ursini laudatur ap. Scalig. de Emend. Temp. lib. v, p. 378 ed. Genev. 1629; nam in edit. pr. 1598 nondum reperitur) et Tzetzæ ad Lycophr. v. 344 laudatus: Νὺξ μὲν ἦν μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη, qui et in Tzetzæ Μεθομηρικοῖς repetitus est apud Dodwell. de Cyclis p. 803. nunc v. 720. 773 ed. Jacobs. Cf. Exc. VIII ad Æn. II, 250. et ad lib. III, 8. Exc. II. Ex Ἀπόπλου carmine puto esse undecim illos versus de Ænea cum Andromache abducto a Neoptolemo ap. Tzetz. ad Lycophr. 1263. Cf. eund. ad 1232, ubi additur, eum post Neoptolemi apud Delphos cædem liberatum fuisse. De Sinone inf. dicetur Exc. IV, de Corœbo a Lesche tradita Exc. X memorabuntur. Palladium furto Diomedis et Ulyssis ablatum idem exposuerat, ut ex Hesych. in Διομήδειος ἀνάγκη constat: quomodo autem ab eo res narrata fuerit, intelligi forte poterit ex Zenob. III, 8; est enim hujus narratio simplicissima. Voces et ῥήσεις aliæ nonnullæ videri possunt apud Barnes. Homer. Tom. II Fragm. p. 108. Jam post ista scripta in manus venit fragmentum Procli, quod Ἰλιάδος μικρᾶς δ' Λέσχεω argumentum servavit:[1] ex hoc intelligitur, poëtam exorsum esse narrationem statim ab armorum judicio, et produxisse usque ad equum in urbem receptum et Trojanorum ex commessatione

NOTA.

[1] In Biblioth. d. alt. Litt. u. Kunst, Tom. I. p. 35. Haberet nunc vir doctus opportunitatem conficiendæ collectionis Fragmentorum Poëtarum Cyclicorum, præmissa Procli expositione singulorum carminum; et subjecta comparatione eorum, quæ passim in Tragicis aliisque poëtis aut simili aut alio modo sunt pertractata. Expedita quoque inde erit illustratio carminis, quod sub Quinti nomine habetur.

Digitized by Google

somnum. Habitus et hujus parvæ Iliadis auctor olim a nonnullis Homerus, ut ex auctore de vita Homeri, qui vulgo Herodotus fertur, patet, c. 16, ubi et primi duo versus occurrunt. *Διατρίβων δὲ παρὰ τῷ Θεστορίδῃ ποιεῖ Ἰλιάδα τὴν ἐλάσσω* (ita hic appellatur, nec audiendus Salmas. Polyh. p 598 sq., qui Cypria carmina et *Ἰλιάδα ἐλάττω* unum esse nullo argumento contendit), *ἧς ἡ ἀρχή: Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην ἐύπωλον, Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.* Fabricius, qui l. l. hoc idem repetiit, tamen mox initium poëmatis Leschei narrat, quod Horatius perstrinxerit v. 136 'Fortunam Priami cantabo et nobile bellum,' *Ἀείσω Πριάμοιο τύχην πόλεμόν τε κλεεννόν.* Sed is versus a Salmasio confictus, et pro parvæ Iliadis Lescheæ primo versu venditus est l. c. p. 601 A, scilicet is Iliadem *ἐλάσσω* diversam ab Iliade parva, et eandem cum Cypriis carminibus esse volebat. Sine auctoris nomine eam laudant Clemens Alex. et Vet. Schol. Euripidis ap. Fabric. B. Gr. T. I, p. 279. 280, et Pausan. III extr. et X, 26. At communior sententia ad Leschen eam retulit: vid. Fabric. ibid. pag. 180, etsi Ryck. p. 444, qui p. 446 contra eam sententiam disputat, sed cupide magis quam graviter ac vere. *Lesches hic s. Lescheus, Λέσχεως,* Æschyleni s. Æschyli f. Lesbius, Pyrrha civitate oriundus, ab Euseb. Hieron. ad Olymp. XXXIII memoratur: 'Lesches Lesbius, qui fecit parvam Iliadem,' ut inter antiquissimos adeo habendus sit. Eundem in multis expressit auctor Tabulæ Iliacæ, olim in palatio gentis de Spagna, nunc in Capitolio servatæ, quam a Fabretto vulgatam ad calcem Syntagm. de Columna Trajani videre licet p. 315. nuncque in Museo Capitol. Tom. IV. t. 68. Ascriptum quoque in illa est: *Ἰλιὰς μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον.* Etiam Quintum Smyrnæum Leschis vestigiis institisse nuper docuit is, quem supra laudavi, Tychsen noster in Commentat. p. 28 sq.

Jam *Cypria carmina,* modo memorata, *τὰ Κύπρια ἔπη,* vel *τὰ Κύπρια,* apud Aristot. de Poët. c. 23 videas una cum parva Iliade laudata, quo ipso manifestum fit, diversa ea

Digitized by Google

carmina fuisse; uti ex Paus. x, 26 saltem hoc patet, ab Leschei Ἰλίου πέρσει diversum opus fuisse. Videntur ea comprehendisse anteriora Iliadis. Certe ab Herod. II, 117 super Helenæ raptu laudantur, de Helena e Nemesi nata ap. Athen. VIII, p. 334 et versus ex libro XI ab Athen. XV, p. 682 E. F. exscriptos ad judicium Paridis pertinuisse, facile aliquis suspicetur: tum vero pro ἐν τῷ ια' haud dubie scriptum fuit ἐν τῷ α'. Aliquot versus ap. Schol. Iliad. Α, 5 recitantur, qui non longe a principio libri locum habuisse videntur; emendati a doctiss. Wassenberg. p. 134, duo versus de Menelao ad Nestorem devertente sunt apud Suidam in οἶνος, quos sine carminis nomine legimus apud Athenæum lib. II. pr. et, quod triduo Paris Sparta Trojam redierit, ex Cypriis carminibus docet Eustath. p. 663 A. Interspersa quoque erat narratio de Dioscuris Leucippidas abducentibus et pugna cum Apharetidis, ut discere licet e Schol. Pind. Nem. 10, 114 (quo spectat locus Paus. III, 16 pr.), et de Thetidis nuptiis, ut in Schol. Iliad. Π, 140 habetur. De Palamede fabulas ex hoc fonte fluxisse intelligo e Paus. X, 31, p. 874, qui scriptor Neoptolemi quoque nomen et Æneæ conjugem Eurydicen inde illustrat c. 26. In iisdem fabula de Anii filiabus erat narrata, teste Tzetza ad Lycophr. v. 570: atqui et ea in belli Trojani initia incidebat; ut adeo manifestum sit, Cypriorum Carminum argumentum vix aliquid habere, quod in Virgilianum carmen transferri potuerit. Posthæc cum communicata mecum essent, mox vulgata, a doctissimo Tho. Chr. Tychsen Excerpta Procli e cod. Escorialensi Iliadis descripta, (in Biblioth. ant. litt. et art. Vol. I.)[1] confirmata sunt et illa, et multo magis constitit, *Cyprium* carmen (τὰ Κύπρια) XI libris constitisse; initio ducto a Pelei et Thetidis nuptiis et orta inde Dearum de pulchritudinis principatu contentione,

NOTA.

[1] Repetitum nuper inde est hoc fragmentum a Tyrwhitt ad Aristot. de Poëtica p. 186. at mireris argumentum Iliadis parvæ ibid. p. 189 non memorari.

Digitized by Google

narrationem fuisse deductam usque ad Palamedis mortem, et ad Jovis consilium, ut subveniret Trojanis, dum abstraheretur Achilles a societate belli per seminata inter eum et Atriden dissidia; catalogo sociorum Priami subjecto. Auctor varie a variis est traditus. Fuere olim qui Homerum proderent; et eum filiæ suæ Carmina Cypria dotis loco dedisse, fabula est apud Ælianum e Pindaro, puta grammatico aliquo: sed diversa in Cypriis et dissona ab iis, quæ Homerus de Helenæ raptu tradiderat, occurrere, jam Herodot. II, 117 monuit. Alii alium ediderunt auctorem. V. Athen. VIII, p. 334. XV, p. 682. Proclus ap. Phot. Cod. 239, Salmas. ad Solin. p. 599 (qui eum suspicabatur esse, qui *gemino* bellum Trojanum *orditur ab ovo*), et, qui adversus eum disputat, Ryck. de pr. Ital. init. p. 446, Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 374, Homsterh. ad Polluc. X, 85, Perizon. ad Ælian. V. H. IX, 15, et quos laudat Interpres Herodoti doctiss. ad. l. c. Sed Stasinum Cyprium fuisse auctorem, probabilior et communior est sententia. Nomen hoc etiam Scholiis Iliad. *A*, 5 reddendum. Add. Tzetz. Chil. XIII, 639 sq. Ab hujus poëtæ patria *Cypro* nomen carminum ductum esse, in aperto est. Latine Cypria carmina reddiderat Nævius, cujus *Cypria Ilias* laudatur Carisio (v. de ea Wernsdorf. Poët. min. Tom. IV. p. 572); quo ipso probabile fit, eam Virgilio saltem lectam fuisse. Ex eadem forte sunt, quæ Serv. ad Æn. I, 277. III, 10 recitat.

Sed *excidium Trojæ*, de quo nobis nunc, inter ceteras Trojanas res, potissimum quæritur, quam diversis modis tractatum olim esse debuerit, vel inde colligas, quod carmina tam multa ab antiquis memorantur *Ἰλίου πέρσις*, h. e. *Ilii vastatio* vel *excidium*, inscripta. In libris fere *ἐν Ἰλίου περσίδι* inflectitur; quod præter rationem fieri Scaliger ad Euseb. Chron. p. 72 a, Maussacus ad Harpocrat. in voc. *καθελὼν*, et Salmas. ad Solin. p. 800 monuerant; nam *ἐν Ἰλίου πέρσει* esse dicendum. (Nec *Ἰλιόπερσις* recte a nonnullis scribi videtur; nam flecti deberet *Ἰλιοπερσία*.) Fallit tamen in hoc ratio grammatica; nam cum tot locorum, etiam Pausaniæ, tum Procli, auctoritas firmat vulgatam illam scriptu-

Digitized by Google

ram, modo refingas πέρσιδι, non περσίδι. Nobilissima inter ceteras Stesichori Ἰλίου πέρσις sæpius veteribus laudatur, v. c. Pausan. x, 26 pr. (ubi inter captivas Trojanas Clymene. Κλυμένην μὲν οὖν Στησίχορος ἐν Ἰλίου πέρσιδι κατηρίθμηκεν ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις· ὡσαύτως δὲ καὶ Ἀριστομάχην ἐποίησεν Ἕννος θυγατέρα μὲν Πριάμου. Leg. ἐποίησαν ἐν Νόστοις.) item c. 27, p. 865 Hecubam in Lyciam ab Apolline fuisse abductam. Alia collegit Suchfort noster in docta diss. de Stesichori fragm. p. 32 sqq. Ab eodem Pausania p. 864 de Medusa, una e Priami filiabus, Apollodoro quoque memorata III, 12, 5 f., in verbis: κατὰ τὴν Ἱμεραίου ᾠδὴν hoc idem carmen designatur, quod lyricum fuisse videtur, sub *Himeræi* nomine; erat autem Stesichori patria Himera Siciliæ; adeoque male inde novum auctorem nonnulli effinxerunt. Etiam in Iliaca Tabula inter auctores, e quibus artifex Iliadem supplevit, Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον legitur. Fuit hoc carmen lyricum: quale fuit aliud Bacchylidis: vaticinium de excidio Trojæ: quod expressisse videtur Horat. I Carm. 15. Quod in eadem Tabula iis verbis subjicitur: Τρωϊκὸς, non ejus carminis nomen habendum erat; sed subintelligitur κύκλος Τρωϊκὸς, complectens ea, quæ sequuntur: ascribitur enim paulo post: Ἰλιὰς κατὰ Ὅμηρον. Αἰθιοπὶς κατὰ Ἄρκτῖνον τὸν Μιλήσιον. Ἰλιὰς ἡ μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον. Alia Ἰλίου πέρσις, a Stesichori carmine diversa, a Pausania x, 25. 26 memoratur, et quidem Leschei nomine; jam cum apud Aristot. Poët. c. 23 (ut paulo ante vidimus) Ἰλίου πέρσις inter partes Iliadis parvæ memoretur, dubitari vix potest, hanc a Pausania laudatam Ἰλίου πέρσιν Leschei nullam aliam fuisse quam partem Iliadis parvæ eo nomine inscriptam. Memorat ex ea Pausanias Megetem vulneratum ab Admeto Argivo in pugna nocturna (sc. quæ capta Troja facta est), et Lycomedem Creontis f. ab Agenore; Æthram a filiis agnitam; Astyanactem de turri dejectum; Æneæ uxorem Eurydicen; Astynoum a Neoptolemo interfectum; Helicaonem in eadem νυκτομαχίᾳ vulneratum; Eioneum cæsum a Neoptolemo, Admetum a Philoctete; Corœbum a Diomede; Priamum ab ara abstractum et ante

Digitized by Google

fores cæsum a Neoptolemo; Axionem, Priami f., ab Eurypylo, Agenorem a Neoptolemo. Quod si idem Pausanias Leschei Iliadem parvam seorsum memorat, ut c. 26 pr. p. 862, sejunctam hanc partem carminis a reliquo corpore eum habuisse apparet.

Apud Euseb. Hieronymi MCCLIV Arctino Milesio, præter *Æthiopida*, de qua v. Excurs. XIX ad I, 493, tribuitur *Iliaca vastatio* (Ἰλίου πέρσις). Cum nemo alius hujus carminis meminerit, interpolati Hieronymi levis auctoritas esse possit: nam sive ex margine, quo quis similis carminis erat recordatus, sive ex interpretatione Æthiopidis, irrepsisse videri potest. Enimvero omnem dubitationem tollit Procli fragmentum e bibliotheca Scorialensi, in quo argumentum Ἰλίου πέρσιδος β' Ἀρκτίνου breviter exponitur. Complexum illud erat libris II novissima Trojæ, inde ab equo Trojano ab Achivis relicto, et substitit sub reditum Achivorum. Conveniunt pleraque cum Virgiliana narratione; ita ut statuere liceat, eam ad Arctim Ἰλίου πέρσιδα maxime esse adumbratam. Ex ea etiam illa, quæ ex Arctino Dionys. Halic. lib. I, c. 68. 69, de Palladio narrantur, in hoc carmine locum suum bene habere potuere. Suboritur inter hæc suspicio, non aliam forte fuisse Ἰλίου πέρσιν Pausaniæ sub Leschei nomine laudatam, quam hanc ipsam Arctini nomine apud Proclum inscriptam: nam continuatur in ea narratio Iliadis parvæ usque ad Equi in urbem deductionem perductæ; et in Tabula Iliaca solius Leschei nomen est appositum, cum tamen Ἰλίου πέρσις expressa esse videatur.

Sacadæ, non, ut vulgo legitur, Acati, Argivi, Ἰλίου πέρσιν ex Athenæo XIII, p. 610 c. (cf. Maussac. ad Harpocrat. in καθελὼν) laudarunt jam alii, etiam Ursinus ad Virgil. Carmen illud lyricum fuisse credo: nam fuit ille musicus. Primus τὸ πυθικὸν αὔλημα ηὔλησε Delphis: Paus. II, 22, quod factum primis statim Pythiis Ol. XLVIII, 3 et alteris Ol. L, 3. V. Paus. X, 7, p. 814. Statua ejus ingentibus cum tibiis in Helicone stabat: Paus. IX, 30, p. 768. Excidium Ilii non minus persecuti videntur, qui τὰ Τρωϊκὰ condidisse narrantur, inter quos Syagrus, vix dixeris qua fide, omnium primus jam ante Homerum argumentum hoc tractasse ferebatur, sec-

Digitized by Google

Ælian. V. H. XIV, 21: de reliquis *Τροϊκῶν* auctoribus supra dictum est.

Fuere et Tragœdiæ Trojæ excidium titulo præferentes: uti Iophontis *Ἰλίου πέρσις* apud Suid. h. v. ex certa virorum doctorum emendatione, et Sophoclis *Ἰλίου ἅλωσις* quam apud Strab. XIII, p. 608. deprehendisse sibi visi sunt. Neque Nicomachi *Πέρσις ἢ Πολυξένη* alio trahenda esse videtur, ut nec Phormios *Ἰλίου πόρθησις*; at Timotheï *πέρσαι ἢ Ναύπλιος* leg. *πυρσοὶ* vel *πυρσά*. De Sophoclea tamen fabula admodum dubitandum esse putamus, an ulla extiterit. Nam primum totus ille Strabonis locus: *Σοφοκλῆς γοῦν ἐν τῇ ἁλώσει τοῦ Ἰλίου παρδαλέαν φησὶ πρὸ τῆς θύρας τοῦ Ἀντήνορος προτεθῆναι σύμβολον τοῦ ἀπόρθητον ἐαθῆναι τὴν οἰκίαν*, totus igitur ille locus ab aliena manu, margini forte appositus, in contextum venisse videtur; nam Demetrii Scepsii narrationem intempestive satis interrumpit, nec cum ceteris cohæret; etsi res ipsa etiam apud Pausan. X, 27 in Polygnoti tabula occurrit. Sed et dubitari potest, an is ipse, qui verba ascripsit, fabulam Sophoclis hoc nomine declarare voluerit. Narrare enim voluisse videtur rem, quæ capta Troja inter ceteros casus contigerit; multoque magis ea exposita esse debuit in fabula Sophoclea *Ἀντηνορίδαι*, passim a veteribus laudata,[1] quæ ad eam narrationem instituta fuisse videtur, quam Dictys exposuit lib. V extr., cum Antenori regnum Trojanum ex pacto cum Græcis relictum ab Ænea frustra tentatur. Cf. sup. Exc. VII* lib. I. de Antenore.

Sed jamdudum possum videri si non inani, aliena tamen a poëta, opera defunctus esse, siquidem luculentissimo Macrobii Sat. V, 2 loco satis jam expositum est, quem Virgilius in hoc libro sibi propositum habuerit: 'vel quod eversionem Trojæ cum Sinone suo et equo ligneo ceterisque omnibus, quæ librum secundum faciunt, a *Pisandro* pæne ad verbum transcripserit? qui inter Græcos poëtas eminet

NOTA.

[1] Cum unus ex his versibus apud Strabonem laudatis *καταστίκτου κυνὸς Ἀκολὰς Λίβυσσα παρδαληφόρον δέρας* apud Schol. Aristoph. Av. 934 laudetur: *Αἴαντι Λοκρῷ*, concedendum est elegantis ingenii viro Jacobs, ex hac potius fabula locum illum servatum esse.

Digitized by Google

opere, quod, a nuptiis Jovis et Junonis incipiens, universas historias, quæ mediis omnibus sæculis usque ad ætatem ipsius Pisandri contigerunt, in unam seriem coactas redegerit et unum ex diversis hiatibus (h. e. intervallis; noli tentare, *tractibus*) temporum corpus effecerit. In quo opere inter historias ceteras interitus quoque Trojæ in hunc modum relatus est. Quæ fideliter Maro interpretando fabricatus est sibi Iliacæ urbis ruinam. Sed et hæc et talia (nempe omnino quod Virgilius Græcos poëtas imitatus sit) ut pueris decantata prætereo.' Præclara narratio, et in qua vellem acquiescere posse. Sed dispiciamus eam accuratius, et primum quidem videamus, quisnam ille *Pisander*, et quale hoc ejus opus fuerit.

Nomen autem illud per duo maxime inclaruit poëtas. Alter fuit serior, *τῶν Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν* auctor, de quo postea dicam; alter antiquus poëta Pisander, qui circa XXXIII Olymp. vixit, quanquam alii Hesiodo antiquiorem et Eumolpo æqualem tradiderunt, Camiro Rhodi oriundus, Heracleæ libb. II auctor, h. e. carminis de rebus ab Hercule gestis, cujus non infrequens inter Grammaticos mentio. Diserte de eo agit Suidas. Cf. Kuster. ad e. l. Meurs. in Rhodo II, 11. Staver. et Muncker. ad Hygin. Astron. 24. Burmann. Sec. ad Vales. Emend. IV, 14, qui Pisandri nomen præclare adversus substitutum Terpandri tuetur, et Koppiers Obss. p. 110. Tertium quidem aliquem Pisandrum poëtam facit Vales. ad Hesych. in *Νοῦς οὐ παρὰ Κενταύροις*, et cum eo alii. Sed in Schol. Aristoph. Avib. 1555 *κωμῳδούμενος* aliquis Pisander memoratur, cujus sæpe apud Schol. mentio fit, qui etiam Platonis comœdiam eo nomine insignitam laudat. Adde Suidam in *Εἴ τι Πεισάνδρου*. Etiam *Pisandrum Physicum* Fulgentius excitat Mytholog. I, 14; verum Grammaticus ille in scriptorum nominibus omnino est contaminatissimus. Sed *antiquior* ille *Pisander* inter principes poëtas epicos post Homerum, Hesiodum, Panyasin et Antimachum fuit habitus, et a Grammaticis Alexandrinis in canonem et cyclum epicum relatus: v. sup. p. 354; adde fragm. Censorini c. 9 et idem *διασημότατος ποιητὴς* apud Stephan. in

Digitized by Google

Καμειρεύς; Quintilianus vero x, 1, 56 'Quid? Herculis acta non bene Pisander?' Habemus quoque in ejus laudem Epigramma inter Theocritea xx. Etiam Strabo xiv, pag. 655 D. inter celebres Rhodios, *καὶ Πείσανδρος δὲ ὁ τὴν Ἡράκλειαν γράψας, Ῥόδιος*. Idem lib. xv, p. 688 c., ubi de Bacchi et Herculis in Indiam expeditionibus agit, dum refellit fabulam, hæc subjicit: 'quod Hercules leonis spoliis amictus, et clavam gestans exhibetur, Trojanarum rerum memoria posterius est,' *πλάσμα τῶν τὴν Ἡράκλειαν ποιησάντων, εἴτε Πείσανδρος ἦν, εἴτ' ἄλλος τις*. Quod non ita accipiendum, quasi fuerint, qui pro re incerta haberent, an Pisander Heracleæ auctor esset; etsi Pisino Lindio Pisandrum sublegisse Heracleam fama olim fuit, ut ex Clemente Alex. intelligitur Strom. vi, p. 266 f. loco, quo de scriptorum plagiis agit; verum, quia plura carmina hoc nomine insignita fuere, e quibus unum aliquod exuvias leoninas et clavam primum inter reliqua Herculi tribuerat. Fuit enim et alia *Ἡράκλεια*, quæ Panyasin Halicarnass. auctorem habuit, quam Eratosth. in Catasterism. c. 11 laudat: cf. Schol. Pind. P. 3, 177 et adi Muncker. ad Antonin. Met. c. 20 pr. Creophyli *Οἰχαλίας ἅλωσιν* in ea fuisse exscriptam, Clemens Alex. Strom. vi, p. 266 f. prodere videtur. Sed ad hanc alteram Strabonis dubitatio spectare vix potuit, ut nec ad alteram Nymphios Heracleotæ, aliquoties in Schol. Apollonii laudatam. Hactenus de antiquiore. Videamus de *altero*; qui Alexandro Mammææ imperante floruit, Nestoris Larandensis f. Laranda Lycaoniæ et ipse oriundus. Habuit adeo patrem rei poëticæ studio non minus clarum Severi Imp. tempore; cf. de eo Niclasius ad Geopon. Prolegom. p. LXII. Fuit hujus Nestoris *Ἰλιὰς λειπογράμματος*, egregii scilicet acuminis opus! facit quoque ejus mentionem Menander rhetor apud Ald. in Rhet. ant. Filii autem, *Pisandri*, opus fuit, quod *Ἡραϊκῶν θεογαμιῶν* titulo Suidas, *Ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν* Zosimus Hist. v, 29 laudant. Prætuleram aliquando cum Fabricio B. G. To. vi, p. 606 prius nomen, tanquam ab *Ἥρα* ductum, quod apud Macrobium Pisander 'a nuptiis Jovis et Junonis incipiens' universas historias

Digitized by Google

persecutus esse narratur; tum quia Junonis nuptiæ argumentum fuere in priscis fabulis decantatissimum (v. viros doctos ad Hesych. in Ἱερὸς γάμος, et loca laudata in Hemsterhuisiana nota apud Valkenarium ad Adoniaz. p. 366. 367, et nuper Wernsdorf. To. IV Poët. min. p. 462. Fuit adeo inter Epicharmi tragœdias Ἥρας γάμος, alia Alcæi Athen. ἱερὸς γάμος. Origines fabula e Creta duxisse videtur; ubi quoque alia vestigia extabant: cf. Diod. V, 72 l. 96); et manavit forte ex illis fabulis locus Iliad. Ξ, 295 sq. Profectum est ex iisdem, quod in Schol. Ven. Iliad. Α, 609 occurrit: Jovis et Junonis amores clam per CCC annos exercitos fuisse. Fabulam quoque respici puta in Theocriteo XV, 64. *omnia norunt mulieres*, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγετ' Ἥραν. Verum inaudita forma esset Ἡραϊκὸς, et ab Ἥρα formari deberet Ἡράϊος; tum, si de Junonis nuptiis carmen egisset, ineptum fuisset in altero voc. θεογαμιῶν latens nomen θεός; nam ex Junonis nomine satis intelligitur, *Deæ* nuptias celebrari. Corruptos quoque esse in hac voce Suidæ codices, inde colligas, quod Eudocia, quæ Suidam exscripsit, p. 351 ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν legerat. Quid igitur, inquis, poëta in hoc carmine tractavit? nempe ἡρωϊκὰς θεογαμίας, id est, *Deorum Dearumque nuptias cum heroibus aut heroinis*, seu cum mortalibus viris seu fœminis, adeoque etiam *de heroibus* ex istis congressibus *prognatis:* Hesiodi, seu quisquis poëta ille fuit, exemplo, qui in extrema parte *theogoniæ* et in *heroogonia*, cujus partem superstitem habemus, idem argumentum versaverat. Fuere quoque τὰ θεογάμια, ludi, quæ in numis Nysæ et Coryci Ciliciæ occurrunt: v. Eckhel Doctrina numor. To. I. P. III p. 53 et in numo Ægyptio *Eugamia*, ibid. P. IV. p. 442.

Restat nunc, ut illud quæratur: ad utrum Pisandrum Macrobius respexerit. Valkenarius quidem, gratum litteris græcis nomen, utrumque carmen et Ἡρακλείας et ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν unum idemque fuisse censebat; memorabatque ille in Diatribe ad Eurip. p. 24 Macrobii locum ita, ut Pisandrum diceret ‘Herculis acta ita cecinisse, ut a nuptiis Jovis et Junonis incipiens universas historias—in unam seriem coac-

Digitized by Google

tas redegerit.' Ut adeo Suidas turpiter lapsus videri deberet, dum in duo diversos Grammaticos incideret, alterum doctum alterum indoctum, qui nominis similitudine deceptus recentiori Pisandro assignasset, quæ veteri tribuere debuisset. Jam Suidam eo modo sæpius peccasse, nemo dubitet; satis magna exemplorum copia prostante; hoc loco tamen simile crimen nullo modo ei impingi potest, quoniam ipsa res omnem suspicionem diluit; fieri enim nullo pacto potest, ut illa duo carmina pro uno eodemque habeantur.

Pisandri quidem, Rhodii seu Camirensis, Heracleæ non nisi *duo libri* memorantur: quibus, sive molem voluminis, sive argumenti naturam cogites, vix probabile fit 'inde a Jovis et Junonis nuptiis universas historias, quæ mediis omnibus sæculis usque ad ætatem ipsius Pisandri contigerant, in unam seriem coactas' fuisse. Contra ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν libri usque ad XXVI laudantur; et plures numero olim fuisse probabile fit; 'Ἱστορίαν ποικίλην δι' ἐπῶν bene appellat Suidas ἐν βιβλίοις ἓξ, quod falsum esse, ut nec minus Valesii ad Evagr. I, 20 emendationem, qui *sedecim* libros fuisse statuebat, ex iis patet, quæ modo dicta sunt. Sunt duo MSS., in quibus est ἐν βιβλίοις ξ': quod non improbabile est, si, quam late argumentum operis patuerit, reputes. Zosimo nec minus dicitur Pisander πᾶσαν ὡς εἰπεῖν ἱστορίαν περιλαβών Laudantur porro sub Pisandri Rhodii nomine ea, quæ cum Herculis factis conjuncta sunt; cum librorum vero VII. X. XIII. XIV. XXVI nota ea, quæ quomodo inter Herculis facta locum habuerint, vix assequare; sunt porro illa levia, et grammaticum acumen, quale seriorum scriptorum est, habent, aut in etymologiis versantur. De quo ut tanto melius constet: agedum comparemus loca ex utroque Pisandro passim laudata.

Ad *Camirensem* respicere arbitror loca sequentia; Apollodor. Biblioth. I, 8, 5, ubi, 'quam alii Hipponoi filiam narrant, ex qua Œneo Tydeus natus sit, Gorges filiam Pisander tradit:' Πείσανδρος—λέγει. Fuit autem inter Herculis æquales et socios Tydeus. Eratosthenes in Catasterismis c. 12 Pisandri auctoritate firmat, 'Herculem leonis Nemei a se

Digitized by Google

occisi exuvias gestasse:' λέγει δὲ περὶ αὐτοῦ Πείσανδρος ὁ Ῥόδιος, ὅτι καὶ τὴν δορὰν αὐτοῦ ἔσχεν, ὡς ἔνδοξον ἔργον πεποιηκώς. Schol. Germanici Arateor. Phænom. p. 114 'Periandrus' (emendarunt jam VV. DD, *Pisandrus*) 'Rhodius refert, eum' (leonem) 'ob primos labores Herculis memoriæ causa honorifice astris illatum:' sic Eratosth. paulo ante: τινὲς δέ φασιν, ὅτι Ἡρακλέους πρῶτος ἆθλος ἦν εἰς τὸ μνημονευθῆναι. Hyginus Astron. II, 24 de Leone—'De hoc et Pisandrus et complures alii scripserunt' (cf. Munck. ad eund. f. 30). Pausan. II, 37 inter eos, qui Hydræ Lernææ plura capita affinxere; Πείσανδρος ὁ Καμιρεύς, et VIII, 22 'Stymphalidas crotalorum ope fugatas ab Hercule idem Pisander Camireus prodidisse narratur.' Athenæus XI, p. 469 D, ubi *de cratere Herculis*, Πείσανδρος ἐν δευτέρῳ Ἡρακλείας. Schol. Pindari Pyth. Θ, 185, p. 294. Antæi, ab Hercule is est cæsus, filiam Ἀλκηΐδα dictam, ὡς φησι Πείσανδρος ὁ Καμηρεύς (lege Καμειρεύς). Apud Schol. Apollonii sunt loca, quæ aperte ad Herculem spectant, Pisandri testimonio firmata: I, 1196 de clava Herculis (ad quem loc. cf. Suid. in Πείσανδρος), IV, 1396 de Ladone, dracone; at res non æque manifesta est in IV, 58 de Endymione; lib. I, 151 de Idæ et Lyncei Argonautarum matre, Polydora; I, 471 de Arene, Peloponnesi urbe, nunc Hierana; II, 98 de Amyco; II, 1090 de Harpyis. Potuerunt enim illa forte in carmine de Hercule occurrere; sed nec eum satis refellas, qui ad alterum Pisandrum omnia hæc traxerit. Nam Argonautica apud hunc satis copiose fuisse tractata, ex Zosimo V, 29 apparet, qui ex eo Argonautarum iter ex Istro in mare Adriaticum, condita urbe Emona in Pannonia (nunc *Laubach* Carniolæ esse creditur), narrat;[1] et, quod dolendum est, Grammaticorum manibus recentiora illa opera cyclica multo diligentius versari solebant; ut etiam tum, cum vetustiores auctores laudant, eorum fere, quos exscribunt, fide id faciant. Unus est modus, quo cum Ruhnkenio v. c. ei rei occurras, ut reponas, in Indice eorum

NOTA.

[1] Repetit eadem Sozomenus H. E. I, 6, uterque, ut equidem suspicor, ex Olympiodoro, cui Zosimus multa debet. Fabula ipsa jam antiquioribus erat frequentata: cf. Notæ ad Apollod. p. 207, Plinius III, 18 s. 22.

Digitized by Google

scriptorum, quorum testimonia in Scholiis Apollonii afferuntur, nullum esse, qui non Augusti et Tiberii ætate superior sit; si ad lib. II, 329 Lucianus laudatur, eum ab interpolatore intrusum videri. Atqui hoc idem illud est, quod incertum parumque tutum facit omne hoc de scholiorum auctoritate et ætate judicium. Ita nec ausim pronuntiare de Schol. Eurip. Phœniss. v. 1748 super Sphinge ex Æthiopia arcessita, et de loco Etymologici M. in κεραννύς.[1] E toto Pisandro versum unum integrum servavit Jo. Stobæus Serm. XII de Mendacio p. 140 *Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν*; duo alii leguntur in Schol. Aristoph. Nub. 1047. An carminis pars adhuc in Idyllio inter Theocritea XXV servata sit, uti non improbabilis est suspicio, ita adversus repugnantem probari nequit.

Ad *Pisandrum* vero *Larandensem* primum Zosimi locum paulo ante laudatum, tum loca Stephani Byzantini refero omnia, in quibus Pisandri testimonio utitur; nihil enim ea habent, quod ad Heracleam ullo modo trahi possit, aut si habent, uti locus in voc. *Ἀγάθυρσοι, Βοαύλεια* et in *Ἀσταχός*, nam Herculis sane res gestæ etiam ad Scythiam et Bithyniam spectant, tamen librorum numerus adjectus evincit, ad Larandensem ea loca esse referenda non minus ac reliqua in *Οἰνατρία, Ἀπέννιον, Λυκόζεια, Νιφάτης* (quo loco etiam versus integer e lib. VII laudatur, qui idem apud Suidam in *Νιφάτης* legitur: *Ταύρου πρυμνώρειαν ἐϋσκόπελόν τε Νιφάτην*), *Κυβέλεια*. Nam *Heraclea* duobus libris constabat; at Stephanus Pisan-

NOTA.

[1] Super hoc loco non invidebo popularibus meis animadversionem præclaram Ruhnkenii, viri doctissimi: 'agit,' inquit, 'Etymologus hoc, ut doceat veteres *κέρατι ἀντὶ προχόου* usos esse. Pro *Πείσανδρος* autem legendum *Πίνδαρος*. Ecce tibi Pindari locum, quo Etymologi glossa pertinet: apud Athen. xi, p. 476 A. *ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο* (v. Fragm. Pindari p. 69. Cf. Gataker. Miscell. postum. c. 5, p. 453). Contrario errore peccatum est in Zenobio VI, 49 *ὅς φησὶ καὶ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους*. Repone *Πείσαν δρος*. Versus, quos respicit Zenobius, servavit Schol. Aristoph. ad Nub. 1047. Idem error apud Etymol. MS. Bibl. Regiæ Paris., qui, cum formam *ἀὲς* pro *ἀεὶ* Doribus tribuisset, statim addit: *ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πεισάνδρῳ*, ubi scribendum *παρὰ Πινδάρῳ*, quem Dorice scripsisse scimus. Ad Pindarum igitur referenda Hesychii glossa: *ἀὲ ἐπὶ τοῦ ἀεὶ καὶ ἕως*.'

Digitized by Google

drum laudat l. VII. X. XIII. XIV. XXVI. Porro ex hoc altero petitum esse debet, quod Evagrius H. E. I, 20 Antiochiam Syriæ jam olim Græcorum coloniam fuisse affirmat, quæ narratio qualis fuerit, ex Joanne Malela disci potest Chronogr. p. 32 sq. et Cedreni Compend. Hist. p. 134 sq. Etiam is, qui inter Epigrammatum auctores recensetur, junior hic Pisander cum Fabricio videtur esse habendus: nec enim epigramma, quod sub Pisandri Rhodii nomine laudatur (v. Brunck. Anal. T. II, p. 294), antiquitatem aut simplicitatem redolet. Latere etiam ille videtur sub Thessandri nomine ap. Serv. ad II, 211. Cf. inf. Excurs. ad II, 199.

Quæ adhuc commemoravi, ea me, qui nullo seu rei seu opinionis studio teneor, movent, ut id, quod olim secutus sum, retinendum arbitrer: diversa fuisse opera *Ἡρακλείας* et *ἡρωϊκῶν θεογαμιῶν*: nam ut contrarium tuearis, plura aut sine ratione aut adversus omnem rationem amplectenda sunt. Superest, ut de ipso Macrobio dispiciamus, qui 'eversionem Trojæ Virgilianam a Pisandro pæne ad verbum transcriptam' testatur. Qua in re necesse est, aut Macrobium graviter errasse, aut *ἡρωϊκὰς θεογαμίας* non Larandensis, quod Suidas asseruerat, sed alterius poëtæ, qui ante Virgilium vixerat, opus fuisse. Videamus, utrum sit probabilius.

Si hoc ponas, fuisse carmen illud Virgilio antiquius, ut nec tamen ad Pisandrum Rhodium referri illud possit; id quod vidimus fieri non posse; sumere aliquid necesse est, quod et omni auctoritate caret, et vero etiam probabilitate: nam nemo alius aut talem Pisandrum, aut tale carmen memoravit, quod tamen iis ætatibus scriptum esse deberet, de quibus satis multa nobis tradita sunt. Macrobii autem Grammatici auctoritas tanti non est, ut tam parum probabilia amplecti malim. At alterum cum ipsa rerum fide et ratione conjunctum est; nam fuit aliquis Pisander Larandensis; fuit Nestoris poëtæ, qui sub Severo Imp. floruit, filius; pater Iliadem denuo exaraverat; filius omnem mythologiam uno opere complexus erat. Consentaneum hoc est illarum ætatum genio; est et illud solenne, ut, neglectis

Digitized by Google

antiquioribus, carmina ex iis ætatibus magnam apud grammaticos sequentium sæculorum auctoritatem habeant: Zosimi ætate vix quicquam Pisandri Rhodii et æqualium supererat. Hoc altero igitur admisso, conveniunt inter se omnia, nec quicquam turbat, præterquam Macrobii aut grammatici, quem ille loquentem inducit, assertum; quod temere, nec inspecto Pisandro, et falsa de eo concepta opinione, aut confuso Pisandri nomine, cum antiquum illum Rhodium poëtam auctorem esse putaret, prolatum fuisse manifestum fit.[1] Potuere tamen in eo inter cetera res Trojanæ exponi, et, tanquam a Romano auctore, sive ad Virgilii exemplum, sive ad communem narrandi morem, qualis ab eo inde tempore inter Romanos fuit, constitui. De Sinone et equo Trojano, quæ exempli loco a Macrobio memorantur, suo loco videbimus.

EXCURSUS II.

NOCTIS PER CŒLUM TRANSVECTIO.

II, 8. 9. 'et jam Nox humida cœlo Præcipitat.' A Solis curru, ut omnino de poëtica hac ratione semel moneamus, similis imago traducta ad Noctem, ut ei tribuantur *equi, currus, axis, orbita* per cœlum, v. c. inf. III, 512 'necdum orbem medium Nox horis acta subibat:' v. ad Tibull. II, 1, 87. Itaque *Nox præcipitat*, sub finem decursus per cœlum in mare descendit; quemadmodum 'procedit ad Oceanum,' 'medium iter exegit' et similia, omninoque ad hanc formam dictum accipiendum, si *Nox oritur, surgit, venit*, ab Oceano: inf. v. 250 'ruit Oceano Nox,' adde Iliad. Θ, 486; et quidem modo sic, ut ab Oriente Nox quasi Solis vestigia premat, modo, ut Sole in Oceanum descendente Nox ab hac ipsa

NOTA.

[1] Nunc video de Macrobii errore ad Tryphiod. Diss. p. LXIV sqq. disputatum jam esse a Jo. Merrick

Digitized by Google

parte Occidentis surgat, ut apud Ovid. ‘ lux tarde decedere visa Præcipitatur aquis et aquis Nox surgit ab isdem.’ Similiter *Sidera sequi Noctis currum*, et singulis noctibus cursu per cœlum exacto *mane occidere* et *in mare immergi*, omninoque *labi, procedere, ruere*, sermone poëtarum receptum est, et hinc mediam noctem ita declarant, ut *sidera*, præcipue septentrionalia, *culmen cœli* ac verticem seu polum *tenere*, mox inde *vergere, cursu declivi ferri*, nocte jam exacta *occidere* dicantur, v. c. in illis Ovidii Met. x, 446 ‘ Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones *Flexerat obliquo* plaustrum temone Bootes.’ Cf. Seneca Troad. 439. Herc. Fur. 129 et al. v. c. Orph. Arg. 534 *Ἀλλ' ὅτε πρὸς μέσατον νυκτὸς προΰβαινεν ἀταρπὸς, Ἄστρα τε τηλεφανῆ δῦνεν* (in eo jam erant ut subirent) *ῥόον Ὠκεανοῖο*. Ductum hoc ab antiquissimis poëtis. Par modus est, quando ad oculorum sensum judicio facto modo sidera *circumagere se in cœlo* ac *circumvolvere* per nocturnum spatium (v. c. quod ad manum est, Quint. Cal. x, 101 *Ἦμος δ' αἰγλήεντα περιστρέφετ' οὐρανὸν ἄστρα*) modo *cœli inversionem* et versationem singulis noctibus, ut diebus singulis, fieri dicunt. Sic inf. 250 ‘ Vertitur interea cœlum, et ruit Oceano Nox,’ h. e. surgit, prodit cum cœlo verso; quasi novum hemisphærium oculis sese offerat per noctem. Hæc non animadversa miras interdum interpretum argutias pepererant. Lucan. II, 15 ‘ Nox ubi sidera condit,’ h. e. mergit mari occidentia sub Solem orientem. Omnium harum loquendi formarum, ad sensum oculorum a rudibus inde ætatibus frequentatarum, primæ lineæ occurrunt in Homero, sicuti etiam *cadentia sidera* h. l. et inf. IV, 81. VIII, 59: et *procedentia sidera*: Iliad. *K*, 251. 252 *Ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄπεται, ἐγγύθι δ' ἠὼς, Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε*. Adde Odyss. *M*, 312. *Ξ*, 483. Hesiod. *Ἔ*. 620.

Digitized by Google

EXCURSUS III.

DE EQUO TROJANO.

II, 15. 16. *De Equo Trojano* episodium ex Pisandro petitum esse, falso a Macrobio traditum, supra declaravimus Exc. I ad hunc librum. Videamus igitur, an probabili aliqua ratione expediri possit, quem alium auctorem secutus sit poëta.

Homerus jam Iliad. O, 71 mentionem rei obscuram injecerat, εἰσόκ' Ἀχαιοὶ Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν, Ἀθηναίης διὰ βουλάς. Sed disertius idem de Equo egit Odyss. Θ, 492. Δ, 271 sqq., de quibus locis infra videbimus Exc. VII. Huic tanquam fundamento superstructa fuit communior aliqua narratio, quam partim a Lescheo partim ab Arctino in Ἰλίου πέρσιδι, nisi utriusque idem fuit auctor, expositam esse, ex Procli fragmento discimus: utrumque Virgilius secutus esse videtur: ut ex comparatione intelligitur. Quintus Cal. XII, 134 sqq. copiosus est hac in re; et occurrit Equus Trojanus simili fere forma ac statu in Tabula Iliaca, quæ in hac parte Iliadem parvam sequi profitetur. Diverse tamen nonnulla cum a nostro tum a ceteris poëtis et grammaticis narrari videas, cf. Hygin. f. 108. et Not., quæ ipsa res argumento est, multos ex antiquioribus poëtis in ea narratione ornanda operam collocasse. Heleni consilio Equum exstructum esse, traditum ab aliis: v. Conon. 34. At Proclus e Lescheo: καὶ Ἐπειὸς κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν Δούρειον ἵππον κατασκευάζει. Panopei ille filius, Phocensis, genus ab Æaco ducebat: v. Pausan. II, 29. p. 178. unde intelligo, quomodo ille Αἰακίδης appellatus sit apud Tzetzam in Posthom. 632. ad quem locum alia de eo notavit Jacobs. In Tryphiodoro v. 61 et in Petronii halosi Trojæ rhetoricam ambitionem facile agnoscas. Ineptior tamen Tryphiodorus. Operum nonnullorum veteris artis argumentum fuit hic idem Equus Δούρειος vel Δουράτιος, ut in arce Athenarum ex ære, ap. Pausan. I, 23 et in Polygnoti tabula apud Delphos ibid. X, 26 (quem

Digitized by Google

simile argumentum Athenis in Pœcile pinxisse ex Plutarcho in Cimonis Vita p. 481 A apparet, ubi τὰς Τρωάδας et inter eas Laodicen ad amatæ sibi Elpinices speciem expressisse memoratur) in qua Epeus exhibitus erat nudus, Trojæ murum solo æquans, καταβάλλων εἰς ἔδαφος τῶν Τρώων τὸ τεῖχος, prominente inter ruinas capite Equi Duratei. A quibus multum discessit Comes Caylus in interpretatione et adumbratione hujus picturæ (Hist. de l'Acad. des Inscr. Tom. XXVII, p. 34). Sed Epeus ex artificis mente ruinam muri ampliabat, ut prospectus in urbem pateret, intra cujus mœnia erant patefacienda nonnulla, quæ ad argumentum spectabant. Præter artificis tamen animum ac græca Pausaniæ, expressa sunt a Caylo etiam alia nonnulla. Ad nostrum tempus servata opera, in quibus Equus Trojanus visitur, Winckelmannus olim numerabat quatuor, picturam, satis inscite factam, Codicis Vaticani a Bottario ed. p. 43 et 47; tabulam Iliacam a Fabretto vulgatam, num. 95 et 100 (unde Begerus transtulit in lib. de Bello et Excidio Troj.); gemmam apud Licetum p. 310 (e quo Gorlæus repetiit P. II n. 523); et picturam Herculanensem Tom. III t. 40 re in risum versa, ut pro parodia scenica haberi res possit; quibus ipse addidit quintum exemplum e gemma, Monum. ant. ined. CXL, quæ cum Virgilio hactenus convenit, quod in ea expressum id quod v. 262 legimus: 'Demissum lapsi per funem;' tamen simul scala admota equo cernitur, quam Quintus Cal. XIII, 52 et Tryphiod. v. 89 memorant, Tabula etiam Iliaca num. 100 exhibet. Cernuntur ibidem *claustra* (v. inf. 259), quæ Sinon *laxat* et aperit, h. e. θυρίον seu ostiolum; quod idem cum fune in pictura Codicis Vatic. p. 47 occurrit. Est tandem patera Etrusco, seu Italico opere, apud Lanzium (Saggio di Lingua Etrusca) Tom. II, p. 223. Habebat igitur poëta fabulam a multis tractatam et vulgarem ante se positam, sed cum ea simul tragicos suos ex Græcis expressos. Nam Livii Andronici fuit fabula, *Equus Trojanus*, e qua fragmenta pauca supersunt, aliaque Nævii ap. Macrob. VI, 1, et de eo actum fuit in Accii

Digitized by Google

Deiphobo. V. Serv. ad II, 17. uti quoque in Tragicis Græc. memoratur, v. c. Eurip. Troad. 9 sq.

Sed gravior observatio forte est illa, qua arte poëta fabulam per se puerilem et nullam πιθανότητα habentem ita tractaverit, ut nihil nos in ea offendat, multa delectent. Fabulam dixi puerilem et per se parum probabilem; etsi interpretatione sua eam juvare conati sint multi etiam inter veteres. Vide vel Serv. et Cerdam ad h. l. et plura satis inepte excogitata ap. Licetum Gemmis Annular. p. 310 sqq. Sed haud dubie in veteris Græciæ prisco sermone, audaces et insolentes figuras sectante, obscura hujus Equi origo latet. Quod tamen me in hac fabula multo magis tenet, est hoc, quod ille Equus Palladi voti causa offertur. Nam, si Neptuno, Equestris rei auctori, Ἱππίῳ, consecratum viderem, non mirarer. Quod Pallas artibus præest, id tantum ad artificium equi ligno facti pertinere potest. An equus, navis symbolum (nam navigationem antiquiores per equitationem adumbrabant; ut forte hoc ipso ortum videatur, quod Neptunus equum produxisse proditus est), pro navigatione felici dedicatus fuit? Palladi autem, quia ea Dea propter ablatum Palladium erat placanda? Navigio etiam actuario equum assimulat Eurip. Troad. 538 in chori verbis, quæ antiquum sermonem fere æmulantur; ad navis etiam modum et rationem a vectoribus insessæ effictum eum exhibet Tryphiod. v. 62. 181. Quod vero in Virgilio fabula per se inepta placere potest, id efficitur primum ejus antiquitate; nam in multis mythis hoc suus quemque sensus docere potest, quo propiores illi rerum hominumque originibus priscæque vitæ asperitati aut simplicitati sint, eo facilius in iis ferri res parum probabiles (cf. inf. ad III, 209 et 250); tum tractatione sapienter et magno cum judicio instituta poëta omnia ab oculis removit, quæ attenuare rem et officere dignitati epicæ poterant; contra multa apposuit, quæ ad probabilitatem faciunt; cumque inprimis vix in stolidissimos homines cadere videatur, ut patiantur sibi tam turpem fraudem fieri, ut, suspicione de viris in Equo conditis semel orta, tamen eum intra mœnia recipiant, callide poëta plura, eaque quæ

Digitized by Google

ad religionem spectant, rem ad hominum animos potentissimam, attulit, quæ Trojanos a proposito revocarent, primum Sinonis dolos, tum Laocoontis exitium. De quibus omnibus Homerus, pro sæculi sui simplicitate, parum laboravit, fabula nude exposita Odyss. Δ, 272 sqq. At Virgilii judicium multo magis intelligas, si Quintum Calabrum et Tryphiodorum compares. Ut unum commemoremus, noster v. 260—264 eos, qui Equo insederint, memorat *novem* (cf. Hygin. f. 108; cum Homerus simpliciter πάντες ἀριστῆς dixisset. Ecce tibi Quintum, qui (XII, 310 sqq.) ad *triginta*, et Tryphiodorum, qui (v. 153 sqq.) *duo ac viginti* commemorat; at Cedrenus Hist. Compend. p. 131 c *quatuor et viginti;* et, si multo magis insanientes audire lubet, legendi Tzetza ad Lycophr. 930 et Eustath. ad Odyss. Λ, p. 1698, 1. Cf. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 367. et nunc Jacobs ad Posthomer. 642. Varie inter hos scriptores eorum, qui Equo latuerunt, nomina tradi, vix opus est monere. Ex iis, quos Virgilius inf. II, 261 sq. recitat, Thessandrum et Machaonem nemo habet alius, nisi Hygin. fab. 108. In Equo ex ære facto, qui Athenis in arce stabat, Menestheus et Teucer cum Thesei filiis (Demophoonte et Acamante) ex Equo prospiciebant, ὑπερκύπτουσιν ἐξ αὐτοῦ ap. Pausan. I, 23, p. 55 satis ridicule, fere ut in Cod. Vatic. Quantum ineptierint circa hunc Equum veteres, scilicet dum seriores tractatum a superioribus poëtis argumentum variare et ornare volebant, saltem ex eo colligas, quod ap. Servium ad II, 150 mensura Equi lignei traditur; 'fuisse eum longum CXX latum XXX,' pedesne an cubitos, non adjectum.

EXCURSUS IV.

DE SINONE.

II, 57. Etiam narrationem de *Sinone* ex Pisandro ductam a Virgilio, tradiderat Macrob. V, 2, sed v. sup. Excurs. I,

Digitized by Google

ad h. lib. Sinonis fraudes etiam Quintus, Tryphiodorus, Dictys et Dares memorant. Datum ei genus maternum commune cum Ulysse, nam filius Æsimi fuit, nepos Autolyci, cujus filia Anticlia, quæ Ulyssem edidit: Schol. Lycophr. 344 et Serv. ad h. l. Videntur in eum poëtæ, qui Homericas fabulas ornarunt, transtulisse, quæ de Ulysse narrata Odyss. Δ, 244 sqq., præivisse autem omnibus Lesches. Nam Iliadis parvæ particulam constituebat *Sinon* apud Aristot. Poët. 23, ὡς ὁ Λέσχης φησὶν, addit Tzetza ad Lycophr. 344. Ex eodem repetita res in Tabula Iliaca n. 98. Apud Proclum in argumento Ἰλίου πέρσιδος memoratur: ut novo hoc argumento fit, non Arctini carmen, sed Leschis extremos Iliadis parvæ libros eos fuisse. Fuit Sinon etiam fabulæ Sophocleæ argumentum Hesychio laudatæ. Ex hac aut alia tragœdia profecisse videtur Virgilius in Sinonis oratione, quæ Græcarum tragœdiarum eloquentiam et acumen redolet. Est vero omnino apud Virgilium totus hic locus de Sinone eximie elaboratus et ornatus, etiam ad probabilitatem magis, quam apud ceteros. Ita apud Quintum v. 355 prope equum astat Sinon, quod minus probabile, quam hic II, 57 sqq. In Cod. Vatic. pictura p. 43 revinctum fune suis brachiis ducit equum Sinon. Porro apud eundem Quintum interrogatus de equo respondere recusat, nec nisi αἰκιζόμενος, verberibus, naribus auribusque rescissis, fraudem effatur. At apud Tryphiod. 211 et Cedren. Hist. p. 131 D se ipsum verberibus lacerat, ut Trojanos fallat. Sapientius omnia Virgilius; etiam hoc quod in palude se delituisse narrat, v. 135. At apud Quint. v. 375 Sinon ad Equum tanquam ad asylum se recipit.

Digitized by Google

EXCURSUS IV.*

DE PALAMEDE.

II, 31—85. 'Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi Insontem, infando indicio, quia bella vetabat, Demisere neci: nunc cassum lumine lugent.' Memorabile Palamedis nomen est, cum aliis de causis, tum quod in eo insigne exemplum habemus variatæ per tragicos, inde per rhetores, tandem per grammaticos, fabulæ (Diserte ea exposita apud Schol. Eurip. Orest. 432 et ad Lycophr. 886. Hygin. f. 105, et ibi laudd. Servium ad Æn. II, 81, Pompon. Sab. ad e. l.). Omnino Homerus nec patrem Nauplium nec filium Palamedem agnoscit; ita ut obscurum esset, unde hic in res Trojanas illatus sit: nisi partim e Pausan. X, 31 pr. partim e MS. Escorialensi Procli jam supra memorato docere possem, *Cypriorum carminum* auctorem primum ei aditum et nomen in fabulis Trojanis fecisse. Nam in primo belli apparatu cum Ulysses militiam detrectaret, Atridæ *μαίνεσθαι προσποιησάμενον Ὀδυσσέα ἐπὶ τῷ μὴ θέλειν συστρατεύσασθαι ἐφώρασαν, Παλαμήδους ὑποθεμένου, τὸν υἱὸν Τηλέμαχον ἐπὶ κόλασιν ἁρπάσαντες*: et sub finem carminis: *ἔπειτα ἐστὶ Παλαμήδους θάνατος*: ita ut omnis de Palamede narratio ad Antehomerica spectasse videri debeat. Etsi autem, quibus modis fabula tractata a Stasino et ornata fuerit, aliunde non liquet, nisi quod e Pausania l. c. apparet, jam in Cyprio carmine lectum fuisse, quod Palamedes tesserarum ludum excogitarit, et quod, cum piscatum iisset, Ulyssis et Diomedis fraude in aquis demersus interiise dictus sit: e serioribus tamen scriptoribus, si commenta eorum detraxeris, satis assequi possumus, in illo carmine odia inter Ulyssem et Palamedem agitata, insidiasque huic ab isto factas, tum solers Palamedis ingenium et summam ex rerum usu pru-

Digitized by Google

dentiam fuisse adumbratam. Nec mirum adeo in rhetoricis scriptis nihil tritius esse Palamedis integritate, injusta nece, et Ulyssis fraude: v. c. Dion. Chrys. Or. XIII, p. 428 ed. Reisk. Or. LIX, p. 360. Involarunt post hæc in argumentum Tragici Sophocles et Euripides, ille quidem non modo fabula Palamede, verum, ut probabile fit, nec minus in duplici Nauplio; sed multo clarior fuit Palamedes Euripidis, cujus fragmenta nonnulla habemus, et in his notissimum illud: ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοὶ, τὰν οὐδὲν' ἀλγύνουσαν Ἀηδόνα Μουσᾶν, 'Neci dedistis, ah, neci doctissimam, Danai, innocentem, musicam, lusciniam;' quod in Socratem versum est a spectatoribus, cum post ejus necem in scenam revocata fuisset illa fabula (v. in fragm. Eurip. et in Diatribe Valk.). Intellectu haud difficile est, Palamedem ex tragicorum invento sustinuisse personam modo imperatoris solertis et strenui, juxta posita Agamemnonis superbia et cupiditate, (v. Plato de Rep. VII, p. 522 D) modo viri justi, constantis, sapientis, quem cives injusti et ingrati pro beneficiis acceptis injuria et maledicentia persequuntur. Ad talem personam alludere puto Xenophontem de venat. I, 11, ubi ultio, quæ ei a Diis contigisse dicitur, respicit Nauplii consilia: quæ exposita videbis v. c. ap. Schol. Lycophr. 384. Conf. Xenoph. Mem. S. IV, 2, 33. Apol. Socr. s. 26. Pari modo Ulysses in Tragicis personam induit demagogi perniciosis artibus popularem auram captantis. Amphionem in Antiope Euripides in philosophum studiis et otio litterario addictum, Hippolytum idem in sapientem Pythagoreum transformaverat.

Inde Sophistæ Palamedis causam ab Ulysse proditionis accusati, ingenii ostentandi, tum rhetores exercitandi causa, proposuere: scilicet cum, ut in judicio armorum inter Ajacem et Ulyssem, ita in hac Palamedis causa materiam idoneam viderent ad argumenta eruenda et refellenda; cf. Cic. Topic. 20, s. 76. ad Herenn. II, 19. Extat sub *Alcidamantis* nomine accusatio Palamedis, κατὰ Παλαμήδους προδοσίας, quæ nihil habet memorabile, præterquam quod, ut suspicor, rerum argumenta ex carmine Cyprio adumbrata sunt; ductum est crimen a sagitta inventa, in cujus arundine

Digitized by Google

latebant litteræ Paridis: crimini etiam hoc datur, quod clypeum tridente insignitum gessit, et quod inventa rerum falso jactavit. Alia est *Gorgiæ* defensio *ὑπὲρ Παλαμήδους ἀπολογία* (utraque in Reiskii Oratt. Gr. Vol. VIII) Sophisticis argutiis referta; ubi etiam p. 118 locus de inventis diserte tractatur: de quibus cf. Fabricii B. Gr. I, 23. Inprimis loc. Sophoclis in Palamede apud Achill. Tat. ad Arat. p. 122. Uranolog. Petav. Ex serioribus Sophistis locum habemus in Philostrati Heroicis c. 10 sq., qui, cum omnino pro Achille, forti quidem, sed iracundo, pervicaci et immani homine, Palamedem, quippe perfectæ sapientæ et virtutis exemplum, ab Homero delectum esse cuperet, quem epica narratione celebraret, cumulavit in Palamedem omnia quæ in sapientem Stoicorum cadere possint; contra Ulyssis prudentia ad fraudes meras, scelesta consilia, et bonorum obtrectationes refertur. Exponuntur copiose semina et causæ odiorum inter hunc et Palamedem; solertia hujus inventa et consilia: in quibus hoc memorabile, quod pestilentia tentatos Achivos jubet tenuiore victu motuque intentiore uti; interdicit mercatu carnium exercitum, pomis vero et oleribus refectos milites vult, in altum evectos, laboribus assiduis exerceri (§ 4). Non multum ab his abludit narratio in fragmento *τῶν Τροϊκῶν* e cod. XXIV Biblioth. Uffenbach. p. 682—686, ubi et hoc occurrit, quod, dum lapidibus obruitur, Palamedes exclamat: *χαῖρε, Ἀλήθεια, πρὸ ἐμοῦ γὰρ τέθνηκας*: tum in Tzetzæ Antehomericis v. 114 sqq., in quibus eadem verba sic reddita sunt: *Χαῖρε, Ἀλήθεια κυδρή, πρόθανες γὰρ ἐμοῖο.* Hoc singulari in Palamedem studio captos videre licet etiam Grammaticos; finguntque ii adeo Palamedem poëtam fuisse, cujus Homerus nullam mentionem fecisse dicitur invidia contactus: v. Suid. h. v. Jam Dictyn II, 15 et Daretem c. 19 sqq., supposititios auctores, commemorare nihil attinet, quorum ille rhetorice historiam commentitiam conscripsit, hic declamatorie idem argumentum persecutus est. Poëta noster, an veteris scriptoris exemplo, nescio, Palamedis nomine præclare usus est ad auctoritatem Sinonis dictis comparandam, siquidem illi Sinon comes fuit et consanguineus. Quod autem, 'quia bella vetabat,' occisus ab Achi-

Digitized by Google

vis narratur, recedit a vulgari narratione, qua proditionis arguebatur, litteris ab Ulysse per fraudem submissis.

In Palamedis stemmate turbas fecere jam veteres. V. Burm. in Argonaut. voc. *Nauplius*. et Not. ad Apollod. p. 274 sq., et ipse Maro in eo lapsus est, cum *Belidem* eum appellat. Nam is Palamedes, de quo agit, Nauplii Euboici e Clymene, Catrei filia, erat filius: cumque mater esset soror Æropes Plistheni nuptæ, quæ Agamemnonem et Menelaum partu ediderat, Atridas ille materno genere attingebat. Diversus fuit Nauplius, qui ad Argivas fabulas spectat, Neptuni et Amymones filius: quæ cum Danai esset filia, Belique adeo neptis, hactenus Palamedes, perperam ab eo ductus, *Belides* dictus est. Septimo gradu a Belo originem trahere falso dicitur a Lutatio ad Statii Achill. I, 94 et a Servio ad h. l. Æn. II, 81, ubi Apollonio auctore id traditur.

EXCURSUS IV.**

PALLADIUM A DIOMEDE ET ULYSSE RAPTUM.

II, 164—168. 'Tydides—scelerumque inventor Ulixes, Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium, cæsis summæ custodibus arcis, Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis Virgineas ausi Divæ contingere vittas.' Celebritatem habet hoc Diomedis et Ulyssis facinus multo magis per gemmas artificio nobiles quam per poëtas. Diversis modis res ab iis est narrata, inprimis de ortis inter utrumque iris; cum Ulysses Diomedi Palladium, quo ille jam potitus erat, eripere vellet; tum vero hic stricto ense in Ulyssem irruit, eumque ante se agit, ne a tergo insidias ille machinetur. V. Conon. Narr. 34. et Eustath. p. 822, 19, per episodium narratur a Quinto x, 350 sq. Adde Zenob. in *Διομήδεως ἀνάγκη*: et in h. v. Suidas, item Hesych. ubi: *Ὁ δὲ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα* (sc. *γράψας*) *ἐπὶ τῆς τοῦ Παλλαδίου κλοπῆς γενέσθαι* (sc. *φησί*). Et hoc vere; nam in argumento *Ἰλιάδος μικρᾶς* apud Proclum est versus finem: *καὶ μετὰ ταῦτα* (Ulysses) *σὺν*

Digitized by Google

Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου. Virgilius rem tantum attigit, ita ut nec appareat, quem ex pluribus narrandi modis secutus ille sit; videntur ex ejus mente uterque templum Minervæ esse ingressus et uterque manibus contrectasse Deam.

Nobilitavit, ut dixi, fabulam ars, cum aliis operibus, tum maxime gemmis. Præiverat Pytheas, cœlator, Plinio auctore, lib. XXXIII, 55. 'cujus binæ unciæ X. venierunt: Ulysses et Diomedes erant in phialæ emblemate, Palladium surripientes.' Sunt anaglypha, hujus argumenti, obscurioris tamen famæ, ut in Sarcophago apud Gorium Inscript. Etrusc. To. III tab. 39. et apud Buonarroti (Osservazioni istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi: in titulo operis) qui Ulyssem cum Alcinoo exhiberi putabat, astante Diana cum anchora: probabiliora dicas, si Ulyssem cum Diomede de raptu Palladii consultantem exhiberi dixeris; navis apposita Ulyssem, puto, declarat ex artificis mente; statua autem columellæ imposita ei similis quæ in gemmis hujus argumenti occurrit, parum cum fide reddita esse videtur. Si Diana est, columellæ insistens, saltem arcum tenere videri debet. Nobiliores sunt gemmæ; aliæ, quæ totam fabulam, Diomedem et Ulyssem ante templi fores inter se altercantes de Palladio, quod iste manu tenet, exhibent: in quo genere princeps est Sardonyx nunc in Dactyliotheca Ducis Marlburiensis servatus, verbis insculptis, Καλπουρνου Σευηρου et in ara Φηλιξ ποιει: (delineatus ille in splendidissimo opere: Gemmæ antiquæ Ducis Marlburiensis To. I tab. 39. majore cum fide quam in Stoschiano opere Gemmarum cœlatarum tab. 35 aut a Braccio tab. 75). Similis alia est in Museo Florent. II, 28, 1. Aliæ gemmæ modo Diomedem solum, modo Ulyssem exhibent, eodem tamen habitu ac gestu, ac si alter astaret, cum quo contentio est. Diomedem solum Palladium manu tenentem et de ara desilientem reddunt gemmæ omnium nobilissimæ, Dioscoridis altera, altera Solonis nomine insignitæ: illa in gaza Ducis Devoniensis, hæc in domo Strozziorum asservata. Successere artificum æmulantium certamina, inprimis in Diomede,

Digitized by Google

cujus generis multæ sunt gemmæ summæ artis; sunt aliæ ab imitatrice manu, etiam a Lipperto et Tassio expressæ, quas hic commemorare necesse non est. Agebatur a me tantum hoc, ut nobilitatem et celebritatem fabulæ declararem. Unum attingam: Commemorat noster *cæsos custodes arcis:* visitur autem in gemma Dioscoridis aliisque prostratum in terra et obvolutum corpus (in una gemma Musei Florent. nudum conspicitur). Alcathoum esse probabile fit, quem cæsum edit Quintus x, 352. Porro in columella astat signum paulo obscuriore specie, vulgo pro Minerva habitum, etiam a Winckelmanno; nunc aliarum gemmarum comparatione intellectum est, Apollinis id esse πολιούχου seu πατρῴου Trojanorum.

EXCURSUS V.

DE LAOCOONTE.

II, 199. 'Hic aliud majus miseris multoque tremendum Objicitur magis, atque improvida pectora turbat: Laocoon.' Sequitur apud poëtam locus vel nuperis virorum doctorum disputationibus nobilissimus, et a Virgilio summa cum arte tractatus; super quo et nobis liceat partim de poëtæ inventis, aut unde ille narrationem ejusque ornamenta acceperit, partim de Vaticano similis argumenti signo quærere, num ei quicquam cum poëta commune sit. Sed ad utramque quæstionem satis expedita fore videtur responsio, si viderimus, qui alii poëtæ veteres fabulam de Laocoonte tractarint, et ornarint.

Et primum quidem varie omnino olim a variis narrationem hanc esse tractatam, vel ex serioribus scriptoribus intelligimus, qui nihil aliud fecisse putandi, quam ut superiores auctores aut serviliter imitarentur aut exscriberent. Exponunt autem illi narrationem de Laocoonte copiose et in multis diverse.

Digitized by Google

Ita apud Quintum Calabrum XII, 388—409 jam tum, cum hasta percusserat Equum Laocoon, Palladis numine terra sub ejus pedibus movetur, unde eum repentino terrore attonitum stupor et ἀναισθησία occupat. Mox tamen, cum Equus v. 436 etc. in urbem duceretur, ille non desistit hortari et obtestari Trojanos, ut eum comburerent; tum ex insula Calydna Minerva dracones advocat, qui, dilapsa, quæ aderat, turba, v. 466—490 duo Laocoontis filios correptos malis frangunt, frustra ad patrem manus tendentes, Πατρὶ φίλῳ ὀρέγοντε ἑαὶς χέρας· οὐδ' ὃς ἀμύνειν Ἔσθενεν. Inde duo dracones non, ut apud Virgilium, in Minervæ templum in arce confugiunt, sed sub terram evanescunt, circa templum Apollinis in arce Pergamo, ubi adeo cenotaphium iis factum narrat (in ipso templo Apollinis Thymbræi filios interiisse Tzetza memorat ad Lycophr. v. 347, nescio an alio rei auctore). At pater oculis capitur. Hactenus Quintus, qui, quam diversus in multis sit, obvium est. Tryphiodorus Laocoontis plane nullam mentionem facit, uti nec Dictys et Dares. At Hyginus f. 135, proxime ad Virgilium, patrem cum filiis necatum narrat. Facit is, nisi ab exscriptore vel excerptore corruptus est, Laocoontem Acœtis filium, Anchisæ fratrem; at Antenoris filium tradit Tzetza ad Lycophr. 347. Apud eundem Hyginum Laocoon est Apollinis, non Neptuni, sacerdos, et contra ejus voluntatem uxorem duxit, eique ab Apolline dracones immittuntur; quæ non admodum ab iis discrepant, quæ Servius ad v. 201 ex Euphorione affert. Filiorum quoque duorum nomina apud Hyginum ascripta sunt: *qui filios ejus Antiphantem et Thymbræum necarent.* At apud Serv. ad v. 211 Thessandrus *Ethronem* et *Melanthum* nominatos edidit. Quid? quod et draconum nomina occurrunt; *Porces* quidem apud Lycophr. v. 347, ubi Tzetzes alterum *Charibœam* excitat (ὁ Πόρκης—ἡ Χαρίβοια), utrumque etiam ex Lysimacho commemorat Servius l. c. et, si alteri Servii loco ad v. 204 fides habenda, nomina ea jam Sophocles in Laocoonte protulerat. Dracones ingeniose satis *Typhonis soboles* produntur a Quinto v. 443. Ab eodem dracones a Calydna arces-

Digitized by Google

suntur, seu potius a Calydnis, cum Lycophrone l. c. (ad quem loc. v. Schol.), quæ duæ sunt insulæ juxta Tenedum. Apud Virgilium ab ipsa Tenedo prodeunt, in quo Hyginum habet consentientem.

Immoramur his per se levibus eo, quod vel ex his intelligitur, varie olim hanc fabulam a pluribus poëtis fuisse tractatam. Sed liberior nobis progrediendi locus datur, et possumus etiam scriptores laudare Virgilio antiquiores, qui de Laocoonte egerint. Nonnullorum quidem nomina jam ante ascripsimus. Etsi *Thessandrus* quidem, modo e Servio memoratus, excitari a nobis non potest; nam is *Pisandrus* esse videtur, quem supra ad horum Excurss. principp. ad seriores auctores relegavimus, corrupte ille et alias *Tisandrus* vocatus. Alter autem scriptor, a Servio laudatus, *Lysimachus* Alexandrinus sine dubio fuit, non ignobilis olim auctor *περὶ Νόστων*, quem cum aliis similis argumenti scriptoribus laudatum vides in Schol. Apollon. I, 558 et particulam ex primo ejus libro in Tzetza ad Lycophr. 874. Cf. Voss. de Hist. Gr. lib. III, p. 180 a. Attigit etiam fabulam *Lycophron* poëta, qui et ipse Alexandriæ vixit, Ptolemæi Philadelphi ætate, in Cassandra v. 347. Alius fuit ex schola Alexandrina, qui fabulam de Laocoonte non attigit tantum, sed pertractavit, et ille quidem poëta olim clarissimus, *Euphorion*. Ex eo fabulæ ornamenta nonnulla satis recondita narrat ad h. l. v. 201 Servius, et ex eo, puto, corrupte tamen, Pompon. Sab. Omnino quidem Euphorionem fabulas Trojanas suo more tractasse et narrasse, ex iis patet, quæ eum de Laodice, Priami filia, diverse ab Homero et Lescheo *σὺν οὐδενὶ εἰκότι*, narrasse Pausanias prodit lib. X, 26 p. 864. Potuit autem de Laocoonte agere Euphorion, in opere (*Μοψοπία* vel *Ἄτακτα* inscriptum erat) quo reconditæ et obscuræ ex tota fabulari historia fabulæ, non secus atque a Callimacho in *Αἰτίοις* et a Lycophrone in Cassandra, erant expositæ. V. sup. ad Ecl. VI, 72. In quinto libro, qui Chilias inscriptus erat, prisca oracula, eorumque eventus, collegerat, adeoque et ea quæ excidium Trojæ antecesserant memorare debuit: ut jam sup. Exc. I monitum est.

Digitized by Google

Non vana hinc suspicio oriri potest, Euphorionem etiam Virgilio in hac fabula ante oculos positum fuisse. Nam, quam magnifice Virgilius de eo poëta senserit, ex Ecloga VI, 72 et X, 50 intelligitur; unde etiam Quintil. X, 1, 56 'Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis mentionem.' Et omnino Alexandrinis poëtis inprimis operam dedisse Virgilium nostrum, ex iisque profecisse in doctrina poëtica, qua excellit, admirabili, et in simplicitate orationis pura, tersa ac nitida, cui dignitatem tamen et gravitatem, qua illi carent, ex Tragicis, ut supra exposuimus, petitam adjecit, conjicimus. Certe ex illis poëtis tota Augustei sæculi elegantia ac nitor fluxisse videtur, et Romæ ab elegantioribus hominibus Alexandrinos illos unice frequenti lectione tritos fuisse, vel ex Cicerone apparere puto Tusc. Qu. III, 19, ubi Ennium 'ab his Euphorionis cantoribus' (h. e. iis, qui eum vel latine redderent, ut Cornelius Gallus, vel eum imitatione sequerentur aut omnino valde frequentarent) contemni ait; scilicet tersiorem et puriorem Euphorionis orationem judicabant Enniana. Etiam Tiberium Cæsarem Euphorionem, Rhianum, et Parthenium admodum probasse, ut et eorum imitatione carmina græca scriberet, e Sueton. Tib. 70 constat. Non igitur veri adeo dissimile videri potest, si quis Euphorionem a Virgilio in hac fabula expressum esse censeat, cum, quæ a Servio ex eo commemorentur, Virgilianis fere conveniant. Idem in fabula de Corœbo auctor Virgilio fuisse perhibetur: inf. Excurs. X.

Tota tamen ratio, qua poëta hoc episodium tractavit, tragicum potius spiritum orationemque affectibus gravem et ornatam prodere videtur. Debuit autem in multis tragœdiis græcis latinisque, quarum argumenta excidium Trojanum respicerent, hæc narratio occurrere. Inprimis tamen nobilis olim fuit *Sophoclis* tragœdia, *Laocoon* inscripta, e qua versus aliquot servavit Dionys. Halic. I, 48 (quem vide) et duo alios Harpocration in ἀγυιᾶς. Ex eadem esse videtur, quod Eustath. ad Odyss. p. 1496 l. 36 a Sophocle

Digitized by Google

Equum Trojanum eleanter ὕπουλον dictum memorat. An ex illa Sophoclis, nescio, sed ex aliqua certe Græci poëtæ tragœdia breviter narrata est fabula ab Hygino f. 135; jam auem is cum Virgilio multo magis, quam cum ceteris auctoribus, consentit.

Jam omnium horum fontem unum aliquem ex Cycliçis poëtis fuisse, dudum suspicabar, inprimisque Leschen, quem utique Quintus expressisse visus erat. Dubitationem tamen faciebat hoc, quod Tabula Iliaca, quæ post Homerum et Arctinum ex *Iliade parva* expressa est, Laocoontem ignorat. Sed potuit ea res ac debuit cum ceteris, quæ desiderantur, in altera Tabulæ parte, quæ periit, exhiberi. Nunc ex Procli fragm. hæc tradere licet: Præcipuus hujus fabulæ fundus fuit *Ἰλίου πέρσις* Arctini: seu, quod probabile fit, Leschis; in cujus initio statim expositum fuit: *ὡς τὰ περὶ τὸν ἵππον οἱ Τρῶες ὑπόπτως ἔχοντες, περιστάντες βουλεύονται, ὅ, τι χρὴ ποιεῖν· καὶ τοῖς μὲν δοκεῖ κατακρημνίσαι αὐτὸν, τοῖς δὲ κατεφλέγειν. οἱ δὲ ἱερὸν αὐτὸν ἔφασαν δεῖν τῇ Ἀθηνᾷ καταθῆναι.—ἐν αὐτῷ δὲ δύο δράκοντες ἐπιφανέντες τὸν Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν παίδων διαφθείρουσιν.* Contra in *Iliadis parvæ* argumento, quod in Equi in urbem deductione subsistit, nulla Laocoontis fit mentio. Secundum hunc alium habeo, quem inter primos fabulæ auctores nominare possis, *Bacchylidem:* nam is, Servio quidem teste, 'de Laocoonte et uxore ejus vel de serpentibus a Calydnis insulis venientibus atque in homines conversis' meminerat: qui, si antiquus ille fuit *μελοποιός*, Pindari æqualis, in lyricis suis aut Stesichori exemplo carminis argumentum facere, aut digressione facta fabulam attingere potuit, ut tamen ejus verba pro fundo essent reliquis poëtis. Una adhuc superest fabulæ de Laocoonte narratio ap. Petron. c. 89 in *ἁλώσει* Trojæ v. 29 sqq., sed ea ex Virgilio, in nonnullis tantum non pueriliter, in aliis declamatorie omnia in majus efferendo, expressa (etsi in multis bene eam adversus Tollium, qui in Fortuitis p. 14 Petronium cum Virgilio contulit, defendat Burm.), sive is vere tabulam aliquam tum superstitem ante oculos habuerit, sive habere finxerit. Inter alia, cum Virgilius intactum reli-

Digitized by Google

quisset, utrum Laocoon morsu serpentis perierit, nec ne, ille v. 49 sqq. patrem cum filiis exanimatum exhibet; porro v. 44 de pueris; ' parvulas illi manus Ad monstra vertunt; neuter auxilio sibi, Uterque fratri transtulit pias vices, Morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.' Placent hæc mutui fratrum amoris cogitatione; sed accuratius dispicienti vix ex rerum veritate dicta videri possunt; sibi enim, non alteri, *in gravi ac repentino terrore* consulit quisque; et importuno verborum lusu expressa talia nolis. Sed hæc jam animadversa a Lessingio in Laocoonte p. 57 videas. Ceterum, quod ' parvulas manus' tribuit, admodum pueros videtur significare velle; et Virgilius: ' parva duorum corpora' natorum. Talia quoque in Codicis Vaticani pictura, admodum inscite facta, expressa videas. Si tamen sacrificanti patri ministerium præstiterunt, tanquam Camilli; vix adeo teneros exhiberi a poëta posse putes. Et tales impuberes (quanquam et ii ipsi reprehensi, quod patris speciem non satis æquant. vid. Richardson, Descript. de divers Tableaux etc. p. 513. Comes de Caylus Tom. XXV Mem. de l'Ac. des I. p. 329) in nobilissimo illo Laocoontis cum filiis duobus signo, quod olim Viridarium Pontificis Max. Romæ, nunc Museum Pio-Clementinum habet, sive Rhodiorum artificum opus, sive ejus exemplum, exhibentur. In reliquis, meo quidem judicio, aut nihil in signo illo occurrit, quod magnopere cum Virgilio conveniat; aut unum et alterum, quod adeo, nec artificii vel carminis ratione ita postulante, diversum sit, occurrit; contra vero, id, quod in opere Vaticano inprimis attendendum erat, momentum rei gestæ, quod artifex cum judicio delegit, in carmine ne quidem attingitur: serpentum autem nodi prorsus sunt diversi; nam uterque serpens implicita Laocoontis cervice supra caput ejus eminet. Quæ cum ita sese habeant, parum materiæ ei disputationi inde suppetere videri possit, utrum poëtam artifex, an is poëtam secutus sit. Neuter enim alterum, neque uterque commune aliquod exemplum, vel eundem auctorem, ante oculos habuisse, sed uterque suos auctores, (quos plures in hac fabula extitisse ut constaret, supra a nobis allabora-

Digitized by Google

tum est), suæque artis rationes secutus esse dicendus. In hanc tamen de discrimine inter poëtæ et artificis opera, eorumque causas ac rationes, disputationem incidisse Lessingium, est quod gratulemur, cum ei librum præclarum eo nomine inscriptum debeamus. In Holdsworthii et Spencii Annotat. et Obss. ad h. l. etiam nonnulla nuper legimus, sed vulgaria fere, partim et falsa.

EXCURSUS VI.

LAOCOONTIS CLAMORES.

II, 222. 'Clamores simul horrendos ad sidera tollit' Laocoon. Quæ docti viri nostrates nuper super h. l. disputarint, recenti tenetur memoria. Mihi quidem, quid in poëta excusandum vel defendendum videri debeat, nondum satis liquet. Certe ne clamores memoraret, nihil eum deterrere potuit. Nam in Laocoonte nec herois aut magni viri fortitudo et constantia, nec Romani pectoris gladiatoriis spectaculis efferati immanitas omnino ullum habere potest locum. Agendum erat poëtæ inprimis hoc, ut portentum terroris et horroris plenum offerretur, quo Trojani obstupefacti suspicionem fraudis animo dimitterent et Equum in urbem reciperent. In tali consilio *clamoris* ratio haberi a poëta poterat hactenus, quod ad terrorem augendum clamores ingentes, quos tolli audias, facere possunt et ipsi, in tam atroci casu, in quo naturæ impulsus ita fert, ut clamorem tollas. Neque ea res fastidium aut reprehensionem habere potest. Enimvero doloris victi, questusque repressi vel temperati, laus omnino fuisset nulla. Non enim de pugna vulnereque accepto agitur. Nihil hic de virtute militari, nihil de fortitudine sapientis. Constantiam ac tolerantiam in prodigio ejusque horrore declarando nemo desiderat. Aliter res se haberet in Laocoonte in scenam producto, quando mores ejus

Digitized by Google

simul sunt exprimendi. Virgilius vero omnia ad terrorem efferre et debuit et voluit. Scilicet, quod jam alio loco (Antiquar. Abhandlungen II St. pr.) a me monitum est, cum multa subtiliter et acute super Laocoonte disputata sint, inprimis super comparatione carminis et symplegmatis, sunt tamen pleraque a re et a poëta aliena. Inanis erat disputatio omnis, utrum artifex poëtam, an hic artificem, ante oculos habuerit; restat enim tertium, quod verum est, habuisse utrumque diversos auctores quos sequeretur; fuisse quoque utriusque consilium plane diversum: alter enim hoc efficere voluit, ut miserationem moveret, alter autem, Maro noster, ut terrorem. Hæc si animadverteris, ut sæpe fit, omne acumen concidit: redit res ad summam simplicitatem.

EXCURSUS VII.

EQUUS TROJANUS IN URBEM INDUCTUS.

II, 237 sqq. 'Scandit fatalis machina muros' etc. Non male hæc, sine dubio e vetere poëta, ornantur apud Tryphiod. v. 318 sqq. Pallas ibi ipsa Equum impellit, Juno autem et Neptunus portæ compagem laxant. Priamum ipsum inducendi auctorem fuisse, etsi Cassandra reclamante, alii tradiderant; ut ex Hygino f. 108 intelligitur. Omnino plures hanc narrationem ornandi modi, variis novis casibus ac miraculis rerum intextis, apud veteres fuisse videntur; cum illa a tenuissimis initiis profecta esset; v. sup. Excurs. III. Jam Odyss. Θ, 492 Ulysses Demodocum hortatur: *Ἀλλ' ἄγε δὴ, μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ, Ὃν ποτ' ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεὺς, Ἀνδρῶν ἐμπλήσας, οἳ Ἴλιον ἐξαλάπαξαν.* Inde Demodoci ipsum carmen subjicitur v. 500—520, in quo nihil est quod admodum improbes. At omnem *πιθανότητα* egressus est Homerus in notabili episodio de Helena Equum

Digitized by Google

obambulante Odyss. Δ, 274 sqq., quod in alio forte vetere poëmate probabilius fuit tractatum, uti etiam ex Tryphiodor. 452 sq. apparet, ubi propius ad veri aliquam speciem res exposita. Nam, ut Helena voces Achivorum ita simulaverit, ut, qui in Equo latebant, crederent, suas uxores advenisse Trojam, absonum est. Mihi de illo loco ita statuendum videtur, ut, suspicione de conditis in Equo Achivis semel orta, Helena accesserit, et varia tentaverit, quo efficeret, ut, qui inclusi essent, fœminæ sibi amicæ se proderent. Itaque non modo se suumque nomen profata suamque erga Achivos, populares suos, benevolentiam et in pristinum maritum fidem intemeratam testata est, verum etiam reditus sui ad Achivos et in Græciam desiderium commemoravit, quod sibi commune esset cum uxoribus Achivorum apud Trojam desidentium; quippe quæ votis precibusque assiduis reditum maritorum expeterent. Quæ ut tanto magis ad affectum movendum essent dicta, mulierum istarum, quippe quas olim familiares sibi habuerat, ipsa verba, blandasque maritorum suorum compellationes vocesque adeo ad desiderii amorisque significationem compositas imitatur. Nec multum aberat, quin ea res successum haberet. Omnium enim animis recordatione et miseratione conjugum relictarum motis, multi se vix continebant, quin Helenæ responderent.

EXCURSUS VIII.

DE NOCTE TROJANIS FUNESTA.

II, 250 sqq. 'Vertitur interea cœlum et ruit Oceano nox' etc. Præivisse Ennium Annal. VI 'Vertitur interea cœlum cum ingentibus signis,' Macrobius VI, 1 observavit; id quod tantum ad verba pertinet, de quibus V. sup. Exc. II. Rem jam Lesches docuerat, qui suam de Troja capta narrationem

Digitized by Google

sic erat orsus: *Νὺξ μὲν ἦν μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη*, quando Sinon facem sustulit, apud Schol. Lycophr. 344. Omnino tamen Virgilius Euripidem ante oculos habuit Troad. 542 sqq. Adde chorum Hecubæ 914 sqq. Alia de hac nocte, deque mense et anno tradentur inf. ad lib. III Exc. II. pr. Facem diximus a Sinone sublatam, quæ vulgaris est narratio; legebatur illa quoque in Arctini Excidio Ilii, ut e Proclo discitur: at inf. Æn. VI, 517 ab Helena factum narratur. Conjunxit utrumque Tryphiod. 498 sqq. et potuit sane alterum post alterum fieri. Ab Antenore facem sublatam et alvum equi apertam alii tradiderant: Schol. Lycophr. 340. At in hoc ipso loco II, 256. 257 facem navis imperatoria Agamemnonis extulisse dicitur: 'flammas cum regia puppis Extulerat;' quod Seneca sequitur et imitatur Agam. 427. 428. Sed hoc est signum non proditionis, sed profectionis, classi ab imperatore datum. Post hæc videamus, qualem œconomiam rerum per hanc noctem poëta dispescuerit. Nox non erat illunis, aut sublustris: sed plenilunium: v. not. v. 255. Classis a Tenedo redux face e navi prætoria sublata ad littus Trojanum appellit; aperit iis portas globus heroum, qui ex Equo prodierant: 250—267. Per somnum Æneas Hectoris viso monetur, ut fugiat: 268—297. Expergefactus cæde et incendio omnia misceri videt; exit domo, et cum manu alia Trojanorum per mediam urbem incedit: 359. Occurrit Androgeos, quo cum comitibus cæso Trojani Coræbo auctore cæsorum arma induunt; at ejusdem Coræbi temeritate proditi cladem accipiunt. Æneas cum paucis ad acropolin pervenit: 437. Pugnatur et hic, sed cum Trojanorum strage. Æneas motus aspectu cædis Priami, tum a Venere monitus, domum suam repetit: 559. 588—632. Anchisen patrem, primo reluctantem, mox prodigio monitum, cum conjuge et nato abducit: 720. Jam urbem egressus desiderata uxore redit in urbem: ab ejus umbra meliora edoctus ad suos redit, et sub diei ortum (801) Idam fuga petit.

Digitized by Google

EXCURSUS VIII.*

HECTOR CLASSI ACHIVORUM IGNEM INFERENS; ET VICTOR PATROCLI REDIENS.

Æn. II, 274. 5. 'Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli, Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!' Hectorem, qualis paulo ante vss. 272. 3 describebatur, 'Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes,' videramus jam libro I, 487. ubi 'Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros' Achilles: de quo v. Excurs. XVIII ad e. l. Hector omnino frequens gemmarum Homericarum argumentum, non uno habitu ac statu; quod tamen ipsa res intra Iliados fines continet; cum multas alias gemmas e cyclicis poëtis adumbratas esse putare possis; nisi potius dicendum est, artifices vulgares libellos, qui fabulas exposuerant, secutos esse; nisi forte etiam iis Tragici argumenta operum præcipuo loco suppeditasse dicendi sunt: atque hoc exemplis declaratum dari possit; commemorabo tantum Amphionem et Zethum cum Dirce tauro illigata: argumentum ex Euripide adumbratum (Antiquar. Aufsätze: P. II.). Homericas tamen fabulas ex ipsa Iliade et Odyssea petitas et adumbratas esse probabilius fit. Ex iis Hector frequens argumentum, ut dixi, quandoquidem species ejus oris et habitus ab arte ita est constitutus ut ubique sui similis sit, et sibi constet; est ubique barbatus et capite galeato: is, inquam, modo cum Andromache et Astyanacte, occurrit, modo facem injiciens navi, cujus puppis apposita est: cujus argumenti gemmam militem *incendiarium* exhibere dixerat Gorius (Mus. Flor. To. II, tab. 60, 2). At extat alia verum Hectorem expressum habens puppi navis apposita: apud Franc. Pallazzi (Borioni Collectan. t. 56. etiam in Lipperti Dactylioth. Mill. II, 2, 6). Ei respondet Ajax de puppi pugnans in alia gemma. Verum prior illa plane convenit versui Virgiliano: 'Vel Da-

Digitized by Google

naum Phrygios jaculatus puppibus ignes.' Minus certa fide sunt aliæ gemmæ, Hectoremne an alium heroëm referant; ut, vulneratus sub clypeo deficiens (ap. Natter. tab. VIII. et alibi). Est Hector in Sarda saxum portæ castrorum Achivorum impingens (v. Iliad. *M.* extr. ap. Lippert. Mill. II, 2, 5. neque alium esse arbitror Mill. III, 2, 6. expressum). Incertum quoque esse potest, an inter heroës bigis instantes Hector quærendus sit; certior fides est numorum: inter quos *numi* notissimi *Iliensium* sunt, ad Commodum, M. Aurelium, et Caracallam spectantes, Hectorem quadrigis citis insistentem exhibentes, v. c. Mus. Farnes. Vol. V, t. 17, 3. Merito dixeris hunc Hectorem esse, 'qui redit exuvias indutus Achilli.' Ceterum Hectoris caput in aliis Iliensium numis visitur; et est unus numus in Numismat. Albani T. I, t. 59, 2 in quo Hectori corpus Patrocli abstracturo objiciunt se Menelaus et Ajax, affabre efficti.

EXCURSUS IX.

DE PENATIBUS, PALLADIO, ET VESTA.

II, 293. 296. 297. '*Sacra* suosque tibi commendat Troja *Penates*—Sic ait et manibus *vittas*, *Vestamque* potentem, Æternumque adytis effert penetralibus *ignem*.' Quid tandem illud sit, quod Æneas capta Troja secum in Italiam abduxerit, nam modo Penates, modo Palladium, modo Vesta memoratur, fuerintne privati Æneæ an publici Penates, et qua specie vel fuerint vel sint crediti, paucis juvat inquirere, quantum quidem ad loca nonnulla poëtæ declaranda facere id potest; quandoquidem poëta Penatium religione tam præclare usus est ad majorem Æneæ fatis, errori et ad Italiam accessui, dignitatem mirationemque conciliandam. Multo enim augustiora omnia videri facile intelligas, si inferre Æneam Latio Penates ('inferretque Deos Latio') quam

Digitized by Google

Latium accessisse audias, et sic porro. Primum poëta *Palladium* rem facit a Penatibus diversam, surreptum illud ab Ulysse et Diomede lib. II, 163 sqq. 'impius ex quo' etc. At, quos Æneas asportavit, *Penates* fuere. Primus de iis locus est Æn. II, 293 sq., ubi Hector per somnum ad Æneam: 'Sacra suosque tibi commendat Troja Penates; Hos cape fatorum comites.' Paulo post v. 296 'Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem Æternumque adytis effert penetralibus ignem.' Et mox, postquam Anchisen in humeros receperat, v. 717 'Tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penates.' Medio loco, vs. 296 quod poëtæ facere possunt et solent, alterum, *Penates*, tacuit, et solum *vittas Vestam et ignem* memoravit. Dubitari potest, quo sensu *sacra* dixerit, (v. ad II, 293) sintne *sacra* et *Penates* diversæ res, an unum idemque; quod statuere licet, ut *sacra* sint genus, et in iis *Penates, Vesta, et ignis:* quæ adeo etiam singula per *sacra* possunt declarari. Eo sensu puto primo (293) et tertio loco (717) memoravit: 'Sacra suosque Penates;' scilicet *sacra* nomine generico, proprio autem *Penates*. Etiam Seneca de Benef. III, 37 'Anchises complexus sacra ac Penates Deos.' Et Dionys. I, 46. *τὰ ἱερὰ πατρῷα* in arce servata memorat. Similiter Æneas declarative *Penates et magnos Deos* dixisse videri debet lib. III, 12 'feror exul in altum Cum sociis natoque, Penatibus et magnis Dis.' Ex naturali verborum ordine alii *Penates*, alii *magni Dii* esse possunt. Atqui præter Penates nusquam alios Deos exportasse Troja fertur Æneas; et communis est veterum opinio, eosdem fuisse *Penates* et *Deos magnos* e Samothracia. Varronem et Heminam Cassium laudat Serv. ad I, 382 (unde Pompon. Sab. ad I, 72 sua transtulit) et Macrob. III Sat. 4: adde Serv. ad II, 296. III, 12. Iidem *Dii patrii*, *θεοὶ πατρῷοι*. Sed et ipse Virgilius III, 159, ubi Penates Æneæ per somnum apparent: 'tu mœnia *magnis* Magna para.' Itaque declarative in illo III, 12 loco positum esse debet: 'Penatibus et magnis Dis.' Iidem *Divi*, et declarative III, 148 'Effigies sacræ Divum Phrygiique Penates.'

De Palladio et Vesta mox videbimus, paucis præmissis

Digitized by Google

de *Penatibus*. Ex locis laudatis colligi posse videtur, omnia ista adeoque et ipsos Penates in Æneæ domo fuisse; namque ex ea efferuntur. Atqui hoc poëtæ consilio, et aliorum locorum sententiæ, ipsique rei, repugnaret. Nam e Virgilii saltem mente et consilio, *publici Trojæ Penates, dii patrii*, non Æneæ privati esse debuere, qui in Italiam abducti ad Romanos tandem pervenerunt. Et sunt loca, in quibus passim *Trojæ Penates* dicuntur. Sic II, 293 'Sacra *suosque* tibi commendat *Troja Penates*.' VII, 121 'Vosque, ait, o fidi *Trojæ* salvete *Penates*:' v. 62 'adhibete *Penates* Et *patrios* epulis, et quos colit hospes Acestes,' et v. 632 '*O patria et* rapti nequicquam ex hoste *Penates*.' Tandem IX, 258 'Excipit Ascanius: Per *magnos*, Nise, *Penates Assaracique Larem* et canæ penetralia Vestæ:' v, 744. per *Pergameum Larem* eosdem Penates declaravit. Et in ipso illo loco II, 297 *adytum penetrale* commemoratur, quod ad templum spectare debet. Si igitur publici Penates fuere, poëta obscurum et intactum reliquit, cur in Æneæ domo Penates publici habebantur, et quomodo ad Æneam potissimum Penatium cura spectabat. Poëtæ satis erat, Hectoris umbræ monitu id factum declarare. Eo loco, quo de Ænea τὰ ἱστορούμενα afferimus (Disquis. II, de rer. inv. s. VI. Excurs. XVII ad lib. II. Excurs. I ad lib. III et al.), plura olim esse commemorata apparebit, quibus poëta insistere et rem, tanquam vulgatam satis, tacite sequi poterat. Sed, quod inprimis ejus animum impellere potuit, est forte hoc, quod Æneam sacerdotio functum tradiderat antiquitas. Certe ex Dictye IV, 17 discimus, *Apollinis sacra eum præcipue* esse tuitum; et, secundum Menecratem Xanthium a Dionys. Halic. I, 48 excitatum, Æneas ad defectionem a Priamo hoc ipso erat adductus, quod *sacerdotii dignitate* ab eo fuerat exclusus, ἄτιτος ἐὼν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, καὶ ἀπὸ γερέων ἱερῶν ἐξεργόμενος. Fundus rei Iliad. *N*, 461 αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ, Οὕνεκ' ἄρ' ἐσθλὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν οὔτι τίεσκεν. Ceterum vulgo in arce Penates servati narrantur; cf. Dionys. Halic. I, 46. 69 et al. et hoc ex perpetuo veterum civitatum more ita se habere debuit. Hoc tamen sequi poëta non

Digitized by Google

potuit, qui Æneæ domum in alia urbis parte sitam esse voluit, unde mox ad arcem accurreret. Apponam Hellanici Lesbii, vetustissimi scriptoris, narrationem ap. Dionys. Halic. I, 46. 47. Urbe capta, inquit, Æneas cum suis Dardaniis se recepit in arcem Pergamum, ἐν ᾗ καὶ ἱερὰ τὰ πατρῷα τοῖς Τρωσὶν ἦν, eamque defendit. Cum tamen videret, hostium impetum diu sustineri non posse, hominum corpora καὶ τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα et opes servare studet; tum, infirma multitudine præmissa, ipse cum juvenibus in Idæ munitiora loca discessit, ἀγόμενος ἐπὶ ταῖς συνωρίσι τόν τε πατέρα καὶ τοὺς θεοὺς πατρῴους. Inde induciis cum hostibus factis discessit, παραλαβὼν τὸν πατέρα καὶ τὰ ἕδη τῶν θεῶν h. e. simulacra. Et agro Laurente capto c. 55. f. alii in locum indictum Penates (τὰ ἕδη τῶν θεῶν) e navibus efferunt, alii vero bases (βάθρα) et aras ipsis statuunt, mulieres autem cum ululatu et choreis sacra prosequuntur, et c. 57 ἱδρύεται τὰ ἕδη τῶν θεῶν ἐν τῷ κρατίστῳ. Vides Hellanici verba maxime poëtæ animo insedisse; et viguisse omnino famam antiquam de servatis Trojæ simulacris vetustate sua venerandis: quæ excidio urbis facto secum abduxerit Æneas.

Fuisse autem Penates simulacra Deorum, et quidem, cum ab Ænea portari possent, lignea, formaque Deorum solita, vittis coronata, ex locis seqq. apparere videtur: III Æn. 148 'Effigies sacræ Divum Phrygiique Penates, Quos mecum a Troja mediisque ex ignibus urbis Extuleram, visi ante oculos astare jacentis,' et v. 173 'coram cognoscere vultus Velatasque comas præsentiaque ora videbar. Servius ad III, 148 hæc habet: 'Varro sane Rerum Humanarum secundo ait, Æneam Deos Penates in Italiam reduxisse (hoc et Macrob. III, 4 repetit), quædam lignea vel lapidea sigilla, quod evidenter exprimit dicendo: 'Effigies sacræ Divum Phrygiique Penates;' quamvis alio loco alias opiniones secutus diversa dixerit.' Romam, ut mox videbimus, deducti arcana primum religione haberi, mox tamen hominum conspectui subjici ac vulgari cœperunt. Nam Dionys. Halic. I, 68 Romæ in æde Deum Penatium sub Veliis (v. paulo inf.), duo Genios seu adolescentes soden-

Digitized by Google

tium habitu et hastam manu tenentium viderat, eoque Timæi fidem elevat, qui mera κηρύκεια, *caduceos*, esse ab indigenis audierat; forte tamen nec hoc falso, si id ad informia rudis artis opera referas; tum potuere antiquis cum temporis successu substitui alia signa minus rudia. Diis magnis Samothracicis eos comparat Dionys. I, 69 specie et habitu, qui cum iis signis convenit, quæ in numis adhuc videmus. In numis, gemmis, marmoribus, ut in Tab. Iliaca n. 98 et 117 (sed talia unicuique, libros evolventi, occurrentia ambitiose memorare piget), Anchises Æneæ humeris hærens tenet capsulam vel ædiculam, qua Penates inclusi sunt; in aliis tamen Palladium tenet; quod nonnunquam ipsis Æneæ manibus insistit; nam peplo involutos Penates tenens Æneas (πέπλους περισχὼν, ut Lycophr. 1266) mihi nondum in priscis monumentis occurrit.

Hæc igitur simulacra, hos Penates, Italiæ inferri, fatale erat: cf. III, 167 sqq. Atque habuit utique res eventum suum; collocati sunt Penates Lavinii (secundum Lycophr. 1261 in Palladis templo), unde mox, Alba Longa condita, cum in novam urbem deducendi essent, cedere loco noluerunt, v. Dionys. Halic. I, 67. Orig. G. Rom. 17 et alios. Romam tamen aliquando migrare non recusarunt, siquidem Penatium ædes Romæ fuit sub Velia, non longe ab æde Vestæ, v. Dionys. ibid., incendio Neroniano deleta: v. Tacit. Ann. XV, 41. Non enim recte alii tradiderunt in Vestæ templo Penates servatos: v. ad Tacit. l. c. cf. Donat. III, 3 de Urbe Roma.

Etiam *Vestam* cum *igni æterno* Æneas abstulisse Troja creditus. Æn. II, 296 'vittas Vestamque potentem' effert 'adytis penetralibus' h. e. templo Vestæ, Hectoris umbra: V, 744. 745. 'Pergameumque Larem et canæ penetralia Vestæ Farre pio et plena supplex veneratur acerra,' h. e. supplicat Penatibus et Vestæ. Adde Ovid. Fast. III, 423 sqq., unde *Iliaci foci* Vestæ, *Iliaci ignes* etc. In sacro Laviniensi a Coss. faciendo cum Penatibus etiam Vestæ sacrificatum, Macrob. III Sat. 4 et Serv. ad Æn. II, 296 notarunt.

Digitized by Google

Palladium tandem, h. e. signum Palladis, antiqua religione cultum et διϊπετὲς habitum (v. Apollod. III, 12, 3, et Not. p. 744 sqq.), cum ipsis Penatibus Æneam extulisse narrant quidem alii, et ipse Arctinus id tradiderat: v. Dionys. I, 69. poëta vero, ut supra dictum, non memorat, quippe qui eam narrationem sequitur, quæ pro antiquiore habenda est, furtim illud ab Ulysse et Diomede jam ante Trojam captam ablatum fuisse, v. Æn. II, 164 sqq., Heleni consilio, v. Conon. 34, ab Antenore proditum Achivis (cf. Tzetza Posthom. 505), ut alii addunt; sed res variis modis a poëtis ornata. Ita sponte et volentem secutam esse Palladem alii memoraverunt. Vid. Ovid. Fast. VI, 431. In quem sensum Tryphiodori v. 54 ex lectione Cod. Medic. (secus quam Lennep. ed. Coluth. v. 196 volebat) est constituendus. Ἤλθε δὲ καὶ Δαναοῖσιν ἐὸν βρέτας ἁγνὸν ἄγουσα Λῃϊστὴ μὲν ἐοῦσα, φίλαις δ' ἐπίκουρος Ἀθήνη, h. e. *furto quidem abducta, Achivis tamen propitia.* Distinguendus autem hic Ulyssis in urbem ingressus ab altero illo, quo, sub extrema oppugnationis tempora, mendici habitu res et consilia Trojanorum speculatus est. V. Odyss. Δ, 244 sqq. Eurip. Hecuba 239 sqq. add. Rhes. 501. 710 sq. Quintus Cal. utrumque ingressum tantum strictim memorat, X, 346, quod miror; nam Leschen in eo exponendo operam navasse discimus ex Procli argumento Iliadis parvæ: Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν, κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται, καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης, περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται. κτείνας δέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου. Helenæ Hecubam adjunxit Eurip. in Hecuba l. c. Tzetza in Posthom. 604, loco valde turbato, Ulyssi comitem dedit Diomedem: cf. Jacobs ibid. p. 157. 159. Creditum tamen inter Romanos Palladium hoc Romæ in Vestæ templo servari, fatale etiam hoc urbi habitum; nec ulli viro, ne Pontifici quidem Maximo, videre illud fas fuit. Quibus de rebus multi egerunt. Satis est comparare Ovid. VI Fast. 421. 431 sqq. Hinc Vestam interdum cum Palladio videas, ut in Sarda apud Maffeum Gemm. ant. P. II, n. 76. Omittimus quæ de gente Nautia, in cujus tutela Palladium habe-

Digitized by Google

batur, aliisque rebus disputari possint. Adhuc sub Commodo in templi Vestæ incendio servatum illud, ap. Herodian. I, 45, et ab Elagabalo loco motum, lib. V, 15, narratur. Ex altera parte non minus Athenienses Palladium Trojanum in sua arce servare videri volebant, v. Pausan. I, 28; item Argivi, Paus. II, 23; et notum est, omnino plures urbes Palladium sibi vindicasse: cf. du Theil To. XXXIX Hist. de l'Acad. des Inscr. p. 238. A Diomede Æneæ redditum Palladium commenti erant seriores: ut Cedren. p. 135 C. D. et Malelas p. 212. Scilicet religionum harum tam diversarum a poëtis variis modis ornatarum cum fidem astruere vellent urbium scriptores, passim et grammatici, atque ostendere quomodo ad Æneam rediisset Palladium a Græcis ablatum, multa commenti sunt, quibus tota hæc de Palladio quæstio ita obscurata est, ut multorum doctorum virorum, qui expedire rem volebant, otium consumserit. Nobis satis est causas diversitatis indicasse. Occurrit autem cum Palladio Æneas, in multis numis gentis Juliæ, armata virguncula stantis habitu; eadem fere specie, qua in monumentis id quoque Palladium conspicitur, quod Diomedes cum Ulysse abstulit; cf. Apollod. Biblioth. III, 12, 3, et ipse Virgilius Æn. II, 172 'Vix positum castris *simulacrum;* arsere coruscæ *Luminibus* flammæ *arrectis,*—terque ipsa *solo Emicuit parmamque* ferens *hastamque* trementem.' An vero Palladis signum hoc idem habendum sit, aut a poëtis habitum fuerit, quod in templo Palladis in arce Ilii sito visebatur, et in cujus genibus peplum Trojanæ mulieres apponunt Iliad. Z, 273. 303, Burmannus illo loco quærit; sed ut idem haberi possit, nolim cum viro doctiss. *Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν* interpretari *ad genua*, quod jam Strabo refellit, multo minus peplo Deam *induere*. Nam diversa in arce Palladis signa esse et potuere et debuere. Etiam in nostro poëta lib. II, 225 sqq., postquam v. 165 sq. ablatum jam Palladium memoratum erat, angues, qui Laocoontem cum filiis eliserant, in templum Minervæ in arce fugiunt; 'Sub pedibusque Deæ clypeique sub orbe teguntur.' Et quale dicemus fuisse Palladis signum illud, quod, Cassandra ab Ajace

Digitized by Google

Oilei violata, avertit vultum? v. Lycophr. Cassandra v. 361. Quint. Cal. XIII, 425 sq., quod bene poëta noster ad aliam rem ornandam transtulit Æn. II, 172. Non igitur Maro sui oblitus videri debet; sed in poëtarum fabulis, quæ in his ac similibus et famæ et historiæ vices præstant, diversa fuere in arce Palladis signa; nec modo diversis in locis, sed et eodem in loco; nam fatale τὸ διοπετὲς Ἀθηνᾶς Παλλάδιον, πολλῶν ὄντων τὸ σμικρότατον (ap. Conon. 34.) in Minervæ templo in arce diligenter custoditum Arctini versus docent: Dionys. I, 68. 69. Diversum a Penatibus Palladium illud διοπετὲς a plerisque, et ab ipso poëta, habitum vidimus; sed ex aliorum doctrina *Pallas* cum *Junone* iis ipsis Diis Penatibus erat accensenda. V. Macrob. III, 4. exemplo forte Palladis et Junonis cum Jove Romam tuentium. *Apollinem* et *Neptunum* alii apud eundem, frustra advocato versu Æn. III, 119; at *Tusci Cererem, Palem et Fortunam Penates* tradiderant: v. Serv. ad Æn. II, 325, adde eund. ad II, 119. III, 12.

Inter hæc Penates Trojanorum confundi cœpere cum *Diis* Samothracum *magnis*. Nec mirum; si quidem communis utraque fuit religio; utraque vetustate memorabilis. Redit adeo disputatio ad *Deos Cabiros*, de quibus, post Guthberleti libellum, et Bochartum, multa satis subtiliter quæsita sunt etiam a Frereto (Hist. de l'Ac. des Inscr. Tom. XXVII), sed ad opiniones magis et conjectationes, quam ad veterum historiarum fidem: ad ejus inprimis ductum de iis disputatum est nuper a Viro doctiss. Ste Croix (Recherches sur les Mysteres p. 26). Inter Britannos ingenia in hoc argumento exercuere (Wise) Of the first Inhabitants of Europe p. 38, et Vir doctiss. idem et sagaciss. Jac. Bryant Analysis Tom. II, p. 461. Quando quidem Gemini in Zodiaco ab Ægyptiis constituto occurrunt, ad Gattereri nostri ductum Cabiros ex Calendario Ægyptiorum illustravit Herman. Mythol. Vol. III. p. 160 sqq. Alienum ab h. l. et consilio esset, ad hypotheses et opiniones decurrare. Loca class. sunt Strab. X, p. 723—726. Schol. Apollonii I, 916. Dionys. Halic. I, 67—69. Varro de L. L. IV. p. 17. Ma-

Digitized by Google

crob. III, 4. Quæ ex his, ut simpliciora, ita probabiliora habeo, hæc sunt: religiones istas et antiquitate et origine fuisse obscuras; ipsam Deorum formam parum docte expressam, ut nec appareret, juveniline an senili specie essent habendi: id quod in rudis operæ simulacris evenisse mirum non est; videri itaque Phœnicum Pataecis similes fuisse, forte etiam ab illis profectos Cabiros; (cf. Herodot. III, 37) magnas intercessisse mutationes harum religionum: ab initio fuisse Cœlum et Terram; postea accessisse duo alios: nunc quatuor ista numina, domesticis nominibus insignita, interpretatione varia ad diversos Deos Græcorum referri cœpisse: igitur in illis memorari videas Cererem et Proserpinam, Haden et Mercurium, ab aliis Bacchum et Jovem; etiam Vulcanum in iis quæsitum, item Cybelen: nec improbabile fit, ascita fuisse hæc ipsa sacra seriore ætate; quæ fortuna fuit cum aliarum religionum, tum inprimis arcanarum: in quas, ut nostra quoque ætate factum videmus, intulerunt quæ quisque vigilans stertensve somniabat, inprimis super rerum natura ejusque vi genetrice. Quia autem daemonum simulacrorum, pulsco more, tanquam fratrum junctorum, species oculis occurrebant: confusi tandem Dii magni sunt cum Dioscuris; dictique adeo et hi magni Dii et Penates. Turbas alias fecit hoc, quod et ipsi sacerdotes dicti sunt Cabiri.

Ceterum Penates, ignem sacrum, et Palladium etiam jungit Lucan. IX, 990—994 docto in loco; et quæ de Palladio tradita erant, traducta aliquando sunt ad *Deam Pessinuntiam*: v. Herodian. I, 85. Egit quoque, quod nunc didici, de iis Penatibus Meziriac. ad Epp. Ovid. T. II, pag. 185. Interea, hac opportunitate data, obiter adhuc monebo, ut animadvertas, quanta *religionum Trojanarum*, quippe quæ inter antiquissimas fuere, *simplicitas* fuerit. Suis sane nominibus, hoc est Græcis, numina Trojanorum effert Homerus: facile tamen ad elementorum naturæ genera et formas Deos illos revocès. Colebatur in arce *Minerva* et *Apollo*: Iliad. *Z*, 88. *E*, 446, Quint. Smyrn. XIII, 433 sqq., *Jupiter* in Ida sacrarium habebat, alterum in acropoli: Iliad. *X*, 171, 2,

Digitized by Google

alia religio *Neptuni* erat. Cum his *Penates* e religione antiqua Samothracica. Commode his numinibus et sacris memorandis usus est Maro: e templo *Palladis* Palladium raptum II, 165 sq. ex Iliad. Z, 297, et in idem pompa cum peplo ducta I, 484 sq. Aliud Palladis templum in urbe fuit: e quo Cassandram abstrahi vident Trojani II, 404. 425, nam ab hoc ad arcem pergunt Æneas et socii 437. *Apollo* Thymbræ, et Sminthei nomine Chrysæ, tum in ipsa arce, Pergamo, templa habuit: unde ejus sacerdos Panthus II, 318 'arcis Phœbique sacerdos.' Add. 429. 430. Apollini cum Neptuno sacra facit Æneas III, 119 tanquam Diis patriis. Scilicet ille Trojæ tutela et præses deus: VI. 56. *Neptuni* sacerdos Laocoon sacra ex antiquo more ad littus faciens II, 201. *Cybele* e Creta repetita III, 111 proprie ad Phryges spectabat: in Ida coli solita: IX, 80 sq. X, 252 sq. *Vestam* addit Virgilius, (II, 567 ubi *Helenam limina Vestæ servantem* memorat; et II, 296, 7. ubi Hectoris Umbra visa est efferre *adytis penetralibus* Vestam et Ignem sacrum; quæ vix aliter quam de Vestæ æde accipi possunt,) nescio an de suo; si auctoritatem habuit, ad Phrygum religionem, *Matrem Deum*, spectare illa potuit; nisi probabilius fit, hanc in *Venere* latere, quam Homerus inter numina Trojanis studentia retulit, etsi alia ejus Deæ religio Trojæ non occurrit. Veneris tamen templum in arce effictum video in Tabula Iliaca n. 107. At Veneris *ἐν Τροάδι* signum in Museo Capitol. To. IV. p. 353 non bene ad veterem Trojam refertur; est enim Alexandriæ Troadis. *Junonis* quoque Maro fecit templum in arce II, 761, et *Cereris* sacellum ante urbem II, 714; hæc forte de suo; nam in Homero memorata non memini.

Cum autem Romani et ipsi Jovem, Junonem, et Palladem in arce colerent tanquam Deos imperii præsides, voluere interdum poëtæ et hos e Troja Romam traductos haberi. In conditionibus quoque pacis inter Latinos et Trojanos habetur hoc, quod sacra Trojana recipiuntur a Latinis: XII, 192 'sacra Deosque dabo,' et 836 'morem ritusque sacrorum Adjiciam.'

Digitized by Google

EXCURSUS X.

DE CORŒBO.

II, 341 sq. 386 sq. 424. 425. De Corœbo Mygdonis f. argumentum, pro episodio inductum a Virgilio, variis modis a veteribus fuisse tractatum videtur, donec tandem stulti et vecordis hominis personam ei induerent, ut adeo in proverbium abiret: de quo v. loca ap. Cerdam. Ad v. 341 Servius: 'Hunc autem Corœbum stultum inducit Euphorion, quem et Virgilius sequitur, dans ei inf. 390 'Dolus an virtus quis in hoste requirat?' cum sit turpissima dolo quæsita victoria.' Prius illud notatu dignum; Euphorion enim Corœbo, temerario forte in Achivos facto impetu, personam vecordis hominis primum addidisse videtur; dum scilicet argumento ab aliis tractato novitatis gratiam conciliare volebat. Etiam Pompon. Sab. 'Euphorion,' inquit, 'inducit eum stultum.' Sed alterum quod in Servio 'Euphorionem Virgilius sequi' traditur, grammatici commentum est; non enim vecordem et stolidum exhibuit Corœbum; nec, nisi alia fuere in Euphorione, quæ expressa forte sunt a poëta, aliunde liquet, an Euphorionem ante oculos habuerit Virgilius; quod adeo sine fundo idoneo ex h. l. ponit Jac. Nic. Loënsis Epiphyll, II, 3, ut non magis vera sunt, quæ de carmine *Minxade* depromta a Virgilio esse vult. In Polygnoti tabula ap. Pausan. X, 27 Corœbus etiam erat expressus, ubi ille addit: ejus monumentum nobile in Phrygum finibus, et Mygdonas ab eo nomen habuisse; quod falsum: nam *Mygdones* antiqua Thracum stirps fuere. Venisse eum ad Cassandræ nuptias, et *occisum*, *ὡς μὲν ὁ πλείων λόγος, a Neoptolemo; Lescheus autem a Diomede interemtum carminibus prodidit*. In hoc Virgilius tertium aliquem auctorem secutus est, nam is v. 425 a Peneleo interfectum tradit. Cum Lescheo facit Quintus Calab. XIII, 168 sq. Ad aram interfectum exhibet etiam Tabula Iliaca n. 104. Corœbum Mygdonis filium inter vigilum duces nominat Auctor Rhesi

Digitized by Google

539. Patrem saltem *Mygdonem* Homerus suppeditaverat; nam Mygdonem et Otreum Priamus olim copias Phrygum adversus Amazones ducere viderat: Iliad. Γ, 184 sqq. In Epitome Iliados v. 248 est 'clara satus telluro Corœbus:' quod non satis assequor. Venerat ille e Phrygia. Alius Mygdon est Amyci frater in Heracliis et Argonauticis: v. Not. ad Apollod. p. 379. Ceterum quæ subjiciuntur, Corœbum Cassandræ amore incensum operam Priamo in hoc bello obtulisse, eleganter ab Homerico Othryoneo Il. N, 363 sqq. traducta sunt, sed multo suavius et ornatius, inprimis hoc: 'Infelix qui non sponsæ responsa furentis Audierit.'

EXCURSUS X.*

CASSANDRA RAPTATA.

II, 403—406. 'Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ, Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra: Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.' Cum mihi propositum sit, ex Notis ea, quæ pro digressione haberi possint, etsi cum *Maronis doctrina* conjuncta, sublata in Excursus rejicere: revocabo ad h. l. ea, quæ antea in Nota ad h. v. disputaveram, rejectis aliis, post ista a me notatis, quæ nunc in Commentatione elegantissima doctissimi Böttigeri copiosius sunt disputata. Redibant autem illa partim ad ipsum mythum diversis modis narratum et tractatum; partim ad Virgilianam rationem. Et in priore quidem parte otium fecit nunc laudata modo Böttigeri docta de hoc argumento in Vase picto commentatio. Monebo tantum hæc pauca: Homerus facinus Ajacis in Cassandram commissum ignorat: quod jam Strabo observaverat XIII p. 896 C. Cassandram vatem, Priami filiam, cum ceteris captivam abduc-

Digitized by Google

tam esse, jam antiquiores narrasse videntur. Servata illa in reliqua præda, tandemque sorte ducta Agamemnoni cesserat. Apud Proclum in argumento Arctini Ἰλίου πέρσις hoc unum narratur: Κασσάνδραν δὲ Αἴας Ὀϊλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον (quod Cassandra Deæ supplex, ἱκετεύουσα, amplexa erat,) ἐφ' ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βουλεύονται τὸν Αἴαντα· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου. Apparet ex his, fabulam disertius fuisse tractatam in eo carmine. Fuit enim Ajax in judicium vocatus propter sacrilegium; hoc est judicium illud, quod in Pœcile pictum erat Athenis: Pausan. I, 15 p. 37. οἱ βασιλεῖς ἠθροισμένοι, διὰ τὸ Αἴαντος ἐς Κασσάνδραν τόλμημα· et Delphis in Lesche a Polygnoto pictus Ajax erat ὀμνύμενος ὑπὲρ τοῦ ἐς Κασσάνδραν τολμήματος Pausan. X, 26. Videtur adeo Ajax professus esse, falsi se criminis accusari, nec vim puellæ a se esse factam. Ulyssem accusatoris partes egisse ex c. 31. pr. colligas, uti et alibi memorari memini, Agamemnonem fraudem Ajaci esse machinatum, ut Cassandra, cujus amore captus erat, potiretur. Duxit inde commenta sua Philostratus in Heroic. 8. Stupri quoque ab Ajace illati memoratio vix apud eos potuit esse, qui Agamemnonem amore Cassandræ incensum in scenam produxerant: ut Euripides Troad. et al. Unde et Horatii versus II, 4. 7, 8. 'Arsit Atrides medio in triumpho Virgine rapta.' Qui Agamemnonis amorem narrabant, vix vitiatam ab Ajace Cassandram narrare potuere. Verum redeamus ad Cassandram.

Hanc Minervæ supplicem factam, cum ab Ajace abductam primi auctores memorassent; adjecere alii et cyclici et tragici vim ab eo Cassandræ pudori factam, tandem stuprum in ipso templo in conspectu Deæ factum. Utuntur veteres vocabulo, quod rem fere ambiguam facit, ἕλκεσθαι, ἑλκεῖσθαι, ἑλκύεσθαι, quod et de *abstractis* in captivitatem, et *de vi corpori illata*, dici solitum, ad ipsam narrationis amplificationem ducere potuit; nam ἄγεσθαι vocabulum commune, ambiguitatem eam haud admittit; v. c. Iliad. Π, 332. At Odyss. Λ, 579. Tityus Latonæ vim inferre voluit. Λητὼ

Digitized by Google

γὰρ ἥλκησε—Πυθώ δ' ἐρχομένην: quæ apud Apollod. I, 4, 1. reddita sunt: Οὗτος Λητὼ θεωρήσας, πόθῳ κατασχεθεὶς, ἐπισπᾶται. Aliis locis simpliciter captivæ abductæ, et, quia invitæ discedunt, abstractæ et raptatæ fœminæ sunt. Ita Iliad. X, 62 in Priami lamentis, cum Hectorem in mœnia revocare studet, υἷας τ' ὀλλυμένους ἐλκηθείσας τε θύγατρας,—ἑλκομένας τε νυοὺς ὀλοῇς ὑπὸ χερσὶν Ἀχαιῶν. Adde ἑλκηθμὸν Andromaches Iliad. Z, 465 et de voc. cf. Valken. ad Iliad. X p. 51. Multo magis autem supplices vi abstractæ ab ara et asylo: ita Andromache Eurip. 566 καὶ νῦν με βωμοῦ Θέτιδος—Ἄγουσ' ἀποσπάσαντες. Etiam *capillis prehensas* ita abductas esse nihil est quod mireris.

Secundum hæc in ipsa Cassandra ambiguum plerumque fit, utrum poëta declarare voluerit, vim illatam an abstractionem captivæ; alterum hoc simplicius esse censeo. Apud Eurip. Troad. 69. 70. Minerva: Οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς; Οἶδ' ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασσάνδραν βίᾳ. Et apud Lycophr. 358. ipsa ait: Τέως βιαίως—ἑλκυσθήσομαι. His narratis usi sunt poëtæ et artifices diversis modis pro consilio quisque suo, omnino tamen sic, ut Cassandra capillis prehensa abstrahatur ab Ajace, signo Deæ apposito aut ab ea apprehenso. Captiva ea sic abducitur. Factum est tamen nescio quomodo, ut de stupro illato vel inferendo cogitent homines, etiam ubi nihil est, quod eo ducat: ut in ipsis gemmis et vasis pictis, in quibus nihil oculis objicitur quam Cassandra supplex Deæ vi ab Ajace abstracta. Neque in veteribus operibus aliud quid significatum fuit; uti primo loco in Cypseli arca apud Pausan. v, 19. Πεποίηται δὲ καὶ Κασσάνδραν ἀπὸ τοῦ ἀγάλματος Αἴας τῆς Ἀθηνᾶς ἕλκων. ἐπ' αὐτῷ δὲ καὶ ἐπίγραμμά ἐστιν· Αἴας Κασσάνδραν ἀπ' Ἀθηναίας Λοκρὸς ἕλκει.

Jam poëtæ nostri verba per se spectata non magis aliquid de vi pudori illata innuunt; Cassandra vi e templo Minervæ abstrahitur, manibus vinctis, tanquam captiva. Si quis hæc ad poëtæ pudorem trahere, et 'lumina ardentia,' ira, et 'crines passos' eo referre velit, ut stuprum jam passa esse arguatur, videndum est, ne argute magis hoc fiat, quam vere.

Digitized by Google

EXCURSUS XI.

DE PRIAMI NECE.

II, 506 'Forsitan et Priami fuerint quæ fata requiras.' Etiam super Priami cæde narrationis fuit diversitas. Adeat, qui singula cognoscere cupit, Servium, Pompon. Sab., Quintum XIII, 220—241 sqq. Abstractum ab ara ad fores regias a Neoptolemo cæsum Lesches narraverat: ut est apud Pausan. V, 27, p. 865. Virgilius vulgarem rationem, quæ tamen cum altera conciliari potest, sequitur, cujus fundum fuisse Ἰλίου πέρσιν Arctini nunc ex Proclo comperio: eximie tamen omnia ornavit. Sed ab Euripide Troad. 479. 481 seqq. mutuatus est ea, quæ de *Hecuba* 515—525 egregie ad miserationem ficta sunt, simul tamen Homeri ductu Iliad. Ω, 200 sqq. (non ex Iliad. Π, 108 sqq.), ubi Priamus ad Achæorum castra iter suscepturus, stat ἐν μέσῳ ἕρκει libans et preces faciens ad Jovem. *Politæ* cædem memoraverant et alii, ut e Quinto. Cal. XIII, 214 intelligitur, et forte primo loco Stesichorus in Ἰλίου πέρσει, ut ex Tabula Iliaca conjicias, quæ totum hoc factum eodem modo, ut Virgilius, exhibet n. 105. 106. Nam *Lesches* de Priamo aliter tradiderat, ut jam ex Paus. X, 27 notavimus. Quæ vero ad miserationem poëta comparata interposuit, non alibi invenio; etsi orationem Priami ad Pyrrhum habitam recitat Quint. Cal. XIII. 225 sqq. Tryphiodorus affectum infert non male v. 624 sqq. Porro Priamus *ad aram Jovis Hercei* (Ἑρκείου) cæditur, communi poëtarum et grammaticorum narratione. Sed in hac difficultas occurrit. Veteres enim Græci eam *in aula* sub dio positam memorant. Athen. IV, p. 189 E Ὅμηρος δὲ τὴν αὐλὴν ἀεὶ τάττει ἐπὶ τῶν ὑπαίθρων τόπων. Ἔνθα ἦν ὁ τοῦ Ἑρκείου Διὸς βωμός. (scilicet apud Homerum qui ædes intrat, primum ἕρκος, in hoc αὐλὴν subit, tum πρόδομον, tandem ad θάλαμον procedit). Vide Eurip. Troad. 482. 483. Pausan. IV, 17, p. 321. X, 25. p. 865, adde II, 24 (ubi narrat, Jovis hu-

Digitized by Google

jus Hercei signum trinis oculis fuisse, transportatum Argos a Sthenelo; is enim illud in prædæ parte acceperat: lib. VIII, 46, p. 694). Quintum Cal. XIII, 222, ubi not. Tryphiod. 622, alios Cerda laudavit. Nec aliter *Διὸς βωμὸς Ἑρκείου* in Ulyssis domo: erat in aula: Odyss. X, 335. 376. 379. Sed primo loco nominare licet Arctinum l. l., e quo Proclus: *καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα.* Virgilius ex parte hos auctores ante oculos habuit, ex atrio tamen in *impluvium* rem traduxit; *Penates* enim memorat (privatos utique Priami, puto, non publicos), quorum ara in penetralibus tecti esse solebat, sub impluvio, non in aula. 'Ædibus,' inquit, 'in mediis, nudoque sub ætheris axe Ingens ara fuit.' Forte dicas illum aut (quo Servius ducit) Jovem per Penates esse interpretatum (etsi plura simulacra, non unum Jovis signum, videtur agnoscere v. 517. Sed et de uno intelligi potest, et cf. Ovid. Met. XIII, 412. 413), aut Penates pro ipsa domo dixisse, quam inumbrabat laurus; ut jam Cerda acceperat. Sed hæc dura sunt; et manendum est in hoc: Virgilium Romanum morem esse secutum, posthabito more Græcorum: quem in Tragicis quoque reperies; ut ap. Sophoclem Elect. 1391 (Br. 1374.) *χωρεῖν ἔσω, πατρῷα προσκύσαντ' ἤδη θεῶν, ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσιν τάδε.* Ceterum si alii, ut Quintus Cal. VI, 147. XIII, 436, aram Jovis Hercei in arce ponunt, recte utique hoc faciunt; nam regia Priami erat in arce.

EXCURSUS XII.

DE HELENA RECEPTA.

II, 567 sqq. Helenæ recuperationem varie a veteribus poëtis fuisse expositam, vel ex lib. VI, 525, ubi illa et urbem et maritum Deiphobum Achivis prodit, et ex imitatoribus, quos habemus, apparet: v. Quint. Cal. XIII, 254 sqq.

Digitized by Google

385 sqq. (ubi, quæ hic de Ænea memorantur, Menelao tributa videbis: impetum occidendi Helenam et Veneris interventum) XIV, 39 sqq. Tryphiod. 602—621. Multo magis variarunt narrationem Tragici pro consilio suo, et modo crimen et culpam perfidiæ in eam cumularunt, modo extenuarunt. In Arctini Excidio Ilii ita traditum erat: *Μενέλαος δὲ ἀνιχνεῦν Ἑλένην, ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηΐφοβον φονεύσας.* Euripidem plane hic deserit Virgilius, si nobilissimum Troadum locum compares 860—1058. Mox 'limina Vestæ Servantem' dixit Helenam. Ad templum Vestæ referunt, ad quod illa (quippe domo incensa v. 310.) confugerat; quod sane esse debuit in Pergamo, acropoli, ut templa alia: de quibus sub f. Excurs. IX dictum est. Vestam autem Æneas abduxit, cum Ilio excederet: II, 296. 297. V. Excurs. eund. Erat Helena in thalamo Deiphobi, unius ex Priami filiis; adeoque, ut reliqui stirpis regiæ, in ipsa regia. Cf. sup. 503. Iliad. *Z*, 242 sqq. Pugna gravis facta est ad eam domum, Menelao et Ulysse irrumpentibus: Odyss. *Θ*, 517. Æn. VI, 525 sqq. Paride autem a Philoctete occiso, Deiphobus Helenam abduxerat: v. Eurip. Troad. 952 sq. cf. Conon. Narr. 34 et sup. not. ad v. 310. nunc etiam Jacobs ad Tzetz. Posthom. 601. 729. Nec minus luxuriarunt Tragicorum ingenia in reducenda Helena: cum Homerus simpliciter eam cum Menelao domum rediisse narrasset. Alia esse debuere commenta lyricorum, ut Pindari, Stesichori (cujus fuit *κατηγορία Ἑλένης* et *παλινῳδία*: de qua v. Pausan. III, 19) Ibyci, Simonidis. Cf. Eustath. ad Iliad. *N*, 417. Singulare est, quod cum Antenoridis Helena Cyrenen pervenisse narratur: Pindar. Pyth. 5, 110. Verum Antenoridæ erant in comitatu Menelai, cum quo illa inter ceteros errores, per quos maritus jactatus fuit, etiam Libyam adiit. Exposuerat hæc Lysimachus *ἐν Νόστοις*. Cf. Schol. ad Lycophr. 874.

Digitized by Google

EXCURSUS XIII.

ANCHISES HUMERIS ÆNEÆ ASPORTATUS.

II, 721—723 'Hæc fatus—Succedoque oneri.' Plurium veterum monumentorum notum argumentum, inprimis gemmarum et numorum, v. Fabrett. ad Tab. Iliac. p. 373. 374, in qua n. 109 hæc etiam Æneæ fuga occurrit, et quidem Mercurio duce; (de quo v. Disquis. II, s. VII.) et Saxius ad Virgilium Justic. T. IV, p. 41. Præiverat haud dubie inter Cyclicos Lesches in extremis libris, qui sub Arctini nomine memorati sunt Proclo: ubi tamen maturius urbem relinquit Æneas; serius apud nostrum, et in Quinto Smyrn. XIII, 300 sqq. add. Tzetza Posthomer. 737. Disertissime exponit Æneæ discessum ex urbe Dionys. Hal. I, 46. 47. et quidem ex Hellanico, ut ipse testatur c. 48. Subjicit deinde diversa a Sophocle in Laocoonte, et a Menecrate. Ut autem humeris asportandus esset Anchises, non tam decrepita senectus, quam debilitatio ex fulminis afflatu effecerat. V. Exc. XVII. Observare licet etiam in gemmis nonnullis τὸ βύσσινον φάρος in Anchisæ tergo fluctuans, quod Sophocles in *Laocoonte* notaverat ap. Dionys. Halic. I, 48. de quo v. Disquis. II, s. V. et inf. Exc. XVII.

EXCURSUS XIV.

DE CREUSA.

II, 735 *Creusa* in Polygnoti tabula apud Delphos inter captivas erat relata. V. Paus. X, 26, ubi addit, secundum alios eam tanquam Æneæ uxorem per Deorum Matrem ac Venerem a servitute fuisse liberatam. Atque hoc sequitur

Digitized by Google

Virgilius : hactenus ut Cybelen memoret; v. 788. At Lescheus eodem Pausania teste et Cypria carmina Eurydicen Æneæ uxorem ediderant. Videntur tamen iidem eam Æneæ fugæ comitem addidisse; namque in Tabula Iliaca n. 109, quæ ex Lescheo magnam partem expressa est, uxor Æneam sequitur. *Creusa* Sophoclis fuit fabula, sed, an ad hanc nostram trahenda, ignoratur. Creusæ nostræ et Apollinis filium Anium, nepotem Andrum, tradebant scriptores, qui de Andriorum originibus scripserant. V. Conon. Narrat. XLI. Cf. Excurs. I ad lib. III. Mox, ubi Æneas *portis* se appropinquasse narrat, *Porta* intelligenda est ab hoste aversa, versus Idam et partes Australes, unde tamen non minus littus peti poterat. Quintus Cal. X, 338 sqq. ex antiquioribus poëtis cyclicis, ut arbitror, quatuor portas Trojæ memorat: Scæas, Idæas, tertiam, quæ versus campi planitiem, et quartam, quæ ad Simoëntem ducebat. Scææ versus occidentem spectabant, eædem etiam Dardaniæ dictæ; etsi has alii versus orientem sitas esse volebant, vide Eustath. p. 608. 609. 1274, I, et Hesychium in Δαρδάνιαι. Adde Daret. Excid. Tr. c. 4. Hæc per se levia ac vana *in Trojæ topographia* ad poëtarum loca nonnulla declaranda utilitatem habent. V. de ea Commentat. in Tom. VI Commentatt. Soc. R. Gott. et quæ posthæc in libello de Troade sunt disputata.

EXCURSUS XV.

PRÆDICTIO ADITUS HESPERIÆ OBSCURA.

II, 781. 782 'Et terram Hesperiam venies; ubi Lydius, arva Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris. Illic res lætæ, regnumque, et regia conjux Parta tibi.' In his versibus gravis censura poëtæ occurrit. Audierat scilicet Æneas jam tum ex Creusa, quam in terram fata eum essent ductura: norat Hesperiam et Tiberim; ipse Tiberim in dis-

Digitized by Google

cessu ab Andromache facto memorat lib. III, 500 sq. Latium sociis ostendit laborum finem I, 209 'Tendimus in Latium' etc. et Apollinis Grynei oraculum, quod lib. IV, 345. 346 de sedibus in Italia fato destinatis haud dubie jam ante discessum e Troja acceperat. Atqui in sequente libro Æneam in Thracia, mox in Creta considere videbimus, Hesperiæ et Tiberis plane immemorem, neque oraculum Apollinis in Delo acceptum, nec Penatium monitum in hunc sensum interpretantem, quod tamen facere necesse erat ei, qui hæc ex conjuge sua audierat. Quomodo porro classem parare poterant III, 7 'Incerti quo fata trahant, ubi sistere detur?' et 87 'Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?' In Servianis jam olim fuisse videtur, qui hæc deprehenderet: 'Cur ergo,' inquit, 'Æneas horum non meminit et considit in Thracia et aliis locis?' Et ad III, 181 etiam alios hic hæsisse intellexi e Burm. nota. Potest tamen aliquid, nec sine colore, responderi: quod *Heperia* sive *Italia* terra tum erat ignota, obscuri nominis et ignoti situs, multo magis Tiberis; unde de eo non male inf. lib. V, 83 *Ausonium*, quicumque est, *quærere Thybrim;* quodque Creusæ monitum, ut solent res obscuræ aut minus probabiles, parum alte in Æneæ animum descenderat; non magis ac Cassandræ vaticinium lib. III, 183 sqq. Unde et Anchises ibi adjungit v. 186. 187 'Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros Crederet!' Bona est in hanc fere sententiam nota Holdsworthi p. 236. Cf. p. 232.

EXCURSUS XVI.

LUCIFERI ORTUS AB IDA.

II, 801 'Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ Ducebatque diem.' Noto poëtarum more sidera montibus oriuntur vel occidunt; v. c. Apollon. I, 1273: quem autem

Digitized by Google

alium quam Idam montem memorare h. l. poterat poëta? Ita Eurip. Troad. 1068. Idam τέρμονα πρωτοβόλον ἁλίῳ eadem ratione memorat. Grammatici tamen alteram illam formam, 'tibi deserit Hesperus Œtam' VIII Ecl. 30. comparantes super Ida argutantur. Pompon. Sab. ad h. l. 'Describit diem, cum Sol in ariete est; tum videtur oriri e cacumine montis Idæ. Ergo et mense Martio direpta fuerit Troja.' De hoc quidem, quod ultimo loco positum, aliter tradiderant veteres, v. Excursum ad lib. III princ. Quod ad prius illud attinet, an verum sit id, quod satis subtiliter enarrat Grammaticus, nescio. At illud satis constat, poëtam non de Sole, sed de Veneris stella loqui. Aliud circa Solis ortum phænomenon memoratur ex monte Ida, sed non nisi circa Caniculæ ortum, apud Diodor. XVII, 7. et Lucret. V, 662 sqq. Vide Voss. ad Melam lib. I, c. 18. *Luciferum* autem, seu Veneris stellam, etiam cum respectu fabulæ memorasse videtur a Servio et Varrone laudatæ. Stellam enim illam ab Ænea, donec ad Laurentem agrum venisset, semper fuisse visam, narratum est. Cf. Disquis. II s. VII. Est aliqua poëtarum ars etiam in his, cui tamen indulgere admodum quemquam nolim.

EXCURSUS XVII.

DE ÆNEÆ DISCESSU EX URBE; EJUSQUE PATRE ET STIRPE.

II sub fin. Copiose et ornate poëtam fata et facta Æneæ in ipso Trojæ excidio exponere vidimus. Ut tamen appareat, partim hæc minime poëtam temere et ad libidinem finxisse, partim quo ille judicio inter plures narrationes eam, quæ sibi utilissima erat, amplexus sit, ea breviter, quæ ab aliis his de rebus narrata sunt, subjicere non pigebit.

Quod igitur urbe ab hostibus ex insidiis capta Æneas ad arcem accurrit, multaque strenue facit, noli poëtæ commen-

Digitized by Google

tum existimare. Fuit utique ea de Æneæ virtute fama, et, quam multa ad arcem Pergamum defendendam fortiter ac sapienter egerit Æneas, quomodo, salute desperata, partem civium fortunarumque salvam per portam aversam in Idæ tuta eduxerit, pactioneque cum Achivis facta discesserit, ex Hellanico, antiquissimo scriptore, diserte narrat Dionys. I, 46. 47 (pag. 36), quod jam dictum est Exc. XIII. In Arctini Excidio Ilii Æneas jam post Laocoontis necem in montem Idam secesserat. In Quinto lib. XIII, 333 sq. abit ille illæsus Calchantis vatis monitu, postquam fortiter pugnaverat a v. 300.

Virgilius quidem Æneam quasi in urbe Troja domicilium habentem inducit, Anchisæque domum in parte urbis ab arce remota memorat II, 299 sqq. At Homerus Æneam ab urbe Dardano adduxit v. Iliad. *B*, 819 sqq., quam cum regione Dardania ille regebat v. Strabo XIII, p. 596 D. Sita illa ad ipsas Idæ radices, unde Anchisæ habitatio in ipso Ida ab auctore Hymni in Venerem ponitur, v. 68. 75. Cf. Quint. Cal. VIII, 97. 98. Trojanos ex Dardano et Ophrynio Æneæ paruisse, ex Hellanico tradit Dionys. Hal. I, 46. 47. Ex iisdem locis aliisque urbibus Trojanis, etiam ex Bebrycia (cf. ibid. c. 54), confluxisse ad eum, cum in Idam se recepisset, magnam multitudinem hominum, idem Hellanicus ibid. memoriæ prodiderat; unde Virgil. II, 796 'Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum' etc., et illustris ex Sophoclis Laocoonte locus ibid. c. 48, Adest Æneas —*Κυκλεῖ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν, Συνοπάζεται δὲ πλῆθος, οὐχ ὅσον δοκεῖς, Οἱ τῆσδ' ἐρῶσι τῆς Φρυγῶν ἀποικίας.*

Æneam cum Achivis pactione facta salvum discessisse, miro consensu inter veteres traditur, etsi id, diversissimis modis, modo ad prudentiæ laudem modo ad perfidiam ducis trahitur. Ad utramque rationem sive firmandam sive ornandam causasque consilii reddendas, scilicet ut in loco, qui a multis erat tractatus, multa ac varia a veteribus erant commemorata, locis etiam Homeri in eas partes tractis, de quibus copiose disputare nihil attinet. Occurrunt illa apud Dionys. Halic. Strab. Dictyem, Auct. de Orig. G. Rom. et

Digitized by Google

Servium aliosque passim; sed prima iniquæ hujus famæ semina sparsisse videtur Homerus Iliad. *T*, 180 sq., unde suspicari licet, Æneam de regno Trojano occupando clandestina consilia iniisse: quos versus quod olim Grammatici tollere voluerunt, ad hanc ipsam controversiam pertinet: et Iliad. *N*, 459 sqq. de occultis odiis inter Æneam et Priamum. Cf. dicta in Disquis. II s. III. Poëtæ necessario fuit melior de Æneæ fide fama sequenda, in qua et alios habuit consentientes, inque iis Hellanicum Lesbium ap. Dionys. I, c. I. 47. Fuere enim adeo, qui causam Æneæ operose defenderent, aut eum excidii tempore ab urbe abfuisse comminiscerentur, ut scilicet tanto facilius a crimine liberarent.

Ad poëticum tamen ornatum animique affectum dulcissimum comparatum est inprimis illud, quod per medias flammas Æneas patrem humeris susceptum cum Diis patriis urbe capta effert. Itaque in eam rem certatim poëtæ involarunt, eamque mirifica varietate exornarunt. Sed loca ad observandum æque atque ad intelligendum obvia sunt. Ex antiquioribus Sophoclis locum ex Laocoonte jam supra vidimus: adde Lycophr. 1264 sqq.

In Disquisitione modo dicta 'de inventionis laude rerum in Æneide tractatarum' s. III. famam aliquam acceptam de regno *ab Ænea* in Troade condito viguisse vidimus: pro Troade alii regnum Æneæ in Epiro, in Phthiotide Thessaliæ, alii in Italia constituerunt. Traductus honos est ab aliis *in progeniem Æneæ:* nam *Ascanium* cum Scamandrio Hectoris f. Scepsin tenuisse, et utramque familiam diu apud se regnasse Scepsii contendebant, ut ex Strabone XIII, p. 607 (904) discimus. Demetrius Scepsius Æneæ etiam regiam in ea urbe fuisse tradiderat. At eandem gloriam ad se trahebant Phryges, qui agrum Dascyliticum, in quo lacus Ascanius est, incolebant; aiebant enim illi Ascanium arcessitum apud se regnasse, eumque paulo post Scamandrium et ceteros Hectoridas, qui a Neoptolemo e Græcia dimissi ad ipsum confugerant, in patriam sedem Trojanumque regnum reduxisse; ita ex Hellanico Dionysius I, 47, unde petiisse putandus Pompon. Sab. ad Æn. III, 17. Non admodum diverse nar-

Digitized by Google

rata hæc videas ap. Conon. narrat. 46, qui Æneam ait capta Troja secessisse in Idam; cum vero Scamandrius et Oxynius Priami filii e Lydia, quo emissi fuerant, rediissent et omnia circa Ilium loca sibi vindicarent, Veneris jussu eum discessisse. Ut tamen idem Conon narr. XLI narrat, Ascanius in monte Ida regnum retinuisse videtur; quod et ipsum ad Scepsin, quippe in Idæ ὑπωρείαις sitam, spectare potest. Contra secundum eos, quos Dictys lib. V extr. sequitur, regnum Trojanum, ex pacto Antenori ab Achivis concessum, mox fuit ab Æenea tentatum, sed frustra. Tandem secundum Servium ad Æn. IX, 264: 'Quidam ab Abante, qui Troica scripsit, relatum ferunt, post discessum a Troja Græcorum, Astyanacti ibi datum regnum; hunc ab Antenore expulsum, sociatis sibi finitimis civitatibus, inter quas et Arisba fuit; Æneam hoc ægre tulisse, et pro Astyanacte arma cepisse, ac, prospere gesta re, Astyanacti restituisse regnum.'

Quam diversas poëtarum olim sectas fuisse, quam diversos ejusdem argumenti tractandi modos, existimes, si audias, in Iliade parva Æneam captum cum Andromache a Neoptolemo Phthiam abductum fuisse! Versus ipsos Tzetza ad Lycophr. 1263 affert: etsi hoc idem non de Æenea sed de Scamandrio aliisque Hectoridis traditum a nonnullis Dionys. I, 47 memorat. Habet tamen et Dictys V, 16, quem adeo et hoc a Lesche petiisse, ex hoc ipso constare videtur. At vero in Schol. Iliad. *N*, 459 nullo apposito auctore narratum: Æneade urbe condita (*Ænia in Pallene*) filium patri superstitem in patriam rediisse, inde assumtis colonis in Italiam discessisse (v. locum inf. Excurs. I ad lib. III, ubi de Æneæ accessu ad Pallenen).

De *Anchise* post Hymnum Homericum in Venerem et fidem aliquam historiæ obscuram non minus varia a variis, qui hæc tractaverant, seu conjectando seu argumentum ornando fuerunt inventa. De ejus morte Excurs. XVII ad lib. III, 710 videbimus. Debilitatum se igni cœlesti ipse profitetur lib. II, 647—649 'Jam pridem invisus Divis, et inutilis, annos Demoror: ex quo me Divum pater atque hominum

Digitized by Google

ex Fulminis afflatvit ventis, et contigit igni.' In Homerico Hymno in Ven. 287—289 tantum hoc minatur Venus: sin edixeris meos amplexus et palam extuleris: *Ζεύς σε χολωσάμενος βαλέει ψολόεντι κεραυνῷ*; sc. non ut ictus intereat, verum ut afflatu debilitetur. Qui primus hoc disertius exposuerit (cyclicus an tragicus, e quo forte rem narrat Hygin. f. 94), non reperio: sed quisquis ille fuit antiquior poëta, vocabulo utique *πηρωθῆναι* usus erat: quod alii ad cæcitatem retulere, cum proprie quamcumque corporis seu truncationem seu debilitationem innuat. Similis amphilogia fuit in Thamyri. V. Schol. ad Iliad. *B*, 599. Adde de Phineo Apollod. I, 9, 21, et *πηρὸς*, *πήρωσις* tandem absolute pro excæcatione ibid. III, 6, 7. Ulcus ex fulminis ictu purulentum mansisse in Anchisæ corpore Sophoclis versus ex Laocoonte supra Disquis. II s. v. laudati, ut quidem a Plutarcho ascripti sunt, arguunt. Versus ap. Dionys. I, 48 sic leguntur: Æneas ad portam est, ut discedat,

—ἐπ' ὤμων πατέρ' ἔχων κεραυνίου
Νώτου καταστάζοντα βύσσινον φάρος.

est adeo *νῶτον κεραύνιον* 'dorsum fulmine percussum,' et Anchises, cujus dorso vestis injecta defluit, dicitur *καταστάζειν τὸ βύσσινον φάρος*, (*κατὰ*) *τοῦ νώτου*. Ad longe diversa Plutarchi locus ducit de virt. et malit. p. 100 D, ubi animi hilaritas diffundere se dicitur per omnem animi corporisque habitum: *ὡς γὰρ ἀρώματα τρίβωνας εὐώδεις καὶ ῥάκια ποιεῖ, τοῦ δὲ Ἀγχίσου τὸ ῥάκος ἰχῶρα πονηρὸν ἐξεδίδου,*

μοτοῦ καταστάζοντα βύσσινον φάρος,

ὥστε μετ' ἀρετῆς καὶ δίαιτα πᾶσα καὶ βίος ἄλυπός ἐστι καὶ ἐπιτερπής. Secundum hæc *Anchisæ vestis saniem malam edebat destillantem ex vulnere per pallam byssinam.* Id tamen quomodo satis commode ex tragici verbis effici possit, in promtu non est: nam in versibus erit *πατέρα καταστάζοντα* (*κατὰ*) *βύσσινον φάρος* (*ἐκ*) *μοτοῦ κεραυνίου*: ut *μοτὸς* vel *μοτὸν*, *linteum concerptum in vulnus indi solitum* (Hesych. *μότα*, *πληροῦντα τὴν κοιλίαν τῶν τραυμάτων ῥάκη*. nostrum *Charpie*), pro ipso *vulnere* dictum sit: erit porro *καταστάζειν* absolute dictum pro *καταστάζειν ἰχῶρα*, *αἷμα*, *φόνον*, aut simile quid. Tertia forma

Digitized by Google

apud Soph. Philoct. 796 est: στάζει γὰρ αὖ μοὶ φοίνιον τόδ' ἐκ βυθοῦ Κηκῖον αἷμα. Verum tamen idem v. 844 Ἱδρὼς γέ τοί νιν πᾶν καταστάζει δέμας dixit propius ad nostrum locum. Interpres Plutarchi et Meziriac. ad Ovid. Heroid. T. II, p. 144 μυτοῦ cum φάρος jungunt: parum commode; hic etiam in Plutarcho Ἀγχίσου τὸ ῥάκος minus bene in ἕλκος mutat: nam *opponuntur vestimenta, quæ aromata exhalant*, et Anchisæ *vestimentum tetrum odorem exhalans*. Verum satis de hoc loco, cujus illustrationem a doctissimis editoribus Sophoclis et Plutarchi aliquando expectamus. Nunc potissimum illud tenendum, cum Anchisæ personam omnino poëta egregie tueatur, quippe cui semper det partes jubentis, præcipientis, monentis, quod ad parentum ac senum temporibus heroicis auctoritatem ac sanctitatem præclare est comparatum, inprimis tamen ei divinandi et cum auguria, omina ac somnia, tum oracula interpretandi facultatem tribui a Virgilio, ut lib. II, 687 sqq. III, 9. 538. VII, 122 sq., quod Ennii non modo et Nævii auctoritate facit, sed Græcorum fere scriptorum consensu. Ennii versus erat: 'Atque Anchises doctu', Venus quem polcra Dearum Fari donavit, divinum pectus habere:' Fragm. p. 11, ubi Columna locum Nævii apposuit. Uterque habetur in Probo ad Ecl. VI, et in Pomponio ad h. l. Etiam Sophocles in Laocoonte Æneam induxerat in Idam secedentem Anchisæ patris jussu, qui partim acceptorum a Venere mandatorum memor (ex quibus Virgilius mandata Veneris Æneæ data adumbrasse videtur II, 619 sqq.) partim prodigium, quod modo in Laocoonte ejusque filiis acciderat, interpretatus, urbis interitum prævidebat apud Dionysium I, 48. Veneris jussu Æneam fugisse, etiam apud Cononem invenias Narrat. XLVI, quæ et monuerat urbem eo loco condendam, ubi bovem sibi admugire deprehensurus esset; et a Venere servatum Æneam cum Anchise, narrat Tryphiod. 642 cum Quinto XIII, 326. At Mercurio duce discedit Æneas in tabula Iliaca; et in Inscript. Regillæ Herodis v. 23 loco notato Disquisit. II, s. VII.

De *Creusa* Excursu XIV egimus. Sed, quam varie Æneci-

Digitized by Google

dis argumentum a poëtis tractatum fuerit, etiam ex conjuge Æneæ data apparet. *Codonen* et *Anthemonen* ipsi in matrimonio habitas ex iisque duas filias susceptas in Arcadia relictas vel elocatas ex Agathyllo Arcade videas apud Dionys. Halic. I, 49; at Anii filiam, *Launam*, Æneæ desponsam, videbimus Excurs. I ad lib. tert. Hinc etiam in liberis assignandis magna diversitas; cf. Dionys. Hal. I, 72.

Quod tandem ad *Ascanium* attinet, Homero ipsi nunquam memoratum, eum quidem in Troade relictum novum constituisse regnum, paulo ante a nonnullis proditum vidimus. Communior tamen opinio, secundum Dionysium Halicarnass. quoque et Strab. XIII, p. 608 A, fuit hæc, eum cum patre in Italiam venisse. Ascanii nomen in fuga demum ipsi inditum, cum prius esset *Euryleon*, apud Dionys. I, 65 reperias, adde Orig. G. Rom. 14, quod et ipsum antiquo poëtæ deberi videtur. 'Alios duo parvulos filios abductos ab Æneа tradere, alios unum, cui Iulo cognomen, post etiam Ascanio, fuerit, secum extulisse;' Q. Lutatius scriptum reliquerat, v. Orig. G. Rom. c. 9, et sic ex Hellanico narrat Dionys. I, 47 relicto Ascanio Æneam reliquos liberos cum patre et Diis Patriis secum avexisse. Ascanium tamen, etsi relictum in Troade, mox, cum pater in Macedonia obiisset, eo accessisse novosque colonos inde secum in Italiam abduxisse, tradiderat alius vetus auctor, quem Schol. Iliad. *N*, 459 exscripsit, loco jam supra memorato. Multo major circa Ascanium diversitas post adventum in Italiam; sed de his nunc non agimus. Vid. Excurs. III ad lib. XII.

Digitized by Google

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. III.

DE ÆNEÆ ERRORIBUS.

CUM errores Æneæ magna cum doctrina persecutus sit poëta, nobis autem hoc propositum sit, ut eam doctrinam curiosius exquiramus: agedum, ut ea penitus inspiciatur, de cursu, quem Æneas tenuit, paulo accuratius videbimus, adhibitis iis, quæ ab aliis scriptoribus eadem de re erant tradita.[1] Ante omnia monendum est, cum certam sedem, quam peterent, nondum haberent, Trojanis proxima littora Thraciæ legenda fuisse; mare autem recta ne trajicerent, metus prohibere debuit, ne aut Achivi in patriam redeuntes eos insequerentur, aut ipsi in Achivorum classem dispersam incíderent.

Ex portu Antandri Æneas navibus XX solvit: lib. I, 385 'Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor.' Eundem numerum habuit, cum anno abhinc septimo Sicilia discederet. Nam I, 174 septem navibus ipse ad Africæ littus appulerat; XII aliæ aliis locis I, 394 sqq.; una Orontis fluctibus mersa I, 117. In altum evectus primum Hellespontum classe petiit, et, ut tum navigantium mos erat, ut littus legerent, ad ostia Hebri appulit urbemque *Ænum*, seu *Æneadas*, ut poëta appellat, condidit III, 16—18. V. Excurs. II de Annis Error. Æn. a. 2. Dubitari enim non potest, poëtam de hac urbe cogitasse, quandoquidem fabulam de Polydori umbra subjicit, quæ a vicina Chersoneso bene eo traduci potuit. V. Not. ad III, 13. Latius paulo Ovid. Met.

NOTA.

[1] Video nunc similem conatum Abb. de Pluche in Concorde de la Géographie des différens âges (1764), ubi p. 356 La Géographie de l'Enéide, ou le Voyage d'Enée.

Digitized by Google

XIII, 429 'Est, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus, Bistoniis habitata viris,' etc. Sed in Chersoneso Polymnestoris sedem fuisse dubitari nequit. V. Eurip. Hecuba 569 sqq.; nam iisdem locis Hecuba in canem fuit mutata. Et Cynossema erat ad Hellespontum apud Sestum. V. Pollux v, 5. Intpp. Steph. Byzant. ad h. v. Cellar. Geogr. ant. Etsi non defuere, qui et in hoc discreparent, uti Dictys v, 16, sed de communi fide, quam poëtæ secuti sunt, nunc quæritur.

Habuit autem Virgilius in hoc consentientes plerosque e Romanis scriptoribus. Mela II, 2 'Eximia est Ænos ab Ænea profugo condita.' Plin. IV, 11 'Os Hebri—oppidum Ænos liberum cum Polydori tumulo, Ciconum quondam regio;' adde Solin. c. 10, et ibi Salmas. miscentem ea, quæ apponit. Etiam Ammian. XXII, 8, ubi v. Vales. cf. Serv. ad III, 1 et 17. Nec tamen poëta hujus opinionis auctor est putandus, sed habuit veteres auctores, quos sequeretur, etiam inter Romanos Q. Lutatium, nam is in Historiis similia tradiderat: 'Æneam primum Thraciam appulsum, Ænum ex suo nomine condidisse, dein cognita Polymnestoris perfidia ex Polydori nece, inde digressum.'

Cur tamen poëta non Ænum sed *Æneadas* urbis nomen prodidit? Scilicet Æneadas recte dixeris incolas, eorumque adeo nomine urbem potuit insignire, ut tot aliæ urbes, v. c. Gabii, Tarquinii, incolarum nomine designabantur. Sed id non ab *Æno*, verum ab *Ænea*, *Αἴνεια*, duci potest. An igitur illa ad Hebrum urbs etiam *Αἴνεια* appellata fuit? Atque fit probabile, hoc ita se habere.

Scilicet alia, eaque constantior, inter Græcos maxime, fama obtinuit, ad *Chersonesum Pallenen* Æneam appulisse, ibique Æniam (*Αἴνειαν*) urbem condidisse. Inhabitabant illam tum Thraces *Crusæi* vel *Crossæi*, fidissimi Trojanorum socii. Hæc Dionysius ex Hellanico docet lib. I, 47 et 49. conf. Herod. VII, 123 et ibi Not. (*Chryseos Thracas* scriptum videas apud Pompon. Sab. ad Æn. III pr., sed ejus tota nota ex Dionysio est descripta, ex eoque emendanda; uti

Digitized by Google

altera ad v. 17 ex Herodoto l. c.) Si mireris forte, cur inter Trojanorum socios ab Homero illi Crusæi non memorati sint, tenendum, eos in Pæonum nomine latere videri ab Axio fl. evocatos Iliad. *B*, 848 sq. In Pallene Æneæ appulsum etiam collocat Lycophron 1236—1238. Nam, quam ille habitasse dicitur, *Rhæcelos* ad Cissum montem circa Æniam sita esse debuit. V. Schol. ad e. l. et Not. ad Steph. h. v. et mox *Almopiam* pro Macedonia memorat. Hanc Æniam *Æneadas* quoque appellatas (*Αἰνειάδας*) ex Theone, vetere Lycophronis Scholiasta, notavit Steph. Byz. in *Αἴνεια*. Habuit hæc Æenia Pallenes commune hoc cum altera, quæ Ænos dicta, quod et Pallene priscis temporibus a Thracibus fuit habitata. Facile itaque utriusque urbis origo ad Æneam nostrum referri potuit; etsi altera illa Thraciæ Ænus jam ante Æneam floruit; siquidem ex ea (*Αἰνόθεν*) Piros ad Trojam jam ante urbis casum adfuisse memoratur Iliad. *Δ*, 520, et accesserat ad eam Hercules a Troja redux a Poltye hospitio exceptus: Apollod. II, 5, 9, p. 131. Cf. Not. p. 384. Sunt autem tales circa similis nominis urbes errores satis frequentes; ut in hoc ipso exemplo re inversa Conon Narr. 46 Pallenes Æniam Ænum appellatam vult; et Tzetza ad Lycophr. l. c. utramque confundit. Virgilio propter Episodium de Polydori umbra multo opportunior erat altera de Æno Thraciæ narratio, eamque adeo secutus est. Quippe fuit et ipsa urbs olim non obscura, condita mox iterum ab Æolibus, seu Cumis seu Mitylene oriundis. V. Steph. Byz. in *Αἶνος*, Scymnus Chius 695, et Harpocrat. in eodem voc. ex Ephoro. Servius ad v. 19 h. l. alios urbis nomen ab Æno, Ulyssis socio, deduxisse, ex Euphorione et Callimacho commemorat. Ad eandem spectare videtur, quod apud Pausan. est VII, 4, p. 530, ubi Samii ab Androclo et Ephesiis insula ejecti partim Samothracen abiere, partim consedere *περὶ Αἰναίαν τὴν ἐν τῇ ἠπείρῳ τῇ πέραν βαλλόμενοι τεῖχος*: scr. *Αἴνειαν*.

In Thracia, hoc est, Pallene, Æneam vitam finiisse, nonnulli olim tradiderant apud Dionys. Halic. I, 49, et inter

Digitized by Google

eos Cephalo Gergethius (de quo v. Excurs. I ad lib. II p. 271) et Hegesippus περὶ Παλλήνης, a quo scriptore, cum id consilio suscepisset, accuratius hæc tractata fuisse probabile fit; sed idem urbi suæ heroëm quasi proprium consecrare hac morte voluisse videtur; quod toties factum in vetere historia notavit jam Dionys. Halic. egregio loco lib. I, 54 extr. (p. 43. 44). Patrem Anchisen, ibi sepultum, ex Theone memorat Steph. Byz. in Αἴνεια.

Conon, cujus operam potissimum in fabulis de populorum et urbium originibus (τοῖς ἐθνικοῖς) colligendis positam fuisse apparet, Narrat. XLVI, Æneam narrat trajecto Hellesponto primum in Sinum Thermum (Thermaicum Macedoniæ) pervenire, ubi patrem Anchisen vita functum humat, oblatumque sibi ab incolis regnum recusat; *hinc*, inquit, *in terram Brusiadem profectus* (εἰς τὴν Βρουσιάδα γῆν) omnibus quibus uteretur, erat gratus et jucundus κατὰ χάριν τῆς Ἀφροδίτης. Mugiente ibi, quæ ex Ida ipsum sequebatur, bove, moniti a Venere accepti memor imperium ab incolis in se delatum suscipit, boveque Veneri mactata urbem condit primum Æniam (Αἴνειαν) appellatam, posthæc Ænum. *Brusiadem* illam terram facile aliquis mutandam putet εἰς τὴν Κρουσιάδα ex Dionys. Halic. et Herodoto l. c. Sed Βροῦσις μοῖρα Μακεδονίας ἀπὸ Βρούσου, Ἡμαθίου παιδὸς, ut Steph. Byz. ibid. Galeo laudatus, et inter Thracas *Brysæ* apud Plin. IV, 11 s. 18.

Diversam ab omnibus his rationem, quæ tamen ad illa ipsa, quæ memorata sunt, revocari potest, ingressus erat is auctor, quem Schol. Iliad. *N*, 459 exscripsit, 'Troja,' inquit, 'capta Æneas sumto secum patre Anchise fugit, naufragioque circa Atho facto in interiora terræ est profectus' (ita accipio, ναυαγίῳ δὲ περιπεσὼν περὶ τὸν Ἄθω, ἀνῆει σὺν πατρὶ) 'Anchises quidem ad Calaurum montem juxta Anthemum fluvium moritur et ab Ænea Pyanæ, ubi etiamnum Anchisæ dictum sepulcrum est, humatur; quo facto Æneas, Veneris monitu, urbem condidit, Æneadem' (Αἰνειάδα ab Αἰνειὰς) 'ab ipso appellatam. Mortuo vero Ænea natus ex eo filius clam ad antiquam patris sedem accedit' (cf. sup.

Digitized by Google

ad lib. II Excurs. XVII, ubi de Ascanio), 'et urbe eversa,[1] assumtisque colonis in Italiam concessit.' Anthemuntem urbem Macedoniæ cum agro novimus; potuit etiam fluvius cum monte Calauro eodem loco esse supra Pallenen. In *Pyana* dubito an *Pydna* lateat. Sane etiam Strabo XIII, p. 608, paulo latius *ad Olympum montem* habitasse Æneam dicit. *Cissum* montem supra e Lycophrone vidimus, et *Atho* Tzetza ad eundem v. 1263 nominat.

Ceterum hanc in Pallene sedem Æneæ respicit Livius I, 1, 'primo in Macedoniam venisse,' et XL, 4 traductis jam a Cassandro Æneatibus Thessalonicam—'proficiscuntur Thessalonica Æneam ad statum sacrificium, quod conditori Æneæ cum magna ceremonia quotannis faciunt.' *Portus* etiam *Æneæ* in Pallene memoratur ab eodem XLV, 30.

Ex Thracia in *Delum* insulam Trojani sunt delati, III, 69 sqq. Hoc idem Dionys. Halic. I, 50 habet: 'Cum e Pallene,' inquit, 'solvissent, in insulam Delum venerunt, cum Anius in ea regnaret; et in hac insula, dum res ejus florerent et ædificia starent' (misere autem devastata est insula ab Archelao, Mithridatis duce: v. Viri docti Exerc. de Delo in Misc. Obss. Vol. VII, c. 9), 'multa indicia visebantur, quæ Æneæ et Trojanorum in eam adventum testabantur.'

Anius hic in veterum poëtarum mythis fuit celebratissimus, etiam filiabus Œnotropis, ut docent, quæ apud Diod. V, 62. Ovid. XIII Met. 640 sqq. Lycophronem Cass. 570 et Schol. ad e. l. et versus sqq. Eustath. p. 824, 17. qui Lycophronem fere sequitur, Servium ad III Æn. 80. Dictys lib. I fine legi possunt. Nam nos hæc tantum attingimus. Est tamen hæc ex antiquioribus fabulis, si quidem Pherecydem (Atheniensem puta) et Cypria Epe de iis laudat Tzetza l. c. Ad eundem Anium refer loca Suidæ in Τανροπόλον. Apollinis et Creusæ filius proditur Anius apud Cononem Narrat. 41 ejusque filius Andrus, insulæ ab ipso ap-

NOTA.

[1] τὴν πόλιν ἀνασταθεὶς. *restituta*, an *eversa?* hoc verius. Videtur Ascanius eos, qui Trojam occupaverant, ejecisse, ascitisque colonis novis discessisse.

Digitized by Google

pellatæ conditor. V. ibid. Ovid. l. l. v. 649. Diod. v, 79 et Wess.

Anii filiam ab Ænea in matrimonium ductam, secundum alios violatam, Anium partu edidisse, Servius ad III, 80 narrat. Prius illud e græcis scriptoribus nonnullis etiam Dionys. Halic. I, 59 commemorat, nomen puellæ, insuper addit, *Launam* (nisi *Laviniam* ipse Dionysius scripserat) fuisse; navigasse eam cum Trojanis in Italiam, dante hoc Æneæ precibus Anio patre; erat enim fatidica et sapiens mulier; cumque inter novam urbem condendam morbo fuisset extincta, et in eo ipso loco sepulta, Æneam in uxoris memoriam nomen ejus urbi indidisse. Similia Q. Lutatius narraverat; unde exscripta in Orig. Gent. Rom. c. 9.

Delo digressos Trojanos per medias Cyclades statim ad *Cretam* deducit Virgilius. Ad historiæ veritatem comparatum est, quod urbs *Pergamea* vel *Pergamum* ab iis in Creta conditur III, 132. 133. Relicti in ea nonnulli ex sociis ibid. v. 190. Alios auctores secutus Velleius I, 1 pr. 'ab Agamemnone tres urbes in Creta,' et in his *Pergamum* conditum narrat. De urbe hac cf. Serv. ad III, 133. et Meurs. in Creta lib. I, c. 13, adversus quem Servii locum tuetur Ruhnken. ad Vellei. p. 4. Inter 'oppida Cretæ insignia' Pergamum enumerat Plin. II, 12. 20. Quod in Creta pestilens annus supervenit, ingeniose poëta ex iis effinxit, quæ Idomeneo a Troja reduci evenisse, quæque Cretam de pristinis opibus dejecisse memorantur, v. Herodot. VII, 171. Eodem alludit Dictys VI, 11, cujus figmenta raro antiquioris alicujus fabulæ vel auctoritatis fundo destituta deprehendas.

Sedis in Creta tentatæ Dionys. I, 50 non meminit, sed, ubi de Delo memoraverat, 'Deinde,' inquit, 'in aliam insulam Cythera, quæ ante Peloponnesum est sita, venerunt templumque Veneri condiderunt.' Hoc cum ad Æneæ pietatem tam accommodatum esset, Venerisque omnino opera tam frequens in Æneide sit, a Virgilio neglectum, mireris forte. Nec facile ignorare doctissimus poëta id potuit, sed derelictum ab ipso suspicor propterea, quoniam,

Digitized by Google

cum similem fere religionem templi dedicandi mox ad Actium erat enarraturus, tædium effugere voluit.

Quod *Cytheris* nonnulli tribuerunt, id alii ad continentem transtulisse videntur. Nam ex adverso insulæ, ad littus Laconicæ, in sinu Boëatico, ubi circa Maleam flexeris, fuerunt aliquando duæ urbes, mox in Boëas collectæ, *Etia* vel *Etias*, et *Aphrodisias;* utramque ab Æneæ conditam fama ferebat, *cum ille in Italiam fugeret et in hunc sinum tempestate fuisset delatus.* Nomen alteri a Venere, Æneæ matre, *alteri ab Etide vel Etiade Æneæ* filia. V. Pausan. III, 22 extr.

Ad eadem loca referendum videtur, quod Dionys. I, 50 Trojanos a Cytheris solventes in Peloponnesi promontorio amisisse Cinæthum narrat, a quo illud appellatum *Cinæthium.* Videtur idem esse, quod Pausan. III, 22 in eodem sinu Boëatico post Promontorium, Asini maxillam, tradit *Cinadi monumentum:* Ἔστι δὲ καὶ μνῆμα Κινάδου, νεὼς τῆς Μενελάου καὶ οὗτος κυβερνήτης ἦν. Variavit et in hoc antiqua fama.

Alia fuit fabula de Æneæ ad *Arcadiam* accessu et Anchisæ in iis locis sepultura. Fuisse scilicet aliquem suspicor poëtam, qui hæc ita tractasset, aut famam, quæ ita hæc ferret, ut, cum Samothraciæ, adeoque et Trojanorum, origines prisca aliqua narratione ad Arcades referrentur (v. Dionys. I, 61, 68, 69, ubi de Penatibus agit, unde etiam explicanda illa Arcadum et Trojanorum συγγένεια c. 50 memorata, quam renovasse dicuntur tum Trojani), Æneam cum Anchise in antiquas Arcadiæ sedes reduceret, cum sors esset data, *ut antiquam matrem exquireret* (ut Æn. II, 96). Certe ex alio Pausaniæ loco lib. VIII, 12. f. discimus, *Anchisium montem* (ἡ Ἀγχισία ὄρος) et *Anchisæ sepulcrum* inter Mantineam et Orchomenum Arcadiæ monstratum fuisse. 'Cum enim in sinu Boëatico,' quem modo nominavimus, 'escendissent, Anchises in ea loca quacumque de causa profectus diem suum obiit, ibique est sepultus.—Adjacent Anchisæ sepulcro templi, quod Veneri dicatum fuit, ruinæ.' Consentanea his occurrunt apud Dionys. Halic. I, 49; nam

Digitized by Google

et ibi pars scriptorum Æneam in Arcadiam adduxisse memoratur, ut *Orchomenum* et *Nesum* inhabitaret et *Caphyas* apud Mantineam conderet, a Capy Trojano dictas (hoc et Strabo habet lib. XIII, p. 608 A, at Stephanus Byz. in *Καφύαι* a Capy, Anchisæ patre), sed alii eum ibi mortuum, alii in Italiam discessisse tradiderant, inter illos quidem *Arethus* (ita enim legendum pro *Ἀρίσθῳ, Ἀραίθῳ γράψαντι τὰ Ἀρκαδικά*, ex Schol. Apollonii Arg. II, 500, etiam apud Hygin. Astron. II, 1 'Ariethus Tegeates historiarum scriptor' leg. *Arethus*. V. ib. Muncker.), inter hos autem *Agathyllus Arcas*, cujus elegos apponit Dionys. l. c., in quibus Æneas in urbe Neso duas filias collocasse iisque relictis in Italiam properasse, in qua Romulum genuerit, memoratur. Emendandus ex illo loco Pompon. Sab. ad III, 276.

Insula *Zacynthus* est ex adverso Elidis. Etiam ad hanc Æneam appulisse narrat Dionys. I, 50; et erant Zacynthii quoque cognationis jure juncti Trojanis. 'Dardanum enim, Jovis et Electræ Atlantidis filium, duos ex Batea filios suscepisse tradunt, Zacynthum et Erichthonium; quorum alter ex Æneæ majoribus erat, Zacynthus vero insulæ conditor.' Omnia hæc, etsi fabularum ambagibus involuta, eo tamen pertinere videntur, quod Trojani et insulæ hujus, ut cetérorum locorum, incolæ haberent aliquam antiquitus cognationem; erant scilicet, nisi fallimur, omnes ex Pelasgorum stirpe oriundi. Sed de his alibi: v. Novi Commentar. Soc. R. Sc. Gotting. T. I, p. 90. De Erichthonio Dardani et Batiæ f. Ili fratre v. Apollod. III, 12. 2. 'Commorantur hic aliquod temporis spatium Trojani, et indigenarum humanitate invitati et adversa navigatione impediti. Veneri in templo, quod ibi exstruxerant, sacrificium faciunt, quod ad hoc usque tempus Zacynthii publice faciunt, et cum alia tum etiam cursus certamina junioribus proponunt. Victoriæ præmium autem accipit is, qui templum primus ingreditur. Cursus autem hic Æneæ et Veneris appellatur; et astant amborum statuæ.'

Faciunt et hæc ad poëtæ nostri artem agnoscendam. Zacynthum ille tantum nomine attigit lib. III, 270; narra-

Digitized by Google

tionis moram vero fecit nullam nisi in Strophadibus adjacentibus, quippe quas videbat ornatum ex antiquis de Harpyiis fabulis admittere. Porro, quæ historia de ludis in insula Zacyntho ab Ænea celebratis tradiderat, ea ad Actium magna cum laude poëta transtulit, ut Augustum, Actiacorum ludorum auctorem, hoc tanquam blandimento demereri videretur.

'*A Zacyntho* Trojani per altum navigantes ad *Leucaden* appulerunt, quem locum Acarnanes adhuc tenebant. Atque hic quoque Veneri templum exstruxerunt, quod nunc est in parva insula inter fossam (διορύκτου) et urbem' (cf. Strabo x, p 451-D). 'Vocatur Veneris Æneadis templum.' Dionys. l. c. et apud Serv. ad III, 279: 'Varro templum Veneri ab Ænea conditum, ubi nunc Leucate' (ita lego pro *Leucatem*), 'dicit; quamvis Menander et Turpilius comici a Phaone Lesbio id templum conditum dicant.' Poëta tamen et hoc neglexit uti, Apollinem solum memoravit v. 274. 275, scilicet ne toties templa Veneri condita memorando tædium lectori faceret. *Æniam* ad *Acheloum* (v. Strab. x, p. 450 C) a nemine vidi ad Æneam vel ad Trojanos referri.

At de *Actio* non neglexit poëta. 'Cum ad Actium appulissent, ad sinus Ambracii promontorium stationem habuerunt Trojani. Inde in urbem Ambraciam venerunt, in qua regnabat Ambrax, Dexameni' (cujus avus forte fuit is qui Olenum tenuit ap. Apollod. II, 5, 5.) 'f. Herculis n.' (v. Huds.) 'et utroque in loco hujus adventus vestigia remanent: apud Actium quidem Veneris Æneadis templum, et prope hoc alterum Magnorum Deorum; quæ nunc etiam ætate mea extant,' ait Dionys. l. c. 'Ambraciæ vero ejusdem Deæ templum, et Æneæ sacellum, prope parvum theatrum, in quo etiam est parva operis antiqui statua, quæ dicitur Æneæ, eamque sacrificiis colebant sacerdotes, quas ipsi amphipolos vocabant' (αἱ καλούμεναι παρ' αὐτοῖς ἀμφίπολοι). Ergo poëtæ invento hoc loco debentur ludi ab Ænea instituti, et suspensus clypeus, in cujus tamen consecratione poëta aliquid habuisse videtur, quod secutus est: nam Serv. ad III, 287 'Sciendum tamen,' inquit, 'hunc cly-

Digitized by Google

peum ab Æneæ apud Samothraciam in templo consecratum, quod poëta per transitum tetigit.' Deduxere eum in donarii notionem ea, quæ Dodonæ monstrabantur Trojanorum donaria, de quibus statim e Dionysio commemorabo.

Scilicet quod sequitur de appulsu ad *Epirum*, id a poëta diverso plane ab aliis modo est tractatum ornatumque. Nam apud Dionys. Halic. I, 51 'ex Ambracia cum navibus quidem Anchises oram legendo Buthrotum Epiri portum subit. At Æneas et cum eo lectissimi quique totius exercitus, duorum dierum itinere per terram confecto, Dodonam pervenniunt, Deum consulturi. Atque hic in Trojanos cum Heleno incidunt. Accepto deinde de colonia deducenda responso, Deo dona Trojana dicarunt, cum alia tum etiam crateres seneos, quorum nonnulli adhuc supersunt litteris antiquissimis inscripti, quæ donorum dicatorum auctores testantur; et quatuor ferme dierum itinere confecto ad classem apud Buthrotum redierunt.' Vides hic, quæ poëta ex priorum auctorum narratione in suum usum converterit, et quibus ipse ea variaverit. Heleni occursum ejusque vaticinium v. 374 sqq. a Dodona Buthrotum traduxit, omninoque hic suavissimum episodium de Andromache intexuit. Donaria templi dona discedentium tam ornate exposita peperisse videntur v. 464 sqq. Quominus autem Dodonæo oraculo, quo quis non parum suavitatis et ornamenti carmini accedere potuisse existimet, uteretur, simile de Delio oraculo jam ante accurate tractatum episodium revocasse videtur poëtam. 'Trojanos oraculum' (et quidem id, quod ab Harpyiis edi maluit Virgilius v. 255 lib. III de ambesis mensis) 'a Dodonæo Jove apud Epirum accepisse,' Varro quoque narraverat Rer. Divinar. II ap. Serv. ad III, 256. Adjungendus iis alius locus, qui ex eodem libro II petitus esse debet, apud Serv. ad III, 349: 'Multi putant,' ait Servius, '*Æneam de ea venisse*' (f. non devenisse) 'ad Epirum, et ibi hæc loca per licentiam poëticam esse conficta. Varro Epiri se fuisse dicit, et omnia loca hisdem dici nominibus, quæ poëta commemorat, se vidisse. Idem etiam Varro *Trojam Epiri* ab Æneæ, sive a comitibus ejus, *Bio-*

Digitized by Google

patora nuncupatam docet, ubi Trojana classis Æneam (*Dodona revertentem*) expectasse sociosque *castra* in tumulis habuisse memoratur, quæ ex illo tempore *Trojana* appellantur: unde apparet, divinum poëtam aliud agentem verum semper attingere.' Egregia grammatici observatio. Erat utique apud Buthrotum collis, in quo Æneas castra habuerat, *Troja* appellatus (ut Dionys. ap. Hudson. ex Vatic. lectione restituendus p. 40. l. 32), et ad mare *portus Anchisæ* dictus (ibid.), unde, cum templum Veneri eo quoque loco dedicassent, Ionium mare trajiciunt, habentes secum navigationis comites ac duces non paucos ex illis oris, et cum his Patronem Thurium cum amicis, quorum Patron quidem ad Aluntium Siciliæ consedit, reliqui, deductis in Italiam sociis, domum redierunt. Quæ in memoriam beneficii hujus Romani in Acarnanes contulerint, jam ad III, 500 notavi.

Fit tandem trajectus ad *Italiæ* littus. Dicat aliquis, quorsum Æneas tam longo errore per mare Ionium usque ad sinus Adriatici oras, unde mox Italiæ littus ac tota Sicilia legenda classe fuit, sive a Virgilio sive ab antiquioribus poëtis deductus est, cum a Creta breve ac rectum iter versus Italiam et Latium esset? Sed et tota antiquitas ita tradiderat, et quicumque illo tempore ex Græcia, multo magis ex Asia, solventes Italiam adire dicti sunt, oram ejus Orienti obversam accesserunt, quippe quæ tum Græcis sola erat nota et frequentata; cum remotiora versus Occidentem inter terras tantum non incognitas tum haberentur. Itaque poëta egregie fabulam suam antiquitatis fidei attemperasse videri debet, cum, audito per somnum a Penatibus Italiam esse petendam (v. III, 163 sqq.), ad inferioris Italiæ partem exteriorem Æneas cursum dirigit, nec nisi ab Heleno vate edoctus mente tandem assequitur, ad interiores Italiæ oras se a fatis duci: (v. III, 381 sqq.) cf. sup. Exc. XV ad lib. II.

Ceterum etiam in hac errorum Æneæ parte multa fabulosa a Græcis aspersa fuisse intelligitur, quippe quibus hoc erat propositum, ut fabulam multorum ingenio operaque

Digitized by Google

tritam variarent et ornarent; nec argumentum ab eo consilio abhorrens. Et primum quidem narrationes fuerunt variæ de occursu modo *Ulyssis*[1] modo *Diomedis*[2] in hoc Italiæ littore; sed brevitatis studio loca tantum indicabimus. Ex antiquissimo autem scriptore, qui *sacerdotum Argivarum recensum*, συναγωγὴν τῶν ἱερειῶν ἐν Ἄργει, scripserat, Dionys. I, 72 memorat Æneam statim ex Molossis cum Ulysse in Italiam trajecisse. Singulare plane est quod Dictys lib. v. extr. 'Ita coactus,' inquit, 'cum omni patrimonio a Troja navigat Æneas, devenitque ad mare Adriaticum, multas interim gentes barbaricas prætervectus: ubi cum his, qui secum navigaverant, civitatem condit, appellatam Corcyram Melænam.' Sed de insula hac sinus Adriatici accuratius dispiciendum ad Apollon. Arg. IV, 566 sq.

Trajectu ad Italiæ littus circa promontorium Sallentinum vel Iapygium facto secundum Virgilium III, 530 sqq., *Portum Veneris* ad Castrum Minervæ subeunt Trojani et Palladi Junonique sacra faciunt. Similia prorsus invenies ap. Dionys. Hal. I, 51, qui et hæc habet, in locis his Italiæ, quæ Æneas præternavigaverat, 'adventus sui multa eum reliquisse vestigia, cum alia tum etiam phialam æream in templo Junonis litteris antiquis Æneæ nomen, qui Deæ donarat, declarantem.' Templum hoc *Junonis Laciniæ* est infra Crotonem. Fuit et in his locis *Siris* olim urbs Trojanorum colonia credita, mox Heracleensium navale, in qua Palladium Iliacum dedicatum indigenæ monstrabant. V. Strabo lib. VI, p. 264 A.

Tandem in *Siciliam* perveniunt Trojani et ad *Drepana* escensum faciunt. Sed de his alio Excursu agetur ad lib. v.

NOTÆ.

[1] Ex M. Octavio Victor. Orig. G. R. c. 12. Lycophr. v. 1242 sq. et al. adde Ryck. de prim. Ital. inc. p. 449. f. Schottus ad Proclum p. 22 in calce Obss. hum. et al.

[2] Solin. c. 2. Serv. ad Æn. III, 497 et al. Plutarch. Qu. Rom. T. II Opp. p. 266 c, ubi Æneas cum sacra faceret, Diomedis occursu caput velavit, morique solenni (de quo cf. Æn. II, 403. et Not.) causam et originem fecit. Super Palladio a Diomede Æneæ reddito multa ex antiquioribus fabulantur seriores Græci: Malelas p. 207. Cedren. Comp. H. p. 135. Cf. sup. Excurs. IX ad lib. II.

Digitized by Google

EXCURSUS II.

DE ERRORUM ÆNEÆ ANNIS.

III, 8 'Vix prima inceperat æstas; Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.' Etsi in poëta temporum rationes subtiliter exigere velle importunum foret, multo magis, si tacite ea prætereat aut minus definite apponat ipse poëta: si tamen temporum momentis vel cardinibus expresse adjectis semel animum ad hæc converterit, ne temere id fecisse videatur, ipsi utique curandum est diligentissime. Sed habet etiam ad multa Æneidis loca inprimisque hujus libri declaranda magnam utilitatem, ut errores Æneæ in annos suos dispertiri possis, et doctrinæ exquisitæ Virgilii pars non exigua ea re continetur. Pendet autem tota fere annorum ratio ex illo versu lib. I, 759.' nam te jam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus æstas,' tum ex iis verbis, quæ supra ascripsimus, III, 8, quo tempore Æneas Antandro solverit. Scilicet

a. C. N.		Errorum Æneæ
1184	Troja capta	a. 1

Est is e vulgari computandi ratione a. M. 2820. P. I. 3530.— ante primam Olymp. a. 408 ex Eratosth. Canon. (ap. Diodor. I, 5.) et annus 434 sec. Marmor Arundel.—tandem ante U. C. annus 431. Firmarunt annum viri docti adeo calculis astronomicis: quibus vir acutiss. Gibert adjecit nuper eclipsin XXVIII Augusti a. ante C. 1185 adeoque anno, qui excidium urbis præcessit, factam: quam quærebat in cœlo post Sarpedonis mortem obscurato Iliad. Π, 567. Trojæ excidium paulo ante solstitium æstivum incidisse, miro consensu (si Æschylum exceperis Agam. 835. ἀμφὶ Πλειάδων δύσιν, quæ autumnum innuere videtur) tradit vetus Græcia, mense quidem Thargelione, etsi in die non satis sibi constant. V. inprimis nobilissimum locum ex vetere Euripidis Scholiaste servatum ab Ursino ad Æn. II, 255, et a Scalig. de Emend. temp. lib. V excitatum (v. sup.

Digitized by Google

Excurs. I. ad lib. II, p. 366), add. Dionys. Halic. I, 68. (p. 51. Sylb.) Plutarch. in Camillo p. 138. B. a pluribus jam laudatos, inprimis Scaligero, Petavio, Dodwell. de Cyclis p. 805, adde Ryck. de prim. Ital. Colon. p. 431. Nos Marmor Arundelianum secuti noctem inter XXIII et XXIV Thargelionis ponemus, h. e. inter XI et XII Junii. Pomponius quidem Sab. ad Æn. II, 801 mense Martio direptam urbem narrat, nescio quo auctore, sed levi certe et indocto.

Luna circa mediam noctem oriente Achivos ex insidiis progressos jam Lesches in Iliade parva ediderat: Νὺξ μὲν ἦν μεσάτη, λαμπρὴ δ' ἐκέκελλε σελήνη, quod Virgilius expressit: II, 250 'Vertitur interea cœlum' etc., 255 'tacitæ per amica silentia Lunæ' et 340. 'oblati per Lunam.' Hinc omnino ad plenilunium, quod tamen aliquot dies jam præcedere debuit, retulere Trojæ excidium chronographi. V. Clemens Alex. Strom. I, p. 321 sq. (139). Scaliger de Emend. temp. lib. v. p. 378. Dodwell de Cyclis Græc. p. 808, qui Tzetzæ loco usus erat e Posthomericis Tzetzæ, quem nunc habemus plenum in edit. Tzetzæ per Fr. Jacobs curata: et post hos multi alii, etiam Burmann. cum Serv. Cerda aliisque ad Æn. II, 255. E Clemente sua hausit Euseb. Cf. Fragmenta Hellanici p. 151. cujus cum Duride præcipua hujus cardinis chronici auctoritas fuit; cf. Tzetza Posthom. 778. 9. Tzetza minus accurate apponit plura, ut vs. 764. annum ante Olymp. I, 418. (pro a. 408) tum Thargelionis diem XII, (vs. 770) sed ignorata veteris anni ratione eum cum Januario comparat.

Achivi quidem hac ipsa æstate littore Trojano solvunt, sed inter varias contentiones exortas paulo serius quam factu opus erat, ne in ventos Aquilones statos, etesias vocant, qui hac anni parte in his plagis maris Ægæi flare solent, incederent; itaque classis misere tempestate est disjecta. Ita quidem mihi ea de re videtur statui posse. Homerus, ut mirationem majorem faciat, Odyss. Γ et Δ calamitatem hanc Palladis iræ et Achivorum dissidiis moxque Neptuni odiis tribuit. His iisdem ventis, eodem anno, Ulysses (v. Od. I, 67 sq. 80 sq.), altero Æneas, versus

Digitized by Google

Libyæ littora sunt delati; iisdem, sed anno demum octavo post, Menelaus per XX dies in littore Ægypti ad Pharum tenebatur Odyss. Δ. 351. 475. (cf. Wood on the original Genius of Homer p. 55. ed. pr. p. 227 ed. sec.) Incipiunt autem constanter spirare circa XVII Kal. Aug., cum jam decem dies ante exorti sint: v. Plin. II, 47. Est hoc tempus ὀπωρινὸν antiquorum, ὀπώρα apud Homerum, quo Boream flare ait Il. Φ, 346. Od. Ε, 328. Iidem etesiæ esse videntur, qui in fabula Aristæi commemorantur: de quibus v. Apollon. II, 516. 525 et ibi Schol. In hyemem igitur, nisi procellosum tempus intelligas, dilata Græcorum navigatio dici nequit. Tradita hæc accuratius fuerunt haud dubie a veteribus, uti ex Dictye colligo lib. V, 8, ubi in paciscendo cum Antenore Ulysses urget, 'tempus ad navigandum idoneum prætervolare,' et V, 16 'urgente navigii tempore,' et c. 17 pr.—'veriti, ne per moram, interventu hyemis, quæ ingruebat, a navigando excluderentur.'

At Æneas, qui capta Troja se in montem Idam cum suis receperat, ab Australi parte versus Antandrum descendit, et in hujus urbis portu classem facit. In classe facienda et instruenda hyems consumitur, lib. II, 5, 6 'classemque sub ipsa Antandro et Phrygiæ molimur montibus Idæ.' Secundum Dionysii Halic. I, 63 calculos, jam autumni[1] hujus anni initio Trojani Hellespontum trajiciunt et in Thracia hyemem exigunt, ad historiæ veritatem haud dubie propius; sed hanc deserere recte potuit poëta. Ab omnium ceterorum fide recedit, quod ad Æn. III, 8 Servius ex Palæphato (qui junior ille, Τρωϊκῶν auctor esse videtur, v. ad lib. II Exc. I p. 362) notat, 'capto Ilio Æneam post triennium navigasse.'

Antenor interea et ipse discessum parat, et iter quidem, quod et Æneas facere decreverat, versus Italiam instituit.

NOTA.

[1] Dionys. quidem τῷ ἑξῆς ἔτει, πρώτῳ δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν: sed utitur ille anno Attico novo, qui a noviunio, quod a solstitio æstivo proximum est, initium habet et cum annis adeo Olympicis, qui et ipsi inde ducebantur, conspirat.

Digitized by Google

Si quæras, quomodo in hoc consilium uterque devenire potuerit, cogitandum est, illo tempore terras Europæ occidentales Græcis Trojanisque fuisse eodem loco, atque Europæis ante hæc duo sæcula et quod excurrit, Americam. Tenebant autem Græci tum omnia maris Ægæi littora, ut adeo nisi in Ionio receptus esset Trojanis nullus.

a. C. N.	a Troja capta	Error. Æneæ
1183	a. 1	a. 2

Æn. III, 8 'Vix prima inceperat æstas—Littora cum patriæ lacrymans portusque relinquo, Et campos ubi Troja fuit. Feror exul in altum.'

Primum quidem cursum in Thraciam tenuit: III, 13 sqq. —68 'Terra procul vastis colitur Mavortia campis. Thraces arant:' condit hic in littorali plaga urbem, *Æneadas:* v. 16—18, quod de *Æno* Thraciæ ad Hebri ostia accipiendum esse, Excursu I ad h. l. vidimus.

Parabat Æneas Veneri, Jovi, aliisque Diis sacrum, quo cum ad aram velandam frondes ex proximo virgulto peteret, prodigio sanguinis ex ruptis ramis fluentis moxque umbræ Polydori monitu, inferiis ei factis, terra excessit; quod non nisi vere sequente factum.

Hyemem in Thracia (h. e. Pallene) a Trojanis exactam, etiam Dionys. ex communi ratione tradit I, 49 et 63, etsi superioris jam anni; nam hujus anni hyemem in Sicilia ab iis consumtam ponit; ut adeo sequente anno secundo a Troja capta ad agrum Laurentem pervenerint. Et hanc rationem secuti sunt alii: ut L. Cassius Hemina ap. Solin. c. 2.

a. C. N.	a Troja capta	Error. Æneæ
1182	a. 2	a. 3

'Inde ubi prima fides pelago, placataque venti Dant maria' etc. Æn. III, 69. Vere ineunte, ἔαρος ἀρχομένου, mari patefacto, versus Archipelagum navigant, Delum perveniunt. Ab Anio Anchisæ hospite benigne excepti Apollinem consulunt; a quo cum antiquam matrem exquirere, h. e. eam terram repetere, jussi essent, unde majores Trojanorum progressi ad Trojæ loca olim pervenerant, Anchi-

Digitized by Google

ses eam Cretam interpretatus, unde Teucrum ad Troadem appulisse a majoribus acceperat, eam petere jubet. Ad hanc igitur insulam bona spe alacres cursum dirigunt, II, 73—131. Idomeneus jam tum Creta erat a suis expulsus v. 121. Condunt hic urbem *Pergameam*, instruunt domos, colunt agros, et terra se a fatis monstrata nunc tandem potitos esse lætantur, v. 132—137.

Inter hæc annus unus et alter exire debuit; neque aliter numerus ille septenarius annorum confici possit, nisi ita statueris. Igitur

a. C. N.	a Troja capta	Error. Æneæ
1181	a. 3	a. 4

in nova colonia Cretæ consumitur. Interea

a. C. N.	a Troja capta	Error. Æneæ
1180	a. 4	a. 5

siccitas agrorum, aëris gravitas, lues corporibus infesta. Cum iterum Phœbum in Delo consulere vellent, Æneam per somnum docent Penates, non Cretam sed Italiam sedem a fatis destinari. Itaque paucis in colonia relictis iterum naves conscendunt, III, 137—191.

Evecti in altum gravi tempestate opprimuntur, ut procellosum in his plagis mare esse solet (v. Not. ad III, 192). Quarto die ad Strophades, quæ Ionii maris insulæ occidentali Peloponnesi littori obversæ sunt, appulsi, cum ab Harpyiis vexarentur, accepto a Celæno vaticinio, iterum hinc solvunt, III, 192—267 et alias hujus maris insulas prætervecti Actium in sinu Ambracio perveniunt. Hic lustratio et Ludi habiti, III, 268—283. 'Interea magnum Sol circumvolvitur annum, Et glacialis hyems Aquilonibus asperat undas' v. 284. 285.

a. C. N.	a Troja capta	Error. Æneæ
1179	a. 5	a. 6

Transacta apud Actium hyeme Epiri littore lecto ad Buthrotum escendunt, ubi præter omnem expectationem in Helenum cum Andromache incidunt. Aliquantum temporis cum ipsis commorati, accepto novo ab Heleno vaticinio, iterum navibus in altum deductis (III, 286—505) præter

Digitized by Google

montes Ceraunios provehuntur, cumque per noctem littorum tuta subiissent, altero mane Italiam conspiciunt, 506—529.

Trajectu facto Portum Veneris paulo supra promontorium Sallentinum vel Iapygium dictum subeunt, et Palladi Junonique sacra faciunt, 530—548.

Mox sinum Tarentinum, oram Bruttiorum, et Siciliæ fretum prætervecti in Cyclopum littore escensionem faciunt; sed recepto Achemenide, qui ab Ulysse relictus fuerat Ulysses igitur paulo ante, et quidem, quod poëtæ præter Homeri fidem ponere licuit, ante tres menses v. III, 645 in his littoribus erraverat), Polyphemi metu classem iterum expediunt, et littus Siciliæ orientale et Australe prætervecti in occidentali littore supra Lilybæum promontorium Drepani portum ad Erycem intrant. Hic dum a longis erroribus recreant se, sub æstatis exitum (cf. an. seq.), Anchises moritur, III, 549—714. [1]

NOTA.

[1] In temporibus, quæ nunc succedunt, ordinandis magnam difficultatem injecit ipse poëta, qui discessum e Sicilia et accessum ad Africam septimo errorum anno factum diserte memorat v. extr. libri I 'nam te jam septima portat Omnibus errantem terris ac fluctibus æstas;' idem tamen reditum in Siciliam hoc eodem anno septimo factum narrat lib. v, 626 'Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas.' Ea tamen si eo, quo fecimus, modo conciliari possunt, concidit poëtæ reprehensio. Nolo in exponenda difficultate otium consumere, quam jam veteres versavere. V. Servium ad lib. v, 626, cujus nota tandem in his verbis subsistit: 'Ergo constat, quæstionem hanc unam esse de indissolubilibus; quas non dubium est emendaturum fuisse Virgilium.' Si quis itaque poëtam in tempore Æneidi suæ constituendo sui parum memorem fuisse dicat, non multum habeo quod reponam. Illud tamen male haberet, quod poëta temporis notas disertis verbis apposuit, quas, si abfuissent, nemo desideraturus aut in hanc quæstionem descensurus fuisset. Etsi vero expediri illa nequit, ita ut nihil forte reponere possis, alterutrum tamen sumendum est, aut sub finem anni autumno exeunte Æneam ad Africam accessisse, et altero anno primo vere discessu facto in Siciliam reversum esse; aut vere demum sequentis anni solvisse Æneam ex Sicilia, Carthaginem appulisse et eadem æstate in Siciliam rediisse. Hoc si sequare, saltem versuum istorum ratio ac sententia constat. Igitur, dum meliorem rationem aliquis docuerit, teneamus hoc. Certe Catrœum, quem ad lib. v pr. de his disputasse videmus, omnia ad lubitum fingentem audire piget. Nec Wood, qui Iliadis et Æneidis tempora constituenda alio opere sibi proposuerat (p. 229 sq. et p. 254. vers. germ.) satis probabilia amplexus esse videtur.

Digitized by Google

a. c. n.	a Troja capta	Error. Æneæ
1178	a. 6	a. 7

Vere, ut e sequentibus probabile fit, quando navigandi tempus aderat, classis Æneæ e Sicilia solvit versus Tyrrheniam et Latium. Ab hoc demum tempore res Æneide comprehensæ exordium habent: v. lib. I, 38 sqq. Vix illa altum tenet, cum subito gravissima tempestas orta, quam poëta ab Æolo Junonis rogatu immissam prodit, versus Africam naves rejicit; sex circa Ægimuri Aras, ex adverso Carthaginis, partim scopulis partim arenarum vadis illisæ, una a mari hausta, omnes a ventis fluctibusque admodum vexatæ, subsidente tandem tempestate vix in Africæ littus sed diversis partibus ejiciuntur (I, 38—162). Æneas quidem cum septem navibus (I, 174 et 387) inter Apollinis et Mercurii promontoria, qui nunc Tunitanus sinus est, portum subit, ad Aquilariam, objectu insulæ, quæ altera ex Ægimuri Aris esse videtur, a ventis tutum (v. Excurs. ad I, 159 sq.). Altero die ad exploranda loca digressus, et a matre Venere, sub Nymphæ specie obvia facta, confirmatus animo, novam urbem Carthaginem de colle urbi imminente prospicit. Degressus inde dum in novo Junonis templo opera singula contemplatur, Dido regina eo procedit, a qua benigne Æneas excipitur moxque socios cum parte classis, quam desideraverat, recuperat (I, 163—ad f. libri); casus suos inter epulas factas narratione exponit (lib. II—et III).

Gesta hæc anni hujus vere; quod constat, si cum lib. V, 626 sq. compares illa: ‘ Nam te jam *septima* portat Omnibus errantem terris ac fluctibus *æstas*,’ I, 759. 760. Itaque I, 35—‘ *multosque per annos* Errabant acti fatis maria omnia circum.’

Desidet aliquot menses apud Didonem Æneas, tandem Deorum monitu hac ipsa æstate ex Africæ littore solvit, ingruente tamen illo tempore, quo turbari ventis mare solet. Versus sunt hi: IV, 52 ‘ causasque innecte morandi, Dum pelago desævit hyems, et aquosus Orion; Quassatæque rates, dum non tractabile cœlum.’ Mox 193 ‘ Nunc hyemem inter se luxu, quam longa, fovere’ etc., tandem v. 309

Digitized by Google

'Quinetiam hyberno moliris sidere classem, Et mediis properas Aquilonibus ire per altum.' Facile ex his colligat aliquis, hyemem apud Didonem fuisse exactam, nec nisi sequente vere hinc discessisse Trojanos. In astruenda hac re multus est Bargæus. V. Jo. Mich. Bruti Epp. Cl. Viror. p. 75 sqq. Possis etiam, quod alii, v. c. Catrœus, faciunt, ita statuere, sub anni superioris exitum Æneam ad Carthaginem accessisse ibique hyemem exegisse. Sed neutra harum opinionum difficultatibus caret. Nam sic poëta sibi ipsi adversaretur, qui *septima æstate* Africam adiisse, et *septima æstate* item Siciliam repetiisse diceret eos, qui diversis tamen annis hoc et illud fecissent. Nec loca, quibus *hyems* memoratur, necessario ad brumale tempus ducunt. Sed primo loco de tempestate agitur, qua Æneas ad Carthaginem fuerat appulsus; est enim dies ab adventu secundus; neque altero loco hyems aliter accipienda, quam de tempore procelloso, quod, quale fuerit, tertio loco apparet, *hyberno sidere* et *Aquilonibus*; qui esse possunt illi ipsi stati venti, etesiæ dicti, quos paulo ante ad a. 1 medio Julio et Augusto flare diximus. Cf. Not. ad I, 539. Etiam lib. IV, 429, 430 'extremum hoc miseræ det munus amanti: Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.' Nec *Orion* lib. I, 539. IV, 52 aliam quam tempestatis ortæ significationem habet. Cf. Serv. ad V, 626, et Cerdam ad e. l.

Solvit igitur Æneas Carthagine; vento tamen adversante cursum versus Italiam non tenet, sed ad Siciliæ littora delatus apud Erycem iterum in terram escendit, lib. V, 1—34. Hic anniversarias patris Anchisæ Manibus inferias facit et ludos funebres instituit V, 35—603. Tempora ex his colligas v. 46 'Annuus exactis completur mensibus orbis,' et 626 'Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas' etc. Interea Trojanæ mulieres longi erroris tædio victæ, ut tandem in Sicilia considendum esset, classem incendunt; quatuor naves combustæ, reliquæ reparatæ. Tum Æneas, relicta apud Acesten comitum parte, qui Ægestam seu Segestam incolant, cum meliore parte naves solvit versus Italiam et hac ipsa æstate Tiberina ostia subvectus in

Digitized by Google

agrum Laurentem escendit. Sed de his alio loco videbimus. Ad hunc autem annum sub æstatis exitum hæc esse referenda, ex his patet: Ludis apud Erycem altero ab escensione die (v, 42) indictis inferias (v, 42—103) dieque nono ludos faciunt (104 sqq.): hoc eodem die classis cremata. Ad eam reficiendam et novam urbem designandam novem dies dati v. 762. Proximo die discedunt v. 768 sqq.

Quæ poëtam impellerent, ut in plures annos dispesceret Æneæ errores, qui secundum historiæ fidem altero vel tertio anno absoluti fuerunt, meo qualicumque judicio videntur fuisse plura. Primum quidem, quod majorem facit admirationem et ipsum hoc, quod non uno alterove anno sed per septem annos continuos heros Æneas fatis adversis fuit jactatus; æmulatus porro est poëta errores Ulyssis; et poterat omnino majorem rerum casuumque varietatem intra tale tempus congerere et includere; multa ex historia τῶν Νόστων, de casibus Achivorum, seriore nonnullorum in patriam reditu, infelici Agamemnonis fato, Pyrrhi cæde et Heleni regno Epirotico (III, 295 sqq.), de coloniis Achivorum in Italiæ littore, memorare non potuisset, nisi Æneæ errores in aliquot annos dispertitus esset. Tandem hoc ipso invento cavit poëta, ne rem parum probabilem narrare videretur, qui factum esset, quo minus Trojani in Achivos domum reduces inciderent, qui tamen et ipsi a Troja solventes Thraciam petierant, aut, ne Ulyssis navibus occurrerent, quæ tamen eodem mari, iisdem erroribus, ad eadem fere littora ferebantur.

EXCURSUS III.

POLYDORUS.

III, 49. De *Polydoro* narratio ab aliquo Νόστων scriptore inventa, a Tragicis fuit ornata, variis quidem modis, ut vel

Digitized by Google

ex Servio ad h. l. et Hygino fab. 109 intelligitur: namque ad Ilionen sororem Polymnestori nuptam missum eum educandum illi narrant; porro a rege ignaro filium ex Ilione susceptum fuisse necatum pro Polydoro. V. Excurs. XXIV ad lib. I. Homerus utique aliter, apud quem Polydorus ab Achille occiditur Iliad. Υ, 407 sqq. Virgilius ante oculos habuit Hecubam Euripideam, in ipsis adeo verbis, statim a principio. Cf. Not. ad v. 22 sq.

EXCURSUS IV.

III, 73—77. De *Delo*: 'gratissima tellus Nereidum matri et Neptuno Ægæo.' Appellatur ita non simpliciter, quatenus insula; ita enim locus langueret; sed respectu ad antiquiorem fabulam, quæ nunc quidem satis expediri non potest. Servius tamen: 'Postea,' inquit, 'supplicante Jovi Latona, levata superferri aquis cœpit. Hæc primo Neptuno et Doridi fuit consecrata, postea—Latona—littoribus suscepta est.' Similiter Strabo VIII, p. 574 A, Delum primo Neptuno sacram, mox Latonæ pro Calauria cessam, ex antiquis poëtis narrat. Quem locum cum aliis conjecturis jam occupatum video a Viro doctiss. in Exerc. de Delo Misc. Obss. Vol. VII, p. 79. Omnino mihi videor Græci poëtæ vestigia et ipsa verba in hoc versu 74 animadvertere: *Νηρῆός τε δάμαρτι Ποσειδάωνί τ' ἄναχτι*, vel *Ποσειδάων' Αἰγαίῳ*, in hunc vel similem modum; aut propius ad verba nostri: *Νηρεΐδων μητρός τε Ποσειδᾶνός τ' Αἰγαίου*. Multorum autem carminum argumentum olim fuit Delus. V. laud. Exercit. p. 3, et noster supra Georg. III, 6 'Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos?'

In iisdem versibus Apollo Delon—'Errantem Gyaro celsa Myconoque revinxit,' si elegantiam poëtarum sequaris, 'celsa Mycono,' epitheto posteriori voci adjecto, jungenda videntur. Sane Ovidio quidem Met. VII, 463 'humilis My-

Digitized by Google

conos' dicta. Scilicet insula omnis *alta*, quatenus mari eminet, et *humilis* aliarum insularum respectu; etsi interdum ista ipsa epitheta modo ad littorum alta promontoria et scopulos montesque, vel læve et leniter acclive littus, modo ad interiora (v. c. χθαμαλὴ Odyss. *K*, 196) spectant, modo, quatenus e longinquo vel e propinquo spectatur terra navigantibus. Sic inf. III, 522 'cum procul obscuros colles *humilemque* videmus Italiam.—Gyaro celsa' junxit auctor Epigrammatis, inter Petronii fragmenta, repetiti nuper in Anthol. Lat. p. 460, quod totum ex h. l. expressum, quem cum eo docte comparavit Editor. Sed forte is antiquum verborum ordinem in suo libro habuerat: 'Mycono celsa Gyaroque,' v. Var. Lect. Aliam loci imitationem dabit Statius Theb. III, 438. Delum ceteris insulis *humiliorem* esse Wheelerus docuit, Journey into Greece p. 58.

EXCURSUS V.

TEUCRI ET TEUCRORUM E CRETA ORIGINES.

III, 104 sqq. 'Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto; Mons Idæus ubi—Maximus unde pater—Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras.' Locus inter classicos de Cretæ et de Troadis originibus. Ut Apollinis oraculum ad Italiam spectans de Creta interpretaretur, facile induci poterat senex Anchises. Nam et omnino inter Cretam et Phrygiam origines fuerunt communes, et Phrygiæ Minoris, seu Troadis, conditores, Teucri (secundum alios etiam Dardanii) e Creta ortum habuere; accedit, quod aut in Cretam sacra et religiones Dactyli Idæi transtulerunt ex Phrygia, aut Phryges accepere religiones a Curetibus seu Corybantibus ex Creta. Nam utrumque traditur. Locus classicus apud Strabon. lib. X, p. 466 sqq. Diodor. V, c. 64 sqq. A nostro proditum: e Creta cum Teucro sacra Cybeles, et quidem

Digitized by Google

mystica, esse traducta; 'Hinc mater cultrix Cybelæ Corybantiaque æra Idæumque nemus; hinc fida silentia sacris Et juncti currum dominæ subiere leones.' Repetiti autem communi opinione Teucri natales ex Creta; etsi Attici scriptores, Phanodemum Dionys. Halic. I, 61 excitat, Atticæ eos vindicabant. Multo sapientius illi, qui, Scamandri fluvii et Nymphæ Idææ filium eum prodentes (v. Apollodor. III, 12, 1), indigetem et ignotæ originis significare voluerunt, a quo exceptus Dardanus filiam Batiam (Βάτειαν) et regnum, h. e. agrum, quem ipse tenebat, obtinuit.

EXCURSUS VI.

DE DARDANI ORIGINIBUS EX ARCADIA VEL EX TYRRHENIA ET URBE CORYTHO.

III, 167—171. '—hinc Dardanus ortus, Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum—Corythum terrasque requirat Ausonias.' Traduntur de Dardano tam diversa, ut, in quo acquiescendum sit, non facile invenias. Investigemus paulisper fabulæ vestigia, ac diversitatem ad causas et genera certa revocemus.

Homerus Iliad. Υ, 215 simpliciter *Dardanum, Jovis filium, Dardaniam ante Ilium condidisse* tradiderat.

Electram matrem addidere alii, Atlantis filiam, ut Lycophron (v. 1302 sqq.) apud Schol. ad e. l. et Apollod. III, 12, 1. Uterque rem ita exponit, ut Dardanum, cum in Samothrace vixisset, in objectam continentem, Troadem, trajecisse, et a Teucro hospitio, filiæque Batiæ (Arisben Lycophron appellat l. c. cum aliis v. Steph. Byz. h. v.) matrimonio exceptum, Dardaniam vel Dardanum (de nomine v. Munck. ad Hygin. f. 275) condidisse dicat: cf. Not. ad Apollod. III, 12, 1. Trajectum ratibus, σχεδίᾳ, factum, causamque modo fratris Iasionis, nam sic alii scribunt pro Iasio, mortem, modo diluvium memorant cum iidem tum

Digitized by Google

alii; v. Conon Narrat. 21. cf. Schol. Lycophr. v. 73. Eustath. ad Iliad. τ, p. 1204, 1252, qui sua ex isto petiit, et p. 351 cum Schol. ad τ, 215, Nonnus Dionys. III, 215—219, de quo loco v. Salmas. de L. Hellenist. P. II, c. 1, p. 333.

Quæ adhuc perstrinximus magis quam exposuimus, *Samothracum* fuere *fabulæ;* hoc intelliges ex Diodor. V, 48. 49, et IV, 75. Strab. VII, p. 331. Dionys. I, 68. 69.

Quandoquidem Dardanus ex Electra, Atlantis f. fuit susceptus, cujus natales ad Cyllenen, Arcadiæ montem, referuntur, cujusque omnis fabula Arcadiam tanquam sedem habet (v. Apollod. III, 10); accidit, ut etiam Dardani origo ad Arcadiam referretur. 'Græci et Varro, Humanarum Rerum, Dardanum—de Arcadiæ urbe Pheneo oriundum dicunt,' ait Serv. ad III, 167, et *secundum Arcades* totam fabulam exponit disertissime Dionys. Halic. I, 61. Fuit quoque ejus memoria in Elide Triphylia. V. Strab. VIII, p. 532 c.

Ex Arcadia Pelasgos Italiam incoluisse nota est narratio; translatus cum iisdem mythus Arcadum et origo Dardani *in Italiam*. Nunc Corythus aliquis excitatur; cujus vestigium in Arcadia non reperi, nisi in Tegeatarum demo Corythensium apud Pausan. VIII, 45. Atque hac in eum modum exornata fabula Virgilius egregie est usus ad argumentum suum summæ vetustatis auctoritate ornandum. *Dardanus* scilicet et *Iasius* frater *ex Tyrrhenia*, et quidem *Corytho*, vel Corythi sede, oriundi. Dardanus quidem Samothraciam et mox Phrygiam adiit, Dardaniamque condidit. Hactenus Virgilius III, 167 sqq. VII, 207 sqq. VIII, 134. Copiosius fabulam exponit Serv. ad e. l. et Pompon. Sab., qui Diodorum exscripsit. De Iasio v. Muncker. ad Hygin. f. 270, et Astronom. II, 4.

Corythum, Etruriæ quæ urbs sit, in controversiam venit, sed satis jam Cluver. Ital. ant. p. 590 sqq., et nuper Gorius a Burmanno jam laudatus Inscr. Etrur. Tom. II, p. 364, qui tamen Cluverium fere sequitur, argumentis idoneis evicerunt, esse eam *Cortonam*. Quæ cum varie olim scriberetur, habereturque urbs Etruscorum antiquissima: vid. Dionys. I, 20. 26 (at in Herodoto I, 57 Cortonæ nullus locus esse potest, et mera somnia continet Ridolf. Venuti libellus de an-

Digitized by Google

tiqua Cortona in Diss. dell' Accad. di Cortona T. IV, N. 1); nominis similitudo facile ad Corythum, Dardani patrem ducere potuit, quasi is urbem condidisset eique imperasset. Hinc inter reges et conditores Tyrrhenorum censeri cœpit Corythus; unde poëta *Corythi urbes* pro Tyrrhenia lib. IX, 10. X, 719, et eo, quem supra posuimus, loco: 'Corythum terrasque requirat Ausonias.'

In recentioribus passim interpp., v. c. ad III, 167, multa perperam traduntur, quæ ex Anianis fabulis petita deprehendi. Ad Græculorum commenta pertinet, quod de galea Dardani (κόρυς) perstrepunt, et quod Corythum Tyrrheniæ ad Paridis ex Œnone filium referunt, quodque Dardanum ex Creta, unde Teucer profectus erat, repetunt, vel ad Idam et circa Scamandrum natum affirmant, et plura alia. Quam vellem, multas fabulas in hunc modum detexi liceret!

Ut autem iis adolescentibus, quibus libri, unde hæc peti possunt, non ad manus sunt, ad intelligendum hæc omnia satis sint obvia, progeniem Dardani et hic secundum Homer. Iliad. Υ, 214 sqq. Dionys. Halic. I, 62 et Apollodor. III, 12 repetere non pigebit. Cf. Diodor. IV, 75. In iis tamen, quæ ab aliis diverse traduntur, v. c. a Dicty lib. I, c. 9, hic non merabimur.

Dardanus ex Batia, Teutri f., *Ilum* et *Erichthonium* suscipit. Ilus sine prole moritur.

Erichthonius ex Calirrhoë Scamandri, ut Dionys., vel ex Astyoche Simoëntis f. creat *Troëm*; a quo *Troës* dicti.

Tros ex Callirrhoë Scamandri, ut Apollod. (ex Acallaride, Eumedis f. ut Dionys.) *Ilum*, *Assaracum*, *Ganymedem*, cum *Cleopatra* generat. Jam:

Assaracus Hieromneme Simoëntis f. vel Clytodora Laomedontis f.
|
Capys Themis Ili f. vel Nais nympha
|
Anchises—Venus
|
Æneas

Ili autem, a quo *Ilium* conditum, progenies *Laomedon*;

Digitized by Google

Laomedontis Priamus, cum *Tithono*, *Hesione* et aliis; *Priami Helenus*, *Deiphobus*, *Paris*, *Hector*, *Troilus*, *Polites* etc. *Ilione*, *Creusa*, *Laodice*, *Cassandra*, *Polyxena* etc. Cf. Not. ad Apollod. III, 12.

EXCURSUS VII.

DE HARPYIIS.

III, 209 sqq. *De Harpyiis* fabula antiquissima, quippe jam Hesiodo Theogon. 267 memorata, qua *meteori* vel *procellosi venti* genus aliquod Dearum specie induisse videntur primi homines: unde cum Iride e Thaumante et Electra natæ ferebantur: ibid. et Apollod. I, 2, 6. Data hinc *Harpyia Podarge* in conjugium Zephyro ap. Homer. Iliad. Π, 150, ubi ea βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο (adeoque monstri similis, dicta tamen Dea, ut Echidna, Typhon et al.) peperit Zephyro Xanthum Baliumque, Achillis equos: suavi commento, ad celeritatem equorum horum declarandam. Allusum autem ad eandem fabulam in illa narratione, qua equi in Lusitania ex Favonio concipere narrantur: sup. ad Ge. III, 273. Ad priscam illam Harpyiarum, tanquam ventorum, ac procellarum, notionem spectat antiqua loquendi ratio, qua ii, qui evanuerant, *ventis rapti* dicuntur; tandem forma poëtica etiam *res*, *vota*, *preces* a ventis feruntur. Ulyssem mari jactatum Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο Odyss. Λ, 241, ut alias ἀναρπάξασα θύελλα Ὤχετο φέρων. Multo magis manifesta res ex Odyss. Τ, 77 comparato v. 63. 66 (cf. Eustath. ad illa loca), ubi Pandarei filias (de quibus v. ad Apollod. p. 843) evanuisse ex hominum conspectu declarare volebat poëta: Τόφρα δὲ τὰς κούρας Ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο. V. Paus. X, 30 pr. Secutus hoc est Sophocles Philoct. 1120—1122. (1092—4.) Latonam ap. Hygin. f. 140. 'Jovis jussu ventus Aquilo sublatam ad Neptunum pertulit.' In sequioribus poëtis mira fabulæ varietas; hoc

Digitized by Google

est, sæpe et a multis fabula tractata et pro cujusque ingenio vel argumento ornata et variata. Primum Argonauticorum scriptores, quorum magnus fuit numerus, de Harpyiis narrationem (Orphicorum tamen auctor eam omisit) intexuerunt, et quidem in Phinei historia. Itaque adhuc in Apollon. II, 178 sqq. 232 sq. copiose tractatam videas; necnon in Valer. Fl. IV, 425 sqq. adde Apollod. I, 9, 21 sqq., ubi cf. Not. p. 190 sq. et h. l. Serv. cum Pompon. Sab. Hinc alii poëtæ aliis argumentis, ut h. l. Virgilius Æneidi, eam fabulam inseruere, et ex iis quidam ita, ut injuste factorum ultrices, tanquam Diras ac Furias, exhiberent, ut h. l. 255—7. et apud Apollon. Arg. II, Phineum ulciscuntur; ubi v. 289 sunt *Διὸς κύνες*, ut *Κῆρες* sunt *Ἀΐδαο κύνες* IV, 1665. quo factum, ut confusas passim cum his ipsis videas: etsi Homerus diserte eas distinxerat: Odyss. *τ*, 77. 78. Hoc unum recte traditum in extrema parte notæ Servianæ et in nota Cerdana. Accessit in poëta et hoc, quod mala denuntiant et prædicunt. Nam sic Celæno: 'Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.' Tandem etiam Parcarum et Fatorum loco habitæ sunt. Sic Herodes Atticus in Inscript. in Regillam: vs. 14. *οὕνεκα οἱ παῖδας μὲν ἀμύμονας ἐκ μεγάροιο Ἅρπυιαι Κλωθῶες ἀνηρείψαντο*—sunt *Μοῖραι*. Cf. inf. ad XII, 845. Jecimus fundamenta fabulæ a viris doctis, qui veriora exquirere volent, accuratius dispescendæ et dilucidandæ. Vanis etymologiis implicitam rem nuper vidimus a Martorello super Colon. Euboic. Neapolim deducta p. 49 sqq. Ceterum mireris forte, tam casto, h. e. tam exquisiti circa *τὸ καλὸν καὶ πρέπον* sensus et subtilis judicii poëtæ, fabulam tam parum jucundam potuisse probari. Cum enim non moveat nauseam 'fœdissima ventris Proluvies' et 'contactuque omnia fœdant Immundo' et 'teter odor?' Enimvero talium rerum judicia diversis in populis, diverso ævo, admodum diversa esse solent; quod Homius meminisse debebat, et a Lessingio olim monitum est. Tum, quod majus est, ea, quæ vetustatis auctoritatem habent, in talem censuram vix

Digitized by Google

veniunt. Et habuit Virgilius, quem sequeretur, Apollonium II, 187 sqq. Cf. Exc. XVI ad v. 623 sqq.

Superest, ut *de forma Harpyiarum* dispiciamus, paulo subtilius quam a Montfauc. et aliis factum vidimus. In Homero sunt *Venti θύελλαι*, a quibus in altum raptæ sunt Pandarei filiæ; nihil de forma additur. At ubi equos Harpyia Podarge Zephyro peperit βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο, manifestum est, quod et Apollonius in Lexico Homer. statuit, *formam equinam* ei esse tributam: Iliad. Π, 149. ad quem locum plura videbimus. *Alas* addidit Hesiodus Theog. 267. Electra Thaumanti peperit ἠϋκόμους Ἅρπυιας Ἀελλώ τ' Ὠκυπέτην τε, Αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἵπονται Ὠκείῃς πτερύγεσσι· μεταχθόνιαι γὰρ ἴαλλον. Si ἠϋκόμοι sunt, *pulchris comis*, putes *puellas* fuisse; possunt tamen quoque *pulchris jubis* insignes esse *equæ*. Apud Apollon. in Argon. l. l. II, 188. appositos Argonautis cibos raptant γαμφηλῇσι, quod apud Homerum de *maxillis*, σιαγόσι γένυσι, dictum, de rostris vulgo accipitur; advolant quoque illæ et edunt clangorem, κλαγγήν, vs. 269. tanquam alites rapaces; ut apud Apollodor. I, 9, 21. ubi Argonautica exponit, πτηνοὶ sunt et σὺν βοῇ καθιπτάμεναι. Omnino in Argonauticis fabula de Phineo et Harpyis disertius exposita fuisse videtur. Hactenus Harpyias *animantia alata monstrosa* fuisse existimes. Virgilius addidit plura; sunt ipsi *Harpyiæ volucres, virgineo ore, manus unguibus curvis instructas habent, pedes uncos, vocem diram, pallorem ex fame, corpus invulnerabile.* (216. 'Virginei volucrum vultus—uncæque manus'—226. 'magnis quatiunt clangoribus alas'—'tum vox dira'—233. 'pedibus uncis.') Ad hujus poëtæ ductum cogitandum erit de *alitibus* virgineo ore insignibus. Convenit Schol. Lycophr. 653. σώματα γυπῶν, πρόσωπα κορῶν ἔχουσαι, sed idem miro modo addit, ὦτα ἄρκτων, *aures ursinas* eas habere.

Jam expressas videmus in numis ac gemmis formas *volucrum capite virgineo instructarum:* quas variis modis interpretari solent viri docti, modo Sirenes, modo Stymphalides, modo Harpyias. Posterius hoc cum aliqua probabilitate

Digitized by Google

statui posse videtur: conveniunt enim formæ cum exemplo Virgiliano, nisi quod *uncæ manus* absunt, et quod plerumque galea apposita est capiti: vide saltem Montfauc. Tom. I. pl. 222. vel Beger. Thes. Brand. T. III. p. 371. Propius ad Virgilium expressa est facies in Cod. Vatic. ad Æn. VI, 289 ubi in locis inferis memorantur Harpyiæ; est virgo ibi alata in avem desinens cum manibus uncis. Verum in monumentis hæ absunt. Addita igitur est galea, nescio qua de causa; aut dicendum est, merum phantasma artificum, symbolicum forte, eam speciem esse. Possunt quoque omnia hæc pariter esse vera, si recte ea constitueris.

Scilicet sunt haud pauca Græcorum, inprimis in Odyssea, monstra, quæ ab antiqua aliqua forma symbolica ducta sunt; nonnulla quoque conveniunt cum Ægyptiis hieroglyphis, seu casu, seu quod inde ducta erant, aliis tamen modis tractata et ornata. Ita Harpyias Ægyptiis figuris alitibus cum capite virgineo (quales apud Montfauc. sunt) similes esse haud negem; potuere quoque ex Ægypto ductæ esse. Eadem forma serius superstitionibus amuletorum inserviit, varieque ea occurrit ornata in gemmis. V. Gorii Gemmas astrif. tab. 135. 6. 7. Extat numus Gabalensium apud Patinum in Numismat. Impp. p. 243. in quo Harpyia cum Sphinge efficta symbolicam speciem habet.

Cum ea forma semel instructa esset galea, adjecta fuere alia, ut clypeus, hasta, ita ut tandem Palladis symbola ea referre videretur. Tale signum in denario gentis Valeriæ occurrit, quod, ductu duarum gemmarum (quas tamen pro amuletis, non pro vere græcis habere malim) apud Montfauc. tab. CXXII, 8. 9. ad Palladem revocabat Eckhel Doctrina numor. Tom. V. p. 331. Nec tamen ultra opinationem progredi in his licet.

Sirenum species tam diversa est, ut eam cum Harpyiis confundi mireris. Sunt eæ virgines alatæ, inde a femoribus in volucres desinentes: πτερωτὰ, τὰ κάτω ὀρνίθων ἔχουσαι, ut Schol. Lycophr. 653 et Apollon. IV, 898 ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν, Ἄλλο δὲ παρθενικῆς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι. Tubam fere vel citharam tenent, ut vel apud Montfauc. videas. Exempla

Digitized by Google

extant plurima in numis, in gemmis (v. c. ap. Tassie) et sarcophagis. Nobilis est denarius gentis Petroniæ (v. c. Thesaur. Morell. tab. I, 1. et al. add. Spanhem. Tom. I. p. 251). Inprimis numi Neapolis Parthenopen exhibent. Inter gemmas est Sarda, in qua Ulysses alligatus est malo, astantibus trinis Sirenibus, obvia apud Paciaudum Monim. Pelop. Tom. I. p. 139. Idem argumentum est anaglyphi, quod primus edidit Fabrett. Addend. ad Tabulam Iliacam, pag. extr. Add. Musam Sirenis alis pennas evellentem ap. Winckelmann. Mon. ined. tab. 46.

Tandem *Stymphalides* nequidem in censum hunc referri debebant; sunt enim aves palustres longis rostris, nulla alia re notabiles. V. Apollodor. II, 5, 6. at Pausan. VIII, 22 nugatur dum ex Arabia eas arcessit. Occurrunt illæ in pluribus anaglyphis Herculis et in numo Perinthiorum Gordiani III. in Numism. Albani Tom. II, tab. 70. Add. Pictur. Herculan. Vol. VII, p. 709 Winckelmann. Mon. ined. tab. 65. Gravures de Vases par Tischbein Vol. II, tab. 18.

EXCURSUS VIII.

VATICINIUM DE MENSIS AMBESIS.

III, 255—258 'Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem, Quam vos dira fames nostræque injuria cædis Ambesas subigat malis absumere mensas.' Vaticinium hoc fuit inter veteres Græcos et Romanos celebratissimum, quod jam in Disquis. de inventis a poëta rebus s. v. attigimus; etsi diversum apud alios auctorem habet. Nam Anchisæ jam olim a Venere datum esse, e L. Julio Cæsare et Q. Lutatio tradit Victor O. G. R. 11, unde etiam παλαιὸν θέσπισμα vocat Lycophr. 1250—1252. Æneæ autem sive a Jove Dodonæo (Varro Rer. Div. lib. II ap. Serv. ad III, 256 et alii ap. Dionys. Halic. I, 55) sive a Sibylla Erythræa

Digitized by Google

(v. Dionys. ibid.) prædictam rem, narraverant alii. Poëtæ inventum esse videtur, quod Harpyiarum uni oraculum illud tribuit. Exitum sortis datæ v. lib. VII, 107 sqq., ubi v. Excurs. II.

Ceterum summa ista vaticinii celebritas movisse videtur poëtam, ut fabulam amplecteretur, per se ineptam et epici carminis majestate indignam, quippe quæ ex vocabulorum usu pendet; saltem illud ad poëtam excusandum valere debet. Nam, ut narrationem suam faciat probabilem ac verisimilem, quoniam in rebus absurdis delectationis fructus intercipitur, poëtæ epici prima cura est. Itaque in laude ipsi ducendum, si fabulas priscas popularium suorum vel veterum poëtarum tam commode argumento suo intexere et ita accommodare noverit, ut, dum eodem quasi stamine tota tela detexta est, videantur parem fidem habere et illa quæ ipse nova erat commentus. Cum autem in illarum fabularum natura ac ratione nihil mutare possit, nisi sibi ipsi fidem velit detrahere, ferendum est id, quod minus incommodum est, ut interdum in tali fabula insit aliquid, quod judicii subtilitatem non ferat; inprimis cum multa alia plerumque adsint, quæ hoc fabularum vitium elevent. Nam vetustatis sanctitate consecrata quodammodo earum est auctoritas, inprimis si cum religione aliqua conjunctæ sunt, multo magis in oraculis ac vaticiniis, ut de levitate earum vel monstrosa natura cogitare ne audeamus quidem. Cum porro etiam doctiores multa lectione a prima ætate istis fabulis assueverint, narrationis suavitate ducti ac deliniti non facile in animum inducunt, ut subtili judicio uti velint. Hæc et talia obversata videatur poëtæ animo, cum similes fabulas in suam Æneidem reciperet, etiam inf. IX, 79 sqq. de navibus in Nymphas conversis. Saltem ea judicium nostrum a temeritate revocare debent, etsi id interdum recte se habere potest, si ad nostra tempora nostrosque sensus rem referimus, aut si illas fabulas, quod verum tamen non est, a poëta inventas et excogitatas ponimus. A fabularum antiquarum auctoritate excusationem poëtæ jam Voltarius

Digitized by Google

petiit De Poësi epica adversus eos qui poëtam reprehenderant.

EXCURSUS IX.

DE CLYPEO ABANTIS.

III, 286 'clypeum, magni gestamen Abantis.' Quis Abas ille sit, cujus gestamen, φόρημα, clypeus erat, inter interpretes non constat, et per se parum refert scire, nisi de invento ac doctrina poëtæ etiam in hoc quæras; quæ utique honesta est quæstio. Serviana commenta parum se probant. Abas ille, qui unus e sociis fuit (sup. I, 125), huc vocari nequit; nam de spoliis, quæ *uni ex Achivis cæsis detraxerat* Æneas, nunc agitur. Apud Homerum tamen nullus hoc nomine inter Achivos occurrit. Itaque e poëtis cyclicis duxisse videri potest poëta. Equidem olim sic statuebam: quandoquidem ab Homero Abantum ex Eubœa virtus celebratur, Iliad. *B*, 536 sqq., quorum Abas, Neptuni filius, conditor fuit, reconditam aliquam narrationem in animo habuisse videri Virgilium. Nam illi ipsi Abantes a Troja reduces ad Epiri littora tempestate delati circa Ceraunios montes consederant. Vid. Pausan. V, 22, unde Apollon. IV, 1214 *Κεραύνια Ἀβάντων Οὔρεα*. Satis itaque animose sub illorum quasi oculis tropæum de Abantibus statuit, fixo clypeo, forte Abantis, in pugna alicui ex Abantum ducibus cæsis inter reliqua spolia erepto. Apud Valer. Fl. 453 inter Argonautas Canthus ex Eubœa Abantis avi sui clypeum gestat. Suppetit alia, nescio an probabilior, ratio: Abas fuit ex antiquis Argivorum regibus, Lynceï f. ipse pater Acrisii et Proeti, qui armis inter se certantes clypeum, Argolicum saltem, invenerunt: v. Apollod. II, 2, 1, et ibi Not. p. 276. 277. Jam poëta aut acceperat hoc

Digitized by Google

traditum, aut fingere tacite potuit, fuisse unum ex Argivis principibus, qui ab Abante ad se hereditate transmissum clypeum gestaret: quem a se cæsum Æneas spoliaverit. Abantis autem clypeus aliam habebat famam ex eo, quod ille a Lynceo Abanti donatus occasionem dederat ludis in urbe Argorum instituendis (in Junonis quidem honorem, τὰ Ἡραῖα, in quibus victor eo honore afficiebatur, ut clypeum in Junonis templo affixum tolleret et in pompa duceret, mox prisco loco reponendum. Unde nota ap. Zenob. et al. ἡ ἐν Ἄργει ἀσπίς. V. inpr. Spanh. ad Callim. in P. L. 35). Fabulam narrat Hygin. f. 170, ubi v. Muncker., unde etiam Serviana lucem fœnerantur. Alludit Ovid. Met. XV, 164. ubi Pythagoras agnovit clypeum Euphorbi 'Abanteis templo Junonis in Argis.' In clypei autem dedicatione Holdsworthus dedicatas ab Augusto post pugnam Actiacam X naves a poëta respici putabat. Veriorem rationem dedissa mihi videor supra Excurs. I ad h. lib. p. 4140.

EXCURSUS X.

HELENI ET ANDROMACHÆ OCCURSUS IN EPIRO.

III, 294 sqq. 'Hic incredibilis rerum fama occupat aures' etc. Commentatur in h. l. auctor de Augusti progenie c. 12. Poëtæ artem ex hoc æstima. Antiqua erat fabula *de Æneæ ad Epiri littora appulsu*. V. Excurs. de Æneæ Error., qui primus est ad h. lib. Erat porro narratio in Νόστοις, et multo magis in tragœdiis, etiam in lyrico, Pind. Nem. IV, 82. VII, 50, ubi v. Schol., celebrata (relicto Homero, secundum quem Pyrrhus inter eos erat, qui incolumes in patriam redierant, Odyss. Γ, 188. 189) de Pyrrhi, Achillis f., regno in Epiro constituto, quam ipsi historici frequentarunt, v. Paus. I, 11. II, 23. Justin. XVII, 3. cf. de Nicolay diss. in Mem. de l'Acad. des Inscr. Tom. XVIII, p. 529 sqq., etsi Molossi

Digitized by Google

Epiri ad se traduxisse videntur, quæ Molossis Thessaliæ debebantur. Cf. Dictys VI, 7—9, quem locum ex veteri poëta descriptum esse apparet; adde c. 12 ex Euripidis Andromacha excerptum: v. Excurs. XII. Alia erat narratio *de Andromacha Pyrrho ducta*, et de superinducta Hermione, Pyrrhoque ab Oreste cæso; de quibus inprimis v. Euripidis Andromache. Ovid. Epist. VIII. Tandem *de Heleni in Epirum adventu*, sive in captivitatem a Pyrrho abducti (quod poëta sequitur inf. 329 *famulo—Heleno*; adde Polygnoti tabulam ap. Pausan. X, 25; p. 860, et Tabulam Iliacam et Fabrett. p. 378), sive classe advecti (cf. Steph. Byzant. et Etymol. M. in *Βουθρωτὸς*), alia passim in poëtis erant memorata: Pausan. I, 11. II, 23. De Heleno enim fabulam varie condiderunt poëtæ. Cf. inter alia Sophocl. Philoct. 613 sqq. 1375 sqq. Conon 34. Ovid. Met. VIII, 99, et 335. 336. Adde Quint. Cal. X, 346 sqq. Dictyn IV, 18. V, 9. Multa ex his transcribi possent, nisi brevitatis studium me revocaret. Omnium fundus fuit Leschei Ilias parva, quantum ex Procli fragm. intelligo. Ibi sub extrema belli tempora Helenus ab Achivis captus vaticinatur Trojam capi non posse nisi arcessitis Herculis sagittis, quas Philoctetes servabat. In Carmine autem Cyprio ap. Proclum Helenus suscepta a Paride navigatione *περὶ τῶν μελλόντων προθεσπίζει*. In eo omnes conveniunt, ut Helenus prudentia et vaticinandi arte clarum nomen habeat: *οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος* Iliad. Z, 76. Cf. hoc libro 359 sq. 433 s. Vide laudd. ap. Jo. Schrader. Emendatt. præf. p. XI sq., ubi in Orphicis de Lapid. XI, 50 eum in Palamedis locum, jam ante Tyrwhittum, sagaciter restituit. Virgilius his commode (etsi adversus temporis rationem, nam anno demum nono a Troja eversa Hermione nubit Pyrrho Odyss Δ pr., sed v. inf. ad 613 sqq.) usus est ad episodium suavissimum, cui inprimis, nescio quid ad affectum faciens, eo conciliat quod in ipso escensu Æneæ *Andromachen Hectori inferias facientem* inducit. 302—305. 'Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam, Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem, Et geminas, cau-

Digitized by Google

sam lacrymis, sacraverat aras.' Monendum adhuc est de Hectoris tumulo ab Andromache adumbrato: 'Hectoreum ad tumulum.' Cenotaphium fuit. Verus Hectoris tumulus Trojæ fuerat: ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν, Iliad. Ω, 799. Extra urbem fuisse, ex imitatione Andromachæ apud Virgilium intelligitur; idque declaratum disertius a Dicty IV, 1. 'Interea sepelivere eum haud longe a tumulo Ili regis quondam:' quem ante urbem ad viam versus littus fuisse satis constat, etsi locus verus nondum est repertus. Tzetza Homeric. 486. Ἐκτὸς τείχους καὶ πόλιος μέγα σῶμα κήαντες Ἐς κάπετον κατέθεντο τιλώριον Ἕκτορα δῖον. In Tabula Iliaca monumentum est Hectoris effictum, sed lapidibus exstructum, neque extemporaneo simile. Mireris in eo signum leonis impositum, tanquam virtutis symbolum, quod etiam in gemma Musei Flor. (Vol. II, tab. 32) occurrere memini, pugna Achillis cum Penthesilea ad monumentum, forte Ili, facta. Videtur ipse Tzetza innuere 489. Καλὰ δὲ λαῖνεα ποτὶ τύμβον ἀγάλματα θῆκαν. Saxeum opus ipse Homerus prodit Ω, 798. ubi cinerem et ossa Hectoris condunt in urna; hanc in humum demittunt: ἐς κοίλην κάπετον θέσαν, αὐτὰρ ὕπερθε Πυκνοῖσι λάεσσι κατεστόρεσαν μεγάλοισι, Ῥίμφα δὲ σῆμ' ἔχεαν—χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον. Ceterum in Epiri littore talem locorum speciem, qualis ad Ilium erat, animadvertere sibi visus erat Lechevalerius p. 184 de Troade. Notum est, quemadmodum in tragœdia simili modo Choëphoræ fuerint exhibitæ cum ab Æschylo, tum Chrysothemis Electræ soror a Sophocle. Etiam Andromachæ mirus in Ascanium affectus, ex Astyanactis scilicet recordatione, porro adumbrata in nova colonia vetus Troja, Heleni tandem vatis responsa, hæc omnia magnam vim ad animum habent suaviter afficiendum. Ceterum ad nostrorum hominum sensus et mores fabulam hanc traductam esse a Racinio, cujus Andromacha extat, vix monere necesse est.

Digitized by Google

EXCURSUS XI.

POLYXENÆ IMMOLATIO.

III, 321—324 'O felix una ante alias Priameia virgo, Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos, Nec victoris heri tetigit captiva cubile!' Fundus sententiæ in Eurip. Troad. 626 sqq. Felix utique poëta in ejus exornatione. Sæpe eam tragici cum gravitate et miseratione adhibuere; nimis luxuriante Seneca in Troad. 143—163 'Non est Priami miseranda mei mors, Iliades' etc., ubi ad v. 148 etiam ex oratoribus exempla laudat Gronov. Ceterum varietas et in hujus fabulæ tractatione est. Achilles Polyxenæ amore captus in insidias inciderat: umbra ejus amatam puellam sibi postulat debitam prædæ partem. At Polyxena Achillis amore flagrans ad ejus tumulum manus sibi infert apud Tzetz. Posthom. 498 sq. ubi cf. Jacobs. Laudat Tzetza auctorem *Flavium* 503. Est is Flavius Philostratus, vana commenta pro fabulis antiquis apponere solitus. Mactata est Polyxena ante Ilium ad Achillis tumulum in Sigeo: quod Virgilius quoque sequitur. Contra, cum Euripide in Hecuba, alii in Thracia demum Polyxenam immolari faciunt, quos sequitur Ovidius Met. XIII, 442 sqq. De sortitione, κλήρώσει, hac captivarum ducibus Græcis in prædæ parte assignandarum loc. class. Eurip. Troad. 235 sqq. Cf. Quint. Cal. XIV, 382 sqq. et Tabula Iliaca n. III sqq. et Fabrett. p. 378, add. Polygnoti tabulam in Pausan. X, 25. 26, cf. sup. ad II, 766.

EXCURSUS XII.

NEOPTOLEMI CÆDES.

III, 327 sqq. 'Nos, patria incensa, diversa per æquora vectæ—Ast illum—Orestes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.' Primum de hoc monebo: Andromache

Digitized by Google

secuta erat tanquam captiva Neoptolemum seu Pyrrhum: cujus errores varie traditi sunt, a plerisque ita, ut maritimi essent; ab aliis terrestri itinere: hoc alterum secutus erat auctor *Νόστων* secundum Proclum: *Νεοπτόλεμος δὲ, Θέτιδος ὑποθεμένης, πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν, καὶ παραγινόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν τῇ Μαρωνείᾳ, καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ, καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει· αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ.* Noster poëta Tragicos cum Pindaro N. 7, 53 sq. secutus mari rediisse Pyrrhum significat. Porro: 'qui deinde, secutus Ledæam Hermionen Lacedæmoniosque hymenæos, Me famulo famulamque Heleno transmisit habendam:' cf. Excurs. antec. x. 'Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore Conjugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.' Poëta rem ita tradit, ut Pyrrhus Hermiones amore captus fastiditam Andromachen Heleno nuptum dederit, utque postea Pyrrhum Orestes, cui eadem Hermione, Helenæ *Lacænæ* filia *Ledæque* adeo *neptis*, jam olim promissa fuerat (nota res vel ex Ovidii Epist. VIII), interemerit; quo facto pars Epiri, Chaonia, Heleno regnanda fuit tradita. V. Eurip. in Andromache et in Oreste. Alii aliter; nam varie res a poëtis tractata. V. Pind. Nem. 7, 50 et ibi Schol. Cf. Serv. sup. ad v. 297. De Hermiones et Pyrrhi nuptiis fundus est ap. Homer. Odyss. *Δ*, 5 sqq. Sed occiditur Pyrrhus *patrias ad aras*. Varie jam olim interpretes acceperunt; v. Serv. et Pompon. Sab. Si ex usu loquendi res dijudicanda; simplicissima ratio est, ut reversum in patriam Pyrrhum, rem sacram facientem, ante aram Orestes occiderit. Phthiæ igitur factum id poëta ponit, in quo hactenus Euripidem Androm. 1243 sqq. sequitur, ut post cædem Pyrrhi Andromache cum Heleno in Epirum dimissa fuerit. Eo etiam ducere videntur vv. 333. 334 *Morte Neoptolemi*—. Vulgaris tamen narratio Delphis occisum Pyrrhum tradit; hanc si adoptare necesse sit, sequar illam rationem, quæ inter alias in Servianis allatas occurrit, ut Delphis aram patri constituerit Pyrrhus, ad quam sacra faceret: neque id sine exemplo factum, ex Pausania, ubi de Delphis agit, de-

Digitized by Google

clarari facile possit; uti postea Pyrrhus ipse fuit inter heroës Delphis sacello celebratos, quod e Pindaro constat. Nam, *aras patrias* pro ara Apollinis πατρῴου dici, durum esset. Sed forte poëta in toto hoc loco poëtam aliquem antiquum ante oculos habuit, qui nunc intercidit; et varie hoc argumentum fuisse tractatum, ex Euripidis *Oreste* et *Andromacha*, quam Ennius in *Andromacha* latine verterat, alia fuit *Andromache in Molossis*, porro ex Pindari, Strabonis, Pausaniæ aliorumque locis apparet. Polygnoti tabulæ in Lesche Delphica ap. Pausan. x, 25. 26. an ad Neoptolemi memoriam recolendam spectarint, ex ipso earum argumento assequi difficile est. Quod autem *ad aram* occisus est Neoptolemus, in religionem versum est, ut evenisse id videretur ad ulciscendam Priami cædem a Neoptolemo ante aram Jovis Herœi factam. Cf. Tryphiod. 638 sq.

EXCURSUS XIII.

DE COGNATIONE INTER EPIROTAS ET ROMANOS.

III, 500—505. Æneas, ubi in Italia sedes certas nactus fuerit: 'Cognatas,' inquit, 'urbes olim, populosque propinquos, Epiro, Hesperia, (quibus idem Dardanus auctor, Atque idem casus) unam faciemus utramque.' Ingeniose hæc poëta e suis temporibus intulit. Nam ad *Nicopolin* ab Augusto conditam respici, dubitari nequit. Servius: '*Cognatas* vero *urbes* quidam in honorem Augusti dictum accipiunt; is enim cum in Epiro Nicopolin conderet, cavit in fœdere civitatis ipsius, ut cognati observarentur a Romanis.' Certe *liberam civitatem* esse jussit, v. Plin. IV, 3, plerasque Acarnaniæ urbes in eam contraxit aut ei accensuit. V. Strab. X, p. 450 C. VII, p. 325 D. Paus. V, 23. VII, 18, p. 569. Dio Cass. LI pr. Omnino in his oris multi cives Romani videntur consedisse, navigationis et negotiorum causa.

Digitized by Google

Buthrotum ipsum Romanorum colonia facta est, v. Plin. IV, 1. Atque intra hæc subsistendum. Nam aliis temporibus Romani summam in Epirotas crudelitatem exercuerunt; ut notum vel ex Livio XLV, 34. Alii, quibus Nannius VII Miscell. c. 12 præivit, locum Dionysii Halic. huc trahunt ex lib. I, 51 (41), ubi Trojanis ab Epiro solventibus comites se ac viæ duces adjunxisse narrat nonnullos ex incolis; 'Romani,' inquit, 'cognationis et beneficii memores Acarnanibus' (qui saltem Epirotis vicini sunt) 'Leucadem et Anactorium Corinthiis ademtum addixerunt, atque Œniadas in pristinam sedem reducere permiserunt, ex Echinadibus autem insulis vectigalia cum Ætolis communia habere jusserunt.' Hæc Dionysius. Graviores causas alias hujus liberalitatis Romanis fuisse, facile intelligitur. Facta scilicet illa, quæ enarrat, partim bello cum Ætolis confecto, partim bello Achaico profligato, partim etiam ducta ab Augusto Actium colonia et Nicopoli condita. *Leucas* quidem Ætolis ademta a Romanis, hinc Acarnanibus restituta, paulo post Acarnanum concilio eximitur ap. Liv. XLV, 31. *Anactorium* vero colonia fuit Corinthiorum (v. Steph. Byz. h. v. et Strabo X, p. 452); iis itaque ademtum a Romanis, Dionysius narrat. Iidem Corinthii Leucadem tenuerant (v. Strabo p. ead. B.) cum toto hoc Acarnaniæ tractu littorali, etiam Ambraciam, de qua vide mythum antiquioris ævi ap. Antonin. Liber. c. 4. Schol. Apollon. IV, 1212 et 1216. Œniadæ tandem Acarnanum, captæ a Lævino et Ætolis contributæ, (v. Liv. XXVI, 24) mox pace cum Ætolis victis facta Acarnanibus sunt restitutæ; v. Liv. XXXVIII, 11; quo facto forte iterum veteres incolæ fuere reducti. Inter hæc tamen omnia ad ea, quæ Augustus fecit, maxime respexisse videri debet poëta.

Digitized by Google

EXCURSUS XIV.

DE HERCULEO TARENTO.

III, 551 'Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti Cernitur.' Quæ de Tarante heroë et Phalantho, Parthenia-rum ductore (v. Strab. VI, p. 278 sqq. cf. sup. ad IV Georg. 125), Servius et alii hic memorant, aliena sunt. Nam Taras, Tarenti conditor, notissimus ille vel e Tarentinorum numis (v. Eckhel post Golzium, Magnan, Pellerinum 'Suppl. IV au Recueil des Medailles ad pl. II, 10), Neptuni fuit filius, nihilque habet commune cum Hercule. Phalanthus autem, quem Servius octavum ab Hercule facit, ultra trecentos annos post Trojana tempora vixit. Vide vel Simson. Chronic. Neque per prolepsin loqui poëtam admodum velim, quod Mazochius amplexus est de Tabb. Heracleens. Prodr. c. 4, ubi multis de Tarento vetere agit. Nam Jo. Juvenis, qui de Antiqu. et var. fortuna Tarent. scripsit, nihil de suo attulit. Ceteris Grammaticorum apud Servium nugis præferendum hoc, quod Pompon. Sab. habet: 'Tarentum sub Herculis tutela fuit; in ea servabatur Herculis ænea imago a Lysippo facta, quam Fabius Max. secundo bello Punico victor in Capitolium transtulit' (v. Plin. XXXIV, 7, s. 18). Sed Pomponius e Strabone sumsit lib. VI, p. 378 B, unde tamen posterius tantum firmatur: at prius illud, quod Tarentum sub Herculis tutela fuit, etsi id ex eo probabile facere possis, quod ducta postmodum eo ex Lacedæmone colonia Herculem, utpote Heraclidarum suorum auctorem, inprimis religiose colere debuit; et reperiuntur numi Tarentinorum cum Herculis capite, et cum Hercule clavigero leonem suffocante; (v. nunc Eckhel. Doctrina Numor. vet. Tom. I. P. I. p. 147.) tamen de eo poëta cogitare non potuit, quoniam addit: 'si vera est fama.' De fabula vetere agi itaque necesse est. Erythræus in Indice Virg., Junius I Animadverss. 9, et, qui iis præivit, Parrhasius in docto Comment. ad Claudian. ex Aristotele de mirab. Auscult. locum afferunt,

Digitized by Google

quo probent, ab Hercule aliquando captum vel insessum Tarentum; quin poëtam verba, 'si fama est vera,' hoc propter ipsum adjecisse, ut Aristotelis fide non plane se stare ostenderet; id quod plane insolens videtur. Neque in Aristoteleo loco (v. T. II ed. du Val. p. 729) ullum eorum, quæ inde ducunt, est vestigium. Male etiam locum interpretantur, de quo docte egit Mazoch. ad Tabb. Heracl. p. 72 sqq. Ex Pausan. X, 10, qui, quæ alii de Myscelo tradiderant, ad Phalanthum transfert, apparet, narrationes de Tarenti et Crotonis originibus fuisse inter se permutatas a nonnullis. Fac Virgilium in talem scriptorem incidisse; ita Herculi debita origo Crotonis traducta ad Tarentum. Sane tota hæc Italiæ ora, ut passim aliæ Italiæ partes, fabulosa Herculis monumenta ostendebat: vid., præter Serv. ad v. 552, Diodorum IV, 20. 21 sqq. Strab. VI, p. 281 c. Ovid. Met. XV, 9 sqq. cf. Dionys. Halic. I, 39—44. Et erat in extrema Italia Herculis Portus, promontorium Herculeum; erat etiam Heraclea urbs, de qua Mazochius copiose egit, quanquam ea ab initio Ἡρακλεῖον dicta (Schol. Lycophr. ad v. 978) templo potius Herculis, quod ibi fuit, nomen debuisse videtur. Igitur manet hoc, antiquam aliquam fabulam, quæ nunc nota non est, de Tarenti originibus Herculi ascriptis poëtæ h. l. in animo fuisse.

EXCURSUS XV.

DE ÆTNA.

III, 571—577 'sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis' etc. In hunc de Ætna locum comparatum cum loco Pindarico (Pyth. I, in pr. Epodo) jam apud Gell XVII, 10 gravem censuram exercuit Favorinus philosophus, sed ut philosophum magis quam criticum poëtica elegantia imbutum agnoscas. Nam neque Pindarum exprimere, multo minus ad

Digitized by Google

verbum transferre, voluit aut debuit Virgilius, neque lyrico et epico poëtæ idem rerum verborumque dilectus esse potest. Refutarunt Gellium a Macrobio exscriptum v Sat. 17 multi (v. ad Gell. et ad h. l. Virgilii), inter quos Jos. Scaliger Poët. v, 4 inprimis et Cerda, quos vide; sed cupide magis, sæpe inaniter et frigide, quam ad epicæ poëseos naturam et poëtæ consilium, qui congerere in unum voluit omnia, quæ nobis de Trojanis rei locique ignaris in Ætnæ vicinia noctem exigentibus solicitudinem facere possint. Etsi illud mihi quidem satis apparere videtur, poëtam plus in verborum ornatu laborasse quam in physica subtilitate. Ita miscet plura, ad diversa rerum momenta et vices spectantia vss. 572. 3. 4. Saltem ultimum versum redundare sentio. Quamobrem mireris forte, Senecæ visum esse Virgilium 'argumentum hoc implevisse' Epist. LXXIX. Ceterum Virgilius historiæ fidem insuper habuit; recte tamen ut poëta; nam belli Trojani et ipsius Homeri tempore Ætna nondum intestinis incendiis sæviisse videtur; saltem ille a satis multo tempore cessasse videri debet; (erant forte *antra Cyclopum* antiquioris incendii argumenta: de quibus cf. D'Orville Sicilia T. I, p. 247); alioqui Homerus hoc naturæ portento, ad poëticum ornatum tam accommodato, haud dubie esset usus; id quod primo loco Pindarus fecit Pyth. I, cujus ætate Ol. LXXV, 4 (paucis annis ante victoriam Hieronis Pythicam) alterum Ætnæ incendium contigerat; tertium L annis post, Ol. LXXXVIII, 2. V. Thucyd. III, 5. At primum incendium (ab eo sc. tempore, quo Græci in insulam immigraverant) temporis nota destituitur. Cf. de his docte disputantem Wernsdorf. Tom. IV, P. M. p. 378. In Argonauticis expectabam Ætnæ mentionem. Planctæ ad Vulcanias insulas alludere forte possunt. In uno auctore Orphicorum Argonautic. v. 1249 memoratur flamma Ætnæa Enceladi. In ceteris sane auctor ille diligenter servavit locorum naturas et notationes e prisci ævi ignoratione et errore. Proximum ad Virgilii ætatem incendium Ætnæum fuit U. C. 718 apud Appian. B. C. V, c. 117.

Digitized by Google

EXCURSUS XVI.

FŒDA AD SENSUM A POETA NARRATA.

III, 623 sqq. 'Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro—Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.' Hæc et quæ inf. 632 leguntur, 'jacuitque per antrum Immensus, saniem eructans ac frusta cruento Per somnum commixta mero,' post alios Homio, Viro Ill., sunt reprehensione digna visa, quod non modo horrorem sed et nauseam fœditate sua et aversationem facerent. Faciunt utique nostro sensu; nec essent ea, si nostro ævo scriberentur, sano judicio probanda; sed faciunt simul horrorem; et hominum belli cædibus rapinisque assuetorum sensus potuit esse obtusior, stomachusque minus fastidiens. Nam, quod hæc inter convivium, coram fœmina regina, narrantur, id poëta nos ab initio statim animo retinere noluit, et totam narrationem ad sui carminis lectores magis quam ad Didonis et Pœnorum auditionem attemperavit. Sed omnino in fabulis antiquis tam laute ac superbe poëtæ nec versantur nec versari iis necesse est, nec nobis legentibus magis licet philosophica aliqua subtilitate uti; alioqui frigeret tota de Polyphemo, et quot non Homericæ Virgilianæque fabulæ! In Polyphemi forma ac robore, verbi causa, sunt multa, quæ sibi repugnant, multa absurda, si subtilius judicium adhibeas; sed phantasiæ sensusque voluptati ista scripta, non philosophico acumini. Cf. sup. ad v. 250—252. Homerus multo atrocius spectaculum, et carnificinam verius, exhibuerat; sed alios homines, aliud sæculum, quod respiceret, habebat. Ovidius ab omni atrocitate alienissimus non tamen horrendum hoc Polyphemi spectaculum Metamorphoseon lib. XIV iterum exhibere dubitavit. Euripides autem in Cyclope Satyrici dramatis natura tueri se potest. Vide v. 380 sqq. Sane Theocriteus Cyclops paulo humaniore cultu exhibetur Idyll. XI.

Digitized by Google

EXCURSUS XVII.

ANCHISÆ OBITUS.

III, 709 'Hic—genitorem, omnis curæ casusque levamen, Amitto Anchisen.' Anchisæ obitum non ad historiæ magis fidem quam, quod commodum esset, ante Æneæ ad Didonem adventum commemorat. Quas enim Anchisæ partes satis decore inter Æneam et Didonem tribuere potuisset? Anchisæ sepulcrale monumentum etiamnum juxta Drepanum ostenditur, sed v. Dorvill. p. 49 et inf. lib. v, 75 sqq. Mortem ejus veteres scriptores tam diverse tradiderant, ut nihil magis. Tumulum ejus in Ida pastores et agrestes quotannis coronasse traditum narrat Eustath. ad Iliad. *M*, p. 894, 33. In Pallene Theon, in Sinu Thermaico Conon (v. sup. Excurs. I ad pr. v.), in Arcadia Arcades (ibid.) sepultum esse contendebant. Pausanias VIII, 12 Arcadum narrationi subjungit, constare saltem hoc, 'quod Æolenses, qui tum Ilium incolebant, nullum Anchisæ tumulum ostendebant;' ut adeo, extra patriam certe eum obiisse, inde probabile fieret. Verum omnino veteres scriptores monumentis his, fanis, tumulis ac sepulcris, fidem historicam tribuerunt incautius: cum, ubicumque herois σῆμα aliquod extaret, ibidem, vulgarem famam secuti, eum sepultum esse contenderent; enimvero, nisi aliunde ea de re constaret, in memoriam herois vel viri clari factum esse illud potuit, nec tamen corpus ejus conditum tegere. In Italiam Anchisen adduxerant alii, et ipse Cato, ut Serv. ad Æn. I, 574 et alibi. Victor de Orig. G. R. c. 10 et ibi Arntzen. cum Muncker. ad Hygin. f. 260. Meziriac. ad Ovid. Heroid. Tom. II, p. 221, qui plura dabunt. Nos, ut sæpe diximus, non, ut vanam eruditionem ostentemus, nec ut, quid veri insit, nunc disquiramus, sed ea de causa hæc commemoramus, ut, quam felicem, facilem, ac copiosam materiam poëta tractandam sibi sumserit, appareat.

Digitized by Google

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. IV.

DE DIDONE EJUSQUE AMORIBUS ET ÆTATE.

Cum, si historicam fidem sequaris, Didonis ætas plus quam ccc annis a Trojæ excidio Æneæque erroribus abfuisse vulgo narretur (quod jam a Servio observatum videas ad v. 459.); modo in accusando modo in excusando poëta, qui Didonis amoribus Æneam implicuit, multi docti viri passim operam suam posuerunt. Sed hanc disputationem antequam attingamus, alia, eaque nostro quidem judicio gravior, quæstio est expedienda, quam intactam fere relinqui videas, quid tandem poëtam ad hanc cogitationem ac consilium adduxisse videri possit, ut Didonis amores in carmen suum inferret? casune an ratione an exemplo hoc potissimum episodio usus sit, cum alia forte cum temporum ratione magis consentanea ad manum essent?

Jam quid poëta in tota hac ratione secutus sit, dum Æneam ad Africæ littus tempestate atrocissima actum admovit, et supra est expositum, et iis, qui Odysseam animo tenent, obscurum esse nequit. Cum enim Ulyssis errores cum ex aliis periculis ac casibus tum ex naufragio maxime et ejectione Ulyssis in ignotam terram, multum habere suavitatis variarique narrationem videret, cum is alia loca tantum attigisse, aliis aliquamdiu immoratus esse diceretur; nisi jejunam et parum suavem suam vellet esse narrationem de Æneæ navigatione, hoc idem sibi vidit esse sequendum, ut Æneam ventis ac procellis a cursu dejectum in remotam terram, de qua nova ac mira quædam narrari possent, expelleret. Cum autem in Mari Mediterraneo, a Troade versus Italiam, navigatio fieret, si omnes animo littorales plagas percenseas, nulla facile opportunior terra cogitari potest, quam, qua usus est poëta, Carthaginiensis. Jam primum quod Australe potissimum littus adire tempestas coëgit

Digitized by Google

Æneam, factum partim poëtarum exemplo partim ventorum natura. Nam in maris hujus plagis Austrinis, infra Cycladas saltem ac Cretam, gravissimæ ab Aquilone vento excitantur tempestates, durantque certo anni tempore flatus ejus continui per plures dies, ob hoc ipsum dicti etesiæ. Videntur hi iidem fuisse, qui Menelaum XX dies ad Pharum retinebant Odyss. Δ, 360. His ventis quis miretur eos, qui a Troade Græciam vel Italiam peterent, versus Africæ littora propelli! Itaque Græcos a Troja reduces, cum Maleas circumvecti tempestate a cursu dejecti essent, omnes fere ad has partes actos esse videas. Menelaus quidem Ægyptum adiit, l. c. et Odyss. Γ, 300; Paris et hanc et Phœnicen, Ulysses Lotophagorum insulam in Libyæ littore, Meningem, v. Odyss. I, 80 sqq. Apud Apollonium etiam Argo ex Ionio Mari versus Africæ littora proripitur. Si itaque Virgilius ventorum naturas, poëtarum exemplum ceterasque rationes sequi volebat, ad Africæ littus classis Trojana erat deferenda. Cum vero reliquæ passim partes, Ægyptus ac Libya, essent ab Homero et Apollonio occupatæ, feliciter poëta in Carthaginiensem oram incidit. Quæ enim opportunior terra commemorari poterat, quam Carthago, cum Romanis suis Æneidem scriberet, quibus jucundissimum auditu esse debuit, si belli gravissimi, quo primum populus Rom. aditum ac viam ad terrarum imperium sibi paraverat, semina ac causas in ipsis olim Æneæ fatis ac casibus jacta esse videret.

Ut autem Didonis potissimum amore uteretur, cum Calypsus vel Circes aut Medeæ amores exempli auctoritate adducere poëtam poterant, tum fœminæ hujus claritas ac fama, tum ipsa rei ratio ac necessitas. Quodsi enim semel appulsum Trojanorum ad Carthaginiense littus præferendum esse videbat, in tam antiqua de Æneæ erroribus historia, quæ Carthaginis incunabula antevertebat, quid de hac urbe aliud memorari poterat, quam ipsa ejus primordia? Quam opportunum autem ad poëticam tractationem vel in epico carmine argumentum esset amor, Apollonii exemplo intelligere poterat, qui hunc quidem locum in Medeæ et Ja-

Digitized by Google

sonis amoribus egregie tractasse videri debet. Sed Virgilius et illum et ipsum Homerum longe post se reliquisse dicendus; quod quidem, si recte judico, duobus potissimum modis assecutus est, partim *quod Tragicorum gravitatem et amoris atrocitatem sequi*, partim *quod ab heroici moris simplicitate ad elaboratiorem ac cultiorem vitam deflectere maluit*, qua decoris et honestatis alicujus exquisitioris famæque laudem propositam sibi habent fœminæ. In toto enim Homero et ex Homerici temporis sensu amor parum idoneus est ad pathos inferendum.

Quæ a nobis commemorata si quis animo consideret, nae is, puto, Segræsii aliorumque rationes ad poëtam, tanquam qui tempora confuderit turbaritque, defendendum allatas, vanas fere aut infirmas, non magnopere desiderabit. Delectationis sane potior habenda est poëtæ ratio quam historicæ veritatis; et, si doctrinæ laus poëtam decet, non tamen illa ex temporum subtili ratione est expectanda, nec in poëta ullum peccatum habet reprehensionem, nisi quoties audientium animos seu rerum seu numerorum illecebris tenere nequiit: hoc unum est, quo adversus præscripta artis suæ peccasse videri debet; ad hoc enim redeunt ea, quæ Aristoteles de Poëtica disputat c. 25 distinguendo inter ἁμαρτίας, τὴν μὲν καθ' αὑτὴν, τὴν δὲ κατὰ τὸ συμβεβηκός.

Si tamen in ipsas Carthaginis origines variasque super iis veterum narrationes accuratius inquirere voluissent viri docti, totum hoc poëtæ peccatum et accusatione et defensione vacare omninoque esse nullum facile intellexissent. Tam diverse enim de condita Carthagine traditur et in tam diversa tempora ejus incunabula rejiciuntur, ut vel historico minus subtili liberum fuisset eligere, quod maxime sequi vellet. Quanquam ea narrationis varietas facile ad certam rationem revocari potest, si memineris condi urbes dici non uno sensu, nec modo primis jactis fundamentis, sed et mœnibus ductis, colonia nova ascripta, aucta denique et amplificata quocumque modo civitate. Certis etiam temporum intervallis a Phœnicibus Africam occupatam, a Sallustio quoque proditum, bello Jug. 22. Sæpius itaque haud

Digitized by Google

dubie condita est Carthago, et possunt varie traditæ ejus origines commode ad certas epochas revocari. Jam *primum* L ante Trojam captam annis Carthago condita esse dicitur a *Tzoro* et *Carchedone*, apud Appian. Punic. pr., quod idem ex Philisto repetit Hieronymus in Eusebio latine facto ad Num. 805 in ed. Scalig. p. 91 et ad Num. 798 in ed. Pontani et Vallars., h. e. ante Chr. 1198 (ad Euseb. computum 1217) et ante Trojæ excidium, ex eadem Euseb. computatione, a. 37. Græca Eusebii servata sunt a Syncello p. 172 ed. Par., unde Scaliger transtulit in Græca Eusebii p. 33 I. 31. Adde Chronicon lib. I, p. 18 et p. 126. Tzori quidem et Carchedonis, quippe urbium, nomina imperite, ex antiquo tamen more, ad virorum personas designandas esse traducta, ab aliis Didonis nomen temere in hoc tempus referri, facile apparet; manet tamen illud, paulo ante belli Trojani tempora, L vel adeo XXXVII annos, Carthaginis prima exordia in veteri historia memorari solita fuisse. *Altera* Carthaginis conditæ epocha est CLXXIII a. post priorem illam, paulo ante Coloniam Ionicam, secundum Chron. Euseb. Hieronymi ad Num. 971, aut (ut verius apud Syncellum legitur, qui Græca Eusebii servavit p. 181 A), CXXXIII annis post Trojam captam, h. e. a. c. 1025 (sec. Euseb. 1044). Hac quoque epocha Didonis opera celebratur, quæ amplificanda ac munienda urbe Cartha, et Byrsa arce condenda, maxime fuit conspecta. *Ἐπωνύμη Καρχηδὼν* ait Syncellus: accepit etiam illo tempore suum nomen, cum antea Origo esset dicta; si modo vera tradit Syncellus (XXXI annis serius ab aliis hanc epocham definitam fuisse, ex Eusebio Hieronymi discas ad Num. 1002 sec. Scalig. 1000, quod in ipsa Salomonis tempora incidit). *Tandem* CXC annos ubi descenderis, *tertio* loco Carthaginis conditæ memoriam fieri videas a Josepho in Apion. lib. I, 18, p. 1042, et ex eo ap. Syncell. p. 182, post Salomonis templum conditum anno CXXXXIII mense octavo; qui est ante C. N. 861, a Troja capta CCCXXIII, ante U. C. 108 Varr. Et ad has fere epochas alludunt ceteri numeri, qui passim apud alios leguntur, vel ex annis, quibus Carthago stetisse

Digitized by Google

dicitur, eliciuntur. IOCC anni vulgo hac in re memorati sunt: sed termino a quo et ad quem illi pertingerent parum exacto. Auctorem satis diligentem Appianus ante oculos habebat, cum ἑκατοσοίοις δ' αὐτοὺς ἔτεσιν ἀπὸ τοῦ συνοικισμοῦ Ῥωμαῖοι Σικελίαν ἀφείλοντο. Factum hoc ante C. N. 242, quibus si annos 700 addideris, habes annos 942, qui a Trojæ excidio 242 annis absunt, adeoque ad mediam fere epocham supra memoratam assurgunt. At mox alii parum diligenter annos 700 ad excidium Carthaginis deduxere, ut in Epitome Livii LI habetur: cui indiligentiæ locum fecisse putandum hoc, quod *per* 700 *annos floruisse Carthago* vulgo ferebatur: ut in locis Appiani habetur Pun. p. 366, 55 et 493, 35. Ita enim paucis hæc expedias. Pluribus aliam rationem ibi exposuit editor doctiss., verum ea, quæ super Carthaginis originibus dicta sunt, sigillatim h. l. repetere vel excutere, a consilio alienum est. Vid. viros doctos inprimis Scalig. ad Euseb. et in App. de Emend. Tempp. p. 31. Joseph. l. c. Vellei. I, 6, 4. Justin. XVIII, 4. Salmas. ad Solin. c. 27, p. 228, et, si ad manum est, vel Notata ad Guthrium consulas Tom. III, p. 253 sq., vel Simson. A. M. 3132 cum Wesseling. Nott. Non enim nisi eadem fere recocta passim videas. Est sane tertia hæc epocha, paulo maturius forte et illa constituenda, vera Didonis ætas, siquidem illa Pygmalionis fuit soror, Mutgonis seu Mettini filia. Fuisse tamen communem veterum errorem, ut ad Didonem prima Carthaginis exordia referrent, non modo ex iis, qui vetustiores exscripsere, Cedreno p. 140, et Jo. Malela p. 68, verum etiam ex Appiano Punic. pr. constat, qui, memorata ista prima urbis origine L ante b. Troj. annis, addit: 'conditores fuere Zorus et Carchedon; ut vero Romani et ipsi Carthaginienses opinantur, Dido, mulier Tyria.' In tanto itaque scriptorum optimorum dissensu tantaque rei obscuritate, et quidem non in patriis historiis, sed exteri populi, quis hoc a poëta postulet vel expectet, ut temporum rationes subtilius, quam ipsi historici nonnulli fecerunt, subducere sustineat? Ultimo loco et illud monendum, jam ante Virgilium amores Didonis et Æneæ videri celebratos fuisse ab

Digitized by Google

historicis Rom. Nam ad lib. IV, 682 Servius: 'Varro ait, non Didonem, sed Annam, amore Æneæ impulsam se super rogum interemisse.' Cf. eund. ad V, 4. Nullam igitur in Didone ad Æneæ ætatem revocanda reprehensionis materiam subesse, ex iis, quæ disputata sunt, satis intelligi puto. Egit de hoc episodio Abbas Andres in singulari libello: de quo v. judicium nostrum (in Götting. gelehrt. Anzeigen 1789. p. 1166 sq.) De Didone autem nonnulla minus nota vide in Tr. Anonymi De mulieribus, quæ bello claruerunt (ab Heeren nostro vulgato in Bibliothek. der alten Litteratur 6s Stück p. 15.) Est illa ibi appellata Θειοσσὼ; reliqua fere conveniunt cum Etymologo in Διδώ.

EXCURSUS II.

APOLLINIS ACCESSUS AD DELUM.

IV, 143—149 'Qualis, ubi hybernam Lyciam Xanthique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo, Instauratque choros, mixtique altaria circum Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi; Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro; Tela sonant humeris.' Insignis phantasmatum et verborum dignitate locus, cujus pars ex Apollonio, sed multum ornatius, adumbrata, lib. I, 307—311 *Οἷος δ' ἐκ νηοῖο θυώδεος εἶσιν Ἀπόλλων, Δῆλον ἀν' ἠγαθέην ἠὲ Κλάρον ἢ ὅγε Πυθὼ, Ἢ Λυκίην εὐρεῖαν ἐπὶ Ξάνθοιο ῥοῇσι.* (Confer etiam versus lib. I, 536—539, et lib. II, 677 sqq. item Callim. in Dian. 241 sqq.), reliqua forte ex alio Græco poëta. Ante oculos locum Maronis habuit Avienus Orb. Terr. 705 sq. ubi compara Wernsdorfii Notam p. 1036 sq. De Neptuni incessu simili ornatu elaboratus est apud Apoll. III, 1239 sq. Sicut Dido cum Diana lib. I, 502 sqq. ita Æneas incedens comparatur cum Apolline incedente. Jam, ut ornatum in-

Digitized by Google

telligas, Deum non simpliciter incedentem, sed festo die, ut sacris suis intersit, prodeuntem sistit; et sacris quidem celeberrimis, in insula Delo: inde ornamenta petiit cum ex his sacris et Dei accessu, tum ex loco unde decesserat. *Lyciam* memorat, eamque *hybernam* appellat, quoniam hyemem Apollo Pataris Lyciæ exigit: etsi vel δυσχείμερον vel εὐχείμερον explicant viri docti. Non videtur alienum a re esse, quod Servius narrat; gravior enim auctoritas non occurrit; nam constat Apollinem sex mensibus hyemalibus apud Pataram, Lyciæ civitatem, dare responsa—et sex æstivis apud Delum. Certe et Herodot. I, 182 de Pataræo oraculo: οὐ γὰρ ἂν αἰεί ἐστι χρηστήριον αὐτόθι. Ἀποδημίαι et ἐπιδημίαι Deorum res notissima inprimis post Spanhem. in Callim. *Delum maternam* matri Latonæ sacram, seu quod matris causa mari emerserat. Certe et aliis est *Latonia Delos*. Jam in sacris nihil est augustius *choro*, qui ducitur, nihil in poëtis memoratu jucundius. *Instaurat*, cum dilectu, quandoquidem est voc. sacrum; habet autem plus dignitatis, quod ipse Deus parat choros, quam choros in ejus honorem duci. Chori inter rem sacram instituuntur ab iis qui sacra curant, partim qui primitias frugum in insulam apportant; v. Callim. in Del. v. 279 sqq.; hos designat poëta per *Cretes*, *Dryopes*, et *Agathyrsos*. Simplicius Iones memoraverat Hymnus Homericus in Apoll. 147 sq. Facit etiam nominum antiquitas ad majorem carminis dignitatem. *Cretes* memorari videntur secundum Hymnum Homericum in Apoll. v. 388 sqq. 535 sqq., ubi Apollo apud Delphos sacrorum ministros sibi asciscit Cretenses navi Pylum petentes; quem locum etiam Tibullus respicit IV, 1. 8. et 9. *Dryopes*, Trojanis temporibus Thessaliæ circa Spercheum habitatores, inde Parnassi accolæ, qua ille versus Œtam procurrit, ea regione quæ Doris appellata est. Ab Hercule fuere victi, cum ille Trachine versaretur. Res copiose ac diverse tractata esse videtur ab iis qui Heracleas condiderunt; diversa enim inter se narrantur apud Herodot. VIII, 31. 73. Apollodor. II, 7. 7. Strab. VIII, p. 373 c. Apollon. I, 1213 sqq. et Schol. et alios. Cf. ad Apollod. Not. p. 475

Digitized by Google

sq. Sed ex iis unum est, quod Virgilius ex parte sequitur, apud Pausan. IV, 34, Dryopas victos ab Hercule Delphos abductos et Apollini devotos fuisse, τῷ Ἀπόλλωνι ἀνάθημα ἤχθησαν ἐς Δελφούς. Hoc et Servius habet: 'Hi populi, ab Hercule victi, Apollini donati esse dicuntur.' Ex Dei tamen responso ab Hercule in Peloponnesum deducti primum Asinen Argolidis, mox Asinen Messeniæ occuparunt, et Apollini ac Dryopi Apollinis f. templa dicarunt insigni religione. Videtur igitur ab aliquo poëta traditum forte et hoc, mansisse apud Delphos Dryopes nonnullos inter eos, qui sacra curarent, ut modo de Cretensibus vidimus. Traduxit autem et hos et illos ad Delum suam poëta paulo licentius. At *Agathyrsi* proprie Delum spectant. Nam uti Callimachus Arimaspos, ita Maro Agathyrsos pro *Hyperboreis* posuit, quorum θεωρία seu legatio sacra ad Delios res est satis nota. Vide vel Gesneri Prælect. II de navigat. extra column. Herc. et loc. class. Callimach. in Del. 281 sqq. Ad Scythicum nomen retulit adeo Hyperboreos Virgilius cum Callimacho et aliis, etsi a Græcorum ad Borysthenem et Tanaim coloniis θεωρίας istas venisse probabile sit. *Altaria circum* sunt chori κύκλιοι, de quibus v. Inttp. ad Callim. l. c. v. 313. περὶ βωμὸν etiam Apollon. l. c. lib. I, 538. Quos Servius ex Melisso Grammatico *Achabas* memorat, Ἀβίους emenda. Versus 147. 148. 149 inprimis ornati de corona laurea, vitta aurea, et pharetra. Argutatur et in h. l. Spencius Dial. VIII et poëtam modo ad Apollinis Vaticanum signum modo ad Augustum respicere vult. Quod Quintil. VIII, 3, 73 circa hanc comparationem monet, a poëticæ visionis genio alienum est. 'Debet enim, quod illustrandæ alterius rei gratia assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat. Quare sane poëtis quidem permittamus hujusmodi exempla: 'Qualis ubi hybernam L.' Non idem decebit oratorem, ut occultis aperta demonstret.' Enimvero, ad poëticam rationem, phantasma illud Apollinis Delum adeuntis est inter notiora, et sæpe in hymnis aliisque carminibus frequentata. 'Tela sonant humeris' vim adjunctam non habent, quæ erat in Iliad. *A*, 46, pertinere tamen ad con-

Digitized by Google

citatum et celerem ingressum videntur propter v. 149 'haud illo segnior ibat Æneas.' Sic de pyrrhicha Amazonum Callim. in Dian. 247 ἐπιψόφιον δὲ φάρετραι.

EXCURSUS III.

DE FAMÆ SPECIE.

IV, 173 sqq. 'Fama malum, quo non aliud velocius ullum' etc. Etiam episodium hoc de Fama, nec, si absit, desiderari, et aliis locis æque bene interponi posse statuebat Ill. Homius. Videtur tamen Famæ h. l. memorabile esse momentum ad rerum eventum luctuosiorem. Excitatus enim ea Iarbas Jovem precibus movet, ut Æneam ille Carthagine evocet. Paulo longius, quam par erat, poëtam huic loco esse immoratum, judicabat Addisonus cum aliis. In his tamen tædium vix suboritur, nisi talibus descriptionibus nimis sæpe, et alieno loco, inculcatis. Poëta vero non in specie Famæ declaranda ad fastidium usque substitit, sed et facta ejus et mores et originem adeo narrando descriptionis tædium temperavit. Fatendum tamen, esse alia, quæ subtiliori judicio vix satis se probent, a viris doctis non animadversa. Primo v. 176 male interpositum est *metu*, quod a Fama in Deam mutata nos revocat ad abstractum, quod dicimus, ad ipsum rumorem; debebat esse parva primo motu, cursu, volatu. Nec verborum positus admittit, ut *metu* sit ad metum, ut metum injiciat. In v. 180 'pedibus celerem et pernicibus alis' otiose apposita sunt, illo quidem loco, et resecari debebant. Tandem ad speciem, quam mente animoque tibi reddere et exhibere possis, illa quidem sunt præclara, esse monstrum plumis oculisque consitum; at *linguis, oribus, auribusque*, toto corpore *inductum* quomodo illud esse possit: 'tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures:' hoc vix assequaris. Quæ in extremis posita sunt: 'Tam ficti pravique tenax, quam

Digitized by Google

nuntia veri;' excusari possunt; est enim monstrum vocale et loquax, ut Harpyiæ, Sirenes et alia. Ceterum in Famæ specie monstrosa exemplum habemus satis manifestum diversæ poëseos et picturæ indolis; picta enim illa haud placere possit. In comparatione Homericæ Eridos cum Virgiliana Fama admodum argutari videtur Macrobius v, 13. Incrementa rumoris ex ipso progressu melius exprimi vix poterant; et v. 177 præstantissimus secundum illud jam a Longino s. 9 laudatum: *Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.* Deam fecerat Famam jam Hesiod. *Ἔργ.* sub f. *Φήμη—θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή.* Alia loca dabit Cerda inf. ad 195. Athenis *ara* fuit *Famæ*, non signum: Pausan. I, 17. *βωμὸς τῆς Φήμης*, et Æschines in loco, in quo plura de Fama e poëtis afferuntur, in Timarchum p. 18 (p. 140 R.) *ὡσθ' εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ὑμῶν καὶ τοὺς προγόνους Φήμης, ὡς θεοῦ μεγίστης, βωμὸν ἱδρυμένους.* De signo Deæ nec ipse memorat. Est tamen numus Demetrii regis apud Eckhel Num. anecd. T. I, p. 84. tab. VI, 9. de quo iterum egit in Doctrina Numor. T. II, p. 120. In eo Deam alatam tuba canentem, ingeniose Famam interpretatus est.

EXCURSUS IV.

TEMPLUM HESPERIDUM.

IV, 483—485. 'Hinc mihi Massylæ gentis monstrata Sacerdos, Hesperidum templi custos, epulasque draconi Quæ dabat, et sacros servabat in arbore ramos.' Jure suo ab interprete Virgilii expectet lector, ut clariorem hujus loci notionem animo suo informet. Potest itaque poëta videri fingere, hortos Hesperidum, quos per *templum Hesperidum* designet, quosque ab Hercule spoliatos communis ratio ferebat, adhuc Didonis tempore superesse. Non facile tamen poëtæ, nisi forte tragicos excipias, mythicam fidem

Digitized by Google

ita deserunt, nec veteres notasque fabulas ultra mythicum ævum in veræ historiæ tempora demittunt. Malim itaque statuere id, quod cum multorum populorum multarumque Græciæ urbium religionibus consentaneum est, ut Virgilius ponat, templum Hesperidibus sacrum in his terris fuisse, in quo, id quod in multis sacris ac religionibus usu receptum fuit, antiqua fabula repræsentabatur, arbore aurea et dracone in ea constituto, cujus æditua vel sacerdos anus erat ex indigenis loci. Serpens ille, quem poëta memorat, pascebatur offa mellita; mazam, μελιττοῦταν eam appellant; quemadmodum in templis Æsculapii mos fuit serpentes ali et pasci e patera; unde tot signa Æsculapii et Hygeiæ serpentem pascentium e patella extant. Proclive esset, e sequentibus conjicere, usum nunc aliquem *magicum* draconis fuisse anui; quemadmodum in nonnullis templis divinationis genus fuit e serpente sacro captum; variis quidem modis, interdum casu et eventu, ut in eo, quod ab Herodoto commemoratur, VIII, 41. cum Athenas deserendas esse pronuntiaret Themistocles ex eo, quod draco evanuerat ἐκ τοῦ σηκοῦ, cum tamen ille alioqui nihil commune haberet cum divinatione, et haberetur in Parthenone tanquam custos et οἰκουρός: ut omnino causæ hujus religionis servandorum in locis sacris draconum fuere variæ, cum ipsi dracones tam multarum rerum symbola essent. In hortis Hesperidum, non minus quam in Martis luco apud Colchos pro custodia tantum fuisse traduntur; in istis quidem servabat draco aurea mala Junonis; quod ex Pherecydis fragmento et ex Apollodoro satis constat. Servatos legimus passim in templis dracones, v. c. Lanuvii, quibus dapes apponebantur; augurium ex iis cibo vescentibus captum esse, conjiciebat nuper ingeniosus vir, Böttiger, in eandem sententiam augurium Salutis interpretando. De Hesperidibus post ea, quæ ad Apollodorum disputata sunt, plura commemorare nihil attinet.

Digitized by Google

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. V.

SUPER ÆNEÆ ACCESSU AD SICILIAM.

Bis Æneam ad Siciliam accessisse narrat poëta, primum cum littus Italiæ inferioris et Siciliæ orientale prætervectus Drepani portum intrasset, lib. III, 707. add. Dionys. I, 52; et iterum, cum Carthagine et ab Africæ littore evectus, ut Italiam peteret, ventis adversis ad Siciliæ littus occidentale esset rejectus. Tenebat tum illa loca *Acestes*, ut Virgilius scribit, vel Egestes, Egestus, a quo urbs *Egesta*, *Ægesta*, vel *Segesta* appellari cœpit (v. post alios et Burmannum ad Numism. Sic. p. 394 Eckhelium in Doctrina Numor. vet. Vol. I, p. 234); Virgilio *Acesta* V, 718, quod tamen nomen et Stephanus Byz. habet in *Ἀκέστη*. Ab hoc Aceste Æneas benigne hospitio exceptus socios et naves refecit. Erat enim ille Trojano sanguine oriundus, quippe e Trojana fœmina, de qua varie traditur, in Siciliam delata et a Crimiso fluvio compressa, susceptus: v. V, 38. 39 'Troia Crimiso conceptum flumine mater Quem genuit:' quæ antiquissima ignotæ stirpis deducendæ ratio est, ut parens edatur fluvius ejus terræ, in qua gens aliqua sedem habuit. Itaque 'divinæ stirpis Acestes' appellatur V, 711. Fabulas de Aceste plures, ad quas numi quoque apud Parutam, Dorvillium, Principem Torremuzza, et nunc apud Eckhelium alludunt, vide apud Serv. ad I, 554 V, 30. Alia congessit Cluver. Sicil. ant. II, 2. Sed in summa diversitate consensus fit in hoc, urbis Segestæ conditorem creditum esse Trojanum, et Trojanos colonos veteribus Sicanis in his locis fuisse admixtos. Nota res vel ex Cicer. Verr. IV, 33. (Accessere mox Græci coloni: sed vel sic apud Thucyd. VI, 11 Nicias eos barbaros appellat *περὶ Ἐγεσταίων ἀνδρῶν βαρβάρων* et sic res se habuit in plerisque Siculis civitatibus; quæ res dissensionum civilium perpetua causa et fons erat, vid. ibid. c. 17). Recte Silius XIV, 45 'Miscuerunt

Digitized by Google

Phrygiam prolem Trojanus Acestes Trojanusque Helymus' etc. Proxime ad poëtæ verba Strabo XIII, p. 608 B. οἱ δὲ (φασὶ τὸν Αἰνείαν) εἰς Αἰγέσταν κατῆραι τῆς Σικελίας, σὺν Ἐλύμῳ Τρωὶ, καὶ Ἔρυκα καὶ Λιλύβαιον κατασχεῖν, καὶ ποταμοὺς περὶ Αἰγέσταν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα. Dionysius vero, tanquam communiorem narrationem, his non dissimilia exponit lib. I, 56, secundum quæ Elymus et Ægestus jam ante Trojæ excidium urbe profugerant et vento secundo usi in Siciliam pervenerant. Hi circa Crimisum fl., de quo non minus multa fabulose narrantur: v. apud Schol. Lycophr. 953. 471, in Sicanorum agro consederunt, parte agri ab his accepta, propter Ægesti cognationem, qui, in Sicilia natus et educatus, cum adolevisset Trojam redierat. Quod quomodo factum sit, mox a Dionysio l. c. narratur. Tum porro: hos suos populares cum in his locis offendisset Æneas, amanter cum iis aliquod tempus exegit, urbesque iis condidit, καὶ κατασκευάζεται αὐτοῖς πόλεις Αἰγέσταν καὶ Ἔλυμα, partemque comitum ibi relinquit. De *Elymis* infra videbimus. Sed *Segestam*, apparet, quam ingeniose poëta arripuerit, ut ab Ænea conditam eam nunc perhiberet, cum trajectus in Italiam fieret, ut adeo ejus comites longi erroris tædio capti, parte etiam navium incendio consumta, in novam coloniam transcriberentur. De his inf. 711 sqq. 749 sqq. Et v. 718 'urbem appellabunt permisso nomine Acestam.' Quo intelligitur, v. 756 'hoc Ilium, et hæc loca Trojam Esse jubet,' non ad urbis nomen, sed ad originis Trojanæ recordationem et repræsentationem esse referendum. Nescio, an ita Burmannus e. l. acceperit, ubi Ruæum refellit. Potuit tamen poëta aut accepisse hoc aut fingere, fuisse in ipsa urbe loca ab Ænea iis nominibus designata, ut Troja et Ilium essent; siquidem etiam fluvii fuerunt Simois et Scamander in agro urbis. V. Strabo XIII, p. 608 B, quo forte respexit poëta v, 634 'Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam Hectoreos amnes Xanthum et Simoënta videbo?' Nec vero ipsos Segestanos alienos fuisse ab ea fama, deberi Æneæ origines suas, colligere licet ex

Digitized by Google

numis Segestanis, in quibus Æneas Anchisen cum Palladio urbe exportans exhibitus est.

Dicat tamen aliquis, et eandem difficultatem movit Cluver. p. 260 Sicil. ant., *urbes Acestæ* poëta jam lib. I, 553. 554 memoraverat: 'Sunt et Siculis regionibus urbes, Arvaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes,' adeoque se *vehementer obliviosum* prodidit, dum hoc demum libro quinto urbem Acestæ exstruendam narrat. Enimvero primum historia plures urbes, non unam, ab Ægesta conditas perhibet; tres quidem Lycophron v. 964, quas Scholiastes *Ægestam, Entellam, Erycem,* recitat. Cf. Cluver. eod. cap. Dionysius *Αἰγέσταν καὶ Ἔλυμα* memorat in Ægesti gratiam ab Ænea conditas. Elyma quidem in Eryoem, *Ἔρυκα,* mutat Cluverius. Quidni tamen, si Elymi, populus, fuerunt, ut infra videbimus Exc. III ad v. 73, vicus vel oppidum esse vel tradi potuerit *τὰ Ἔλυμα*? etiam si nulla ejus alia memoria occurrat. Mox c. 53 (p. 42) Veneris Erycinæ templum conditum fertur *ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τοῦ Ἐλύμου,* ubi præstat forte cum viris doctis scribere, *ἐπὶ τῇ κορυφῇ τοῦ Ἔρυκος.* Nam Bocharti argutiis equidem non multum tribuere soleo, qui et hic, ut *Erycem* ab hebraica origine ducere possit, in *Elymum* illud mutat, ut ad *Elim* tandem res deducatur. Ferrem tamen *montem Elymum* ab Elymis habitatoribus dictum. Si historica fide uti velis, et contendere, nunc demum ab Ænea urbem Acestæ paratam esse, quandoquidem Acestes venatu inter sylvas vitam egisse traditur v, 37 'occurrit Acestes Horridus in jaculis et pelle Libystidos ursæ,' et 301 'Assueti sylvis, comites senioris Acestæ,' eoque ducunt alia loca, v, 617. 631. 717: tamen vel sic recte poëta *urbes* jam ante dicere potuit, quæ eodem loco, I, 561 *sedes,* pro quocumque omnino habitationis genere: 'At freta Sicaniæ saltem sedesque paratas Unde huc advecti, regemque petamus Acestem.' Atque hoc unum ad expediendas difficultates hujus generis sufficit.

Digitized by Google

EXCURSUS II.

DE ERYCE.

v, 23. 24 'nec littora longe Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos.' Adde v. 391. 392. 403. 412 sq. et 759—761 'Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque sacerdos Ac lucus late sacer additur Anchiseo.'

Mela II, 7 'Montium Eryx maxime memoratur, ob delubrum Veneris ab Ænea conditum.' Ex vulgari opinione nomen ab Eryce ductum, quem adeo poëta docte et ipsum in carmine memoravit, v. 391 sq. *Eryx* hic pugilatu nobilis, Veneris e Buta filius (v. Hygin. f. 260, alios ap. Cluver. Sicil. ant. p. 269 sqq.), etiam in numis Segestanorum obvius. V. Burmann. ad Numism. Sic. p. 396 sqq. In Erycinorum numis apud Parutam et Pelerinum ipse Hercules occurrere videtur. Quod in monte Eryce fuit templum Veneris antiquissimum, ut ad Phœnicum Astartes religionem, non tam male, ut multa alia, a Bocharto referatur (Canaan. II, 1), vulgari tamen fama Trojanos conditores habere ferebatur. Hinc nihil suavius versibus 759 sqq., quibus Æneam suum poëta auctorem templi facit, etsi de hoc scriptorum fides omnium non convenit. Potest tamen teneri, quod et Diodorus lib. IV sub f., qui classicus de Eryce locus est, prodit, novis saltem decoribus templum ab Ænea fuisse ornatum; et inter manifestissima Æneæ in Siciliam adventus indicia a Dionys. I, 53 memoratur τῆς Αἰνειάδος Ἀφροδίτης ὁ βωμὸς, Veneris Æneadis ara in Eryce monte. Quod vero mireris, non defuere, qui Æneam Veneris Erycinæ signum secum asportasse comminiscerentur; si vera sunt, quæ Solinus habet c. 2, pag. 13 B. 'agro Laurenti—ubi, dum simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quæ Frutis dicitur.' Salmasius, *quæ Erycis dicitur* legit. Male. V. Jos. Scaliger ad

Digitized by Google

Festum in *Frutinal. templum Veneris Frutis*, scil. a *Frus*, *unde fruor*.

Bene etiam Acestæ, hoc est, Segestæ, primordiis hujus templi origo subjungitur; nam mansit in Segestanorum ditione etiam ad seriora tempora hoc templum, ut satis ex Cicer. Verrinis et Tac. Ann. IV, 43 constat.

Quod de *Anchiseo* in Eryce subjungitur, v. 760. 761, habet et ipsum historicam rationem. Hygin. f. 260 'in hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus;' etsi Ge. Fabricius non male suspicatur ad templum et Flaminem D. Cæsaris poëtam respicere.

Tandem, etsi ludi funebres poëtæ ingenio et Homeri exemplo debentur (cf. ad pr. lib. v), inferiæ tamen Anchisæ, in Sicilia factæ, et novemdiale sacrum antiquam habuere memoriam. Ovid. Fast. II, 543, ubi de annuis inferiis: 'Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor Attulit in terras, juste Latine, tuas. Ille patris Genio solennia dona ferebat: Hinc populi ritus edidicere pios.' Eo spectant hoc libro versus: 59. 60 'atque hæc me sacra quotannis Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.' Fanum Æneæ Segestæ memorat Dionys. I, 53.

EXCURSUS III,

DE ELYMO, ENTELLO, ALIISQUE EX ANTIQUITATE SICILIÆ.

V, 73 'Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Acestes.' Magna poëtæ etiam in hoc libro laus est, quod historicæ fidei fabulas suas superstruendo eruditam aliquam voluptatem lectoribus apponit. *Helymi* enim vel *Elymi* clarum nomen in Siciliæ originibus Trojanis. Troja ille jam ante excidium urbis exierat cum Ægesto. V. Dionys. I, 52 et sup. Exc. I ad h. lib., etsi alii apud Strabon. XIII, p. 608 B. eum Æneæ comitibus ascripserunt. Verum etiam Lyco-

Digitized by Google

phron v. 965 Anchisæ nothum eum perhibet, et ab Ægesto in Siciliam adductum. Cf. ib. Schol. et Serv. ad v, 73. Itaque Virgilius docte Elymum Acestæ comitem adjunxit v. 73 et inf. 300. 301. Conf. Silium XIV, 45. 46.

Ab hoc Elymo populum Elymos in iisdem circa Erycem et Segestam locis Thucyd. VI, 2 et Dionys. I, 53 ductum esse tradiderunt. Antiquioris tamen illi fuisse originis videntur; ut vel loca docent a Bocharto Can. I, 30, p. 569 sqq. congesta.

Ceterum Virgilius etiam in hoc libro nomina virorum non indiligenter partim ex Homero transtulit, partim ex historiis. Ita v. 298 *Salius* et *Patron* cursu certant. Salius autem Arcas cum Ænea in Italiam venisse Polemone auctore apud Festum in Salios traditur. Patron Thurius in Aluntinis agris consedit. V. Dionys. I, 51. *Euryali* (v. 294 et al.) nomen ex Homero satis notum, inter pugiles in ludis funebribus Patrocli. Ut autem ei pulchritudinis laudem attribueret, suspicor Virgilio in mentem venisse ex eo, quod Ibyci carmine olim fuit celebratissimum nomen Euryali, pueri formosi, ut ex fragmentis intelligitur ap. Athen. XIII, p. 564 F.

Entellum autem v. 387 sqq. inter heroës Siciliæ habitum fuisse, vel ex urbis Entellæ nomine conjectes. Nam mos perpetuus antiquitatis est, ex urbium nominibus conditores fingere. Servius ad v. 389: 'Sane sciendum, hunc (Entellum) secundum Hyginum, qui de Familiis Trojanis scripsit, unum Trojanorum fuisse, de quo Virgilius mutat historiam.' A Schol. Lycophr. ad v. 953 urbs Entella inter urbes ab Ægesto conditas memoratur. Cf. Cluver. Sicil. ant. p. 377 sqq., qui in Silii versibus XIV, 204. 205 dilucidandis laborat: 'Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ.' Sed sequitur Silius nostri poëtæ fidem, secundum quam Entellus inter ceteros Acestæ comites ante Æneæ tempora in Siciliam venerat, eique amicitia junctus fuerat. Sæpius jam monuimus, diversitates has fabularum docere, a poëtis pluribus eandem fabulam fuisse tractatam, adeoque Virgilio,

Digitized by Google

doctissimo poëtæ, non defuisse, unde materiam carminis sumeret.

EXCURSUS IV.

VESTIS CUM RAPTU GANYMEDIS INTEXTO.

v, 250—257. Talium vestium, arte inprimis Babyloniorum et Phrygum celebratarum, cum ζώοις ἐνυφασμένοις, intextis figuris ac signis, usus olim frequens esse debuit. Exemplum sit vestis Sybaritica in Mirabil. Auditionib. c. 99: poëtæ quidem in earum argumentis enarrandis operam ponere amant. Nostro poëtæ præivit Apollonius I, 721 sqq. in Jasonis læna, et is, qui nimis copiosus in veste tori conjugalis Thetidis ejusque argumento est, Catull. Epithal. 50 sq. Ex Apollonio et hoc Virgilii loco sua adumbrarunt Valer. Fl. II, 409 sqq. Silius XV, 421 sq. cf. XIV, 657 sqq. (Est quoque in Euripidis Ione locus, qui de veste picta accipitur, in templo Delphico v. 190 sqq. De veste quidem, quibus parietes inducti sint, vix licet accipere. Chorus spectantium stat *ante* ædem (vid. 223. 238). Saltem de velo obducto in atrio agi dicendum erit; etsi rem nondum satis expeditam esse sentio; alia enim ad picturam in pariete revocant. Docte emendavit et illustravit locum nuper Wakefield in Tragœdiar. Dilectu.) Omnibus dux factus est Homerus, in Laodices tela Iliad. Γ, 125 sqq. Ad pateræ cœlaturam Virgilii locum transtulit Statius I Theb. 548 sqq. Virgilium in pictura æmulatus esse fertur Michael Angelus Bonarrota: cujus plura extant apographa ære expressa: quæ hic commemorare nihil attinet; ut nec gemmas ejusdem argumenti, quas nunc in Catalogo ectyporum Tassie memoratas videre licet. At in Virgilio argumentum picturæ quale tandem esse dicemus? Primo aspectu duplex esse videtur: primo Ganymedes venatu feras prosequens;

Digitized by Google

tum idem ab aquila raptus, dum sublimis in aërem fertur, allatrantibus infra canibus. Forte tamen dicere præstat: priora valere ad ornatum poëticum et verum argumentum esse habendum, quod e venatu, seu inter venantum turmas puer ab aquila raptus in sublime fertur. Firmat judicium Statius Theb. I, 548 sq. 'Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis; Gargara desidunt, surgenti et Troja recessit. Stant mœsti comites, frustraque sonantia laxant Ora canes, umbramque petunt, et nubila latrant.' Hac specie ex venatu rapti Ganymedis, allatrante infra cane, statua est apud Hispanos, in regia villa S. Ildephonsi (v. Caimo Vayo Italiano Tom. II p. 141) et Romæ aliud signum, refectum et sartum a sculptore Pacetti (v. Guattani Monimenti inediti 1786 p. 76). Extat quoque signum rapti ab aquila Ganymedis in Atrio Bibliothecæ S. Marci Venetiis (v. Zanetti delle antiche Statue etc. Tom. II. l. 7.) ductum forte a Leocharis signo apud Plinium XXXIV, 19, 11 'Leochares (fecit) aquilam sentientem quid rapiat in Ganymede, et cui ferat, parcentem unguibus, etiam per vestem.' Adumbrata est eadem res simili modo in numis Dardaniorum, Geta imperante: (cujus generis unum videbis expressum in Cabinet du Duc d'Orleans inter ornamenta Tom. I, p. 48) et in alio numo Iliensium: vid. Eckhel Doctrina numor. vet. P. I. Vol. II. p. 486. Diversa rei specie est alius Iliensium numus in Museo Arigoni (ibid. laudatus p. 484) in quo aquila Ganymedem e capillis prehensum rostro sublimem fert. Sed prior illa, elegantior, ratio merito prælata etiam in mundo muliebri ex auro occurrit apud Com. de Caylus (Recueil d'Antiquités Vol. II. pl. XLVII). Alias solennis est Ganymedis exhibendi ratio, ut ille stet vel sedeat astante aquila. Ejusmodi signa extant plura; stantis quidem in Museo Pio Clementino Tom. II. tab. 35 præclaro opere et excellenti inter cetera, tab. 36. ibid. in palatio Lancellotio, in palatio Farnesio, apud Cavacepp. Tom. I. tab. 13. in Museo Florent. Tom. III. tab. 5. Est autem fabula ex iis, quæ tenuissima primordia habuere, nata ex antiqua formula declarandi pulchritudinem: amatum esse aliquem a Diis, a

Digitized by Google

Diis esse raptum. Conf. ad Apollod. pag. 532. 3. Creticæ omnino fabulam esse originis discimus e lib. I de Rep. Platonis pag. 636. Si tamen Homerum audias, Trojanæ originis habenda illa esse videtur Iliad. *E*, 265 sq. *T*, 231—235. Disertior est narratio in Hymno in Ven. 203 sq.

EXCURSUS V.

DE LUDO TROJÆ.

V, 545 sqq. Ex elaboratissimis poëtæ locis esse arbitror locum hunc de Ludo Trojæ, quo Romanis suis inprimis probare debuit hunc librum, cum ludicrum hoc, per nobiles pueros (εὐπατρίδας) celebrari solitum, summo haberetur honore, sæpiusque ab Augusto esset exhibitum. Conf. Suet. Aug. 43. Dion. XLVIII, 20. XLIX, 43 et viros doctos ad illa aliaque loca. Vidit quoque acute Eckhel memoriam talis ludi in numo Caii Cæsaris servari: Doctrina numor. vet. Vol. VI, p. 170. Ductum utique illud ab antiqua saltatione armata, pyrrhiche, ὀρχήσει ἐνόπλῳ, cujus originem ex Creta petere solent scriptores; etsi illa omnino priscæ hominum vitæ in Græcia communis esse debuit. Quod si a Trojanis temporibus deductum illud est, debuit profecto ab initio curule esse. Equis enim aliter illa ætate uti nesciverunt, ut satis ex Homero liquet. Debuit etiam ex ejus temporis more cum auriga insistere currui παραβάτης, ut per totum Homerum fieri solet; unde hoc aurigandi genus Τρωϊκὴν διφρείαν appellasse putandus Xenophon Cyrop. VI, p. 322 ed. Lond. Quæcumque tandem rerum morisque vicissitudo fuerit, ad ludum equestrem nobilium puerorum res deflexit, quo primo decursus equester agebatur, tum prælium equestre adumbrabatur. Ut autem poëtæ in inveniendo artificium recte teneas, tenendum est, Virgilium non attigisse decursum armatorum circa tumulum, quem antiquus funeris

Digitized by Google

celebrandi mos et Homeri exemplum, Odyss. Ω, 68 sqq. cf. Iliad. Ψ, 13 sqq. postulabat: cf. inf. XI, 188 sq. Stat. VI Theb. 213 sqq. adde quæ Vignolius ad Columnam Antonini Pii disputavit c. 9 super anaglypho stylobatæ, quo *militaris decursatio equestris* exhibita est, cujus partem in Edit. Justic. lib. III Æn. translatam video; ad quam v. Saxium. Hunc itaque cursum ὁπλίτην solerti animo melius ad Ludum Trojæ, novum et intactum ab aliis poëtis ludi genus, transtulit.

EXCURSUS VI.

CLASSIS TROJANA INCENSA.

V, 604 sqq. 'Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.' Sequitur locus de incensa classis Trojanæ parte: quæ res et ipsa historica fide superstructa jucunditatem Romanis lectoribus afferre debuit; quo magis ita ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα sibi apponi videbant. Nam fuisse scriptores, qui traderent (ὡς λέγουσί τινες), naves aliquot Trojanas a mulieribus combustas, etiam Dionysius meminit lib. I, 52. Factum id esse in locis circa Menden et Scionen in Thessalia auctore Æthylla, Priami sorore, a Protesilai copiis captiva in Thessaliam abducta, (addiderat sorores Astyochen et Medesicasten Apollodorus) apud Cononem traditum legas Narrat. 13. add. Stephan. Byz. in Σκιώνη. Alii scriptores facinus hoc mulierum Trojanarum, dum captivæ ab Achivis ducerentur, in Italia ad Crathin, circa Sybarin, perpetratum tradiderant; Setæam fœminam facinoris auctorem edidit Lycophron. 919 sq. add. Stephan. Byz. in Σηταῖον· quæ narrationis diversitas unde orta sit, facile doceri potest. Scilicet primum rem nonnulli (v. Strabo VI, p. 262 B. adde Schol. Lycophr. ad v. 921) ad Neæthum fl. supra Crotonem transtulerant, quasi ab initio Ναύαιθον dictum, etiam prop-

Digitized by Google

terea, puto, quoniam non longe abest Crimisus fluvius cum altero illo Siciliæ juxta Entellam, nec longe ab Ægesta, confusus. At alii simili lusu in nominis origine *Caietæ* naves incensas tradiderant. Aurel. Vict. O. G. R. 10: 'At vero Cæsar et Sempronius aiunt, Caietæ cognomen fuisse (nutrici Æneæ), non nomen, ex eo scilicet inditum, quod ejus consilio impulsuque matres Trojanæ tædio longi navigii (h. e. navigationis) classem ibidem incenderint; Græca scilicet appellatione, ἀπὸ τοῦ καίειν, quod est incendere.' Tandem fuere multi, qui in Tiberis ostiis naves Trojanas aliqua Roma auctore combustas narrarent, quæ ipsa urbi Romæ nomen dedisset. Ita tradiderat auctor rerum Argivarum secundum sacerdotum, quæ Argis erant, annos, Damastes Sigeensis aliique; et, quanquam in ceteris diversus, Aristoteles ap. Dionys. I, 72. Hos scriptores secutus est Plutarchus in Romulo pr. et de Mulierum Virtut. non longe a pr., et inter eosdem fuit Heraclides Lembus. V. Solin. c. 1. Festus in Romam pag. 455, ubi conf. Dac. et, quem nunc video disertum in his fuisse, Rutgers. Var. Lect. I, 20.

EXCURSUS VII.

EPISODIUM DE PALINURO.

V, 833 sqq. Si quæras, quid poëta episodio hoc de Palinuro, quod a rei summa alienum videri potest, spectaverit, a doctrina poëtæ tale consilium repetendum esse videtur, quod *Palinuri* memoria in Italiæ Trojanorumque ad eam accessus originibus et historiis non erat obscura; promontorio etiam, ab ejus nomine insignito, ad sinum Veliensem, celebris; rem itaque satis memorabilem omittere noluit; eamque lib. VI, 337 sqq. inseruit, nunc præstruxit. Sed eadem narratione nunc commode poëta usus est ad rerum

Digitized by Google

varietatem, ne extrema navigationis pars et trajectus e Sicilia in Italiam omni casu vacaret. Tandem novam rei suavitatem Homerica imitatione affudit; nam Odyss. Γ, 278 seqq. Phrontis Menelai gubernator in medio cursu occidit.

EXCURSUS VIII.

SOMNUS PALINURUM OPPRIMENS.

v, 838 sq. 'Cum levis ætheriis delapsus Somnus ab astris Aëra dimovit tenebrosum, et dispulit umbras, Te, Palinure, petens, tibi tristia somnia portans.' Operose satis pro, Somnus devolat aëre. Antiquior hæc est Somni advocandi ratio, quandoquidem apud Homerum Jupiter de Olympo Somnum mittit Iliad. Β, 6. sq. Quanquam *ab astris* simpliciter accipi potest etiam de advolante; quo Burm. spectare videtur. Ornatior illa ratio apud Tibullum II, 1 extr., ut in Noctis comitatu ille incedat per cœlum: v. ib. Not. At alii poëtæ, variandæ rei et majoris delectationis causa, modo in Inferis, modo in specu ad littus Oceani occidentalis, modo in Cimmeriis, sedem Somno assignavere, ut ipse Homerus in Lemno eum collocaverat Iliad. Ξ, 230 sq. Similiter mox v. 854—856 Somnus *Lethæa aqua aspergit oculos* Palinuri, ut eum sopiat, nova rei imagine, cujus lineæ in Apollon. IV, 156 sqq. extant. Apud alios poëtas afflatu alarum suarum consopit, quos vult, Somnus; ut jam Orph. Argon. 1009. Callim. in Del. 239, nec hoc insuave; ut nec ratio vulgaris, cum Somnus cornu suo soporem effundit. Potest tamen Somnus nimis opiparo apparatu h. l. inductus videri in re satis tenui et ad summum nullius momenti. Graviores Somni partes sunt apud Homerum Iliad. Ξ, cum Jupiter esset sopiendus. Igitur ornatum locum hunc esse dicemus, et suavem, sed poëtæ magis ingenio, quam epicæ πραγματείᾳ debitum. Nam tota

Digitized by Google

navigatio versus Italiam eo carere poterat; sed poëtæ erat intexenda antiqua fama, de qua paulo ante dictum est Exc. VII.

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. VI.

NECYIÆ IN POETARUM CARMINIBUS FREQUENTATÆ.

CONSENTIUNT in hoc, quos vidimus, omnes, rerum argumentis ornamentisque nullum facile alium Æneidis librum tantopere tenere legentis animum, quam hunc sextum. Quanto magis ille delectare debuit aut omnino veterum, qui ex poëtarum lectione et puerili institutione his mythis innutriti erant, aut Romanorum animos, qui extrema libri parte annales quodammodo suæ gentis conditos, clarissimorumque virorum recensum factum, agnoscerent? Iidem porro loca circa Cumas frequentabant, et iisdem religionibus, quæ hic expositæ sunt, imbutos habebant animos. Sane quidem cum Homerus Necyomantiam suam in his ipsis locis Italiæ exponeret, quandoquidem illa tum Græciæ inter ignotas, saltem parum cognitas, terras erat, major utique rerum narratarum novitas et insolentia, majorque ad Græcorum animos admiratione movendos vis esse debuit; habet etiam majorem auctoritatem narratio ex Ulyssis persona instituta; Virgilius tamen non minimum auxilii et præsidii ad suavitatem et delectationem hac ipsa recordatione, amplificatione et exornatione veterum fabularum, ex Homero aliisque notarum habuisse videri debet (Odyss. *Λ*). Non enim uno loco seu superstitio illa seu fraus ludificata est hominum animos antiquioribus ætatibus, ut Manium evocationem fieri posse crederent; quod etiamnum inter feros et barbaros populos passim hominibus persuasum esse narrant qui eos adierunt. Proclivis enim esse solet rudium hominum animus, ut animas post mortem superstites esse easque iterum in vitam

Digitized by Google

redire opinetur, quia interdum mortuorum species sibi per somnum objectas viderat. Possunt etiam mentes fanaticorum aut morbo aut errore ita de statu dejici, ut videre et audire ea, quæ non sunt, sibi videantur; adeo ante subtiliorem doctrinam de animarum immortalitate dudum similis aliqua persuasio hominum indoctorum animos tenuit. Facile itaque existere potuit, qui inter alia divinationum genera etiam hoc uteretur, ut mortuos consuleret et ab iis responsa ferre videretur; contra, in hac, animæ nostræ natura quæ sit, ignoratione, difficile esse debuit, ista persuasione et fraude animum liberare. Obtinuit ea jam olim in Oriente, ut e sacris vatibus constat, tum in Græcia, Italia, aliis locis. Hinc poëtarum ingenia materiam et ornatum carminum inde petierunt. Nec Homeri modo mythica solertia in his se exercuerat; sed, *Νεκυίας* condere, res videtur fuisse veteribus poëtis pluribus frequentata; uti plura etiam per Græciam fuere Necromantia, antiquiore certe ævo; nam talem superstitionem melior vitæ cultura statim tollere debuit. In Minyade et in *Νόστοις* res inferas Orcique terrores fuisse tractatos, testatur Pausanias x, 28, et inter Hesiodea Thesei fuit cum Pirithoo ad Inferos descensus, ibid. IX, 31, alias Herculis in Heracliis: quo factum, ut hic ipse Herculis descensus variis modis narraretur: conf. Apollod. II, 5, 12 et Notas pag. 428 sqq. Platonis de inferis mythi, quos e teletis repetunt nonnulli, non aliunde forte erant petiti, quam ex poëtis antiquioribus. Nec improbabile est, a Tragicis Græcis Romanisque in fabulis, quæ de Hercule Theseoque agerent, passim de rebus inferis intextas fuisse narrationes, cum descensum ad Inferos exponerent. Ita a veterum imitatore, Seneca, factum vides in Hercule furente. Plura ejus generis occurrisse videntur in Theseo Euripidis, si compares Schol. Aristoph. ad Ran. 476 et al., qua ipsa in fabula Bacchi ad Inferos descensus exhibetur. Rerum inferarum frequens quoque mentio in evocationibus umbrarum, uti Tiresiæ, et in Manium apparitionibus, ut in Euripidis Hecuba; unde latine conversum ab Ennio de Acheronte locum servavit Cicero Tusc. Qu. I, 16 in Ennii fragm.

Digitized by Google

Column. p. 242 ‘ Adsum atque advenio Acherunte vix via alta, atque ardua, Per speluncas saxeis structas aspereis pendentibus Maxumeis; ubi rigida constat crassa caligo inferum; Unde animæ excitantur obscura umbra, aperto ostio Alti Acheruntis, falso sanguine mortuorum imagines.’ Quid? quod etiam pictura attigit illa: est descriptio tabulæ a Polygnoto factæ Delphis in leschæ pariete, in qua Necyia exhibita: Paus. x, 28, ubi verus Ulyssis ad inferos descensus fit. Alia Niciæ tabula apud Plinium xxxv, 11 s. 28. Fertur tandem in teletis aliquando rerum inferarum adumbratio dramatica facta esse. Inter hæc observatione dignum illud, a quam parvis initiis commenta hæc et figmenta de conditione animarum post mortem profecta sint: condonanda utique illa cupiditati mentis humanæ, et mira aliqua jucunditate se commendantia, nec indigna, quibus immoretur ingenium erectius. Apud Homerum est *Tartarus* Titanum sedes et carcer; neque aliter apud Hesiodum res se habet, nisi quod Uranidæ in iisdem collocantur: conf. inf. Excurs. viii. Alius apud Homerum locus est *Elysium*, heroïbus destinatus; alius *Hades*, s. Orcus, h. e. omnino loca infera: in quibus promiscue habitant animæ cum piorum tum impiorum: conf. Not. ad v. 608 hujus libri. Exornavit Elysium Hesiodus, inde Pindarus Ol. ii, 123 seqq.: de quibus alio loco dictum (Opusc. Tom. i, p. 397 seqq. 400). At in Orco novis fabulis exornando inprimis hominum ingenia se exercuere, cum in carminibus, tum in picturis, ut paulo ante dictum est.

Non igitur rem novam et inauditam commentus videri debet poëta, cum descensum Æneæ ad Inferos carmini intexeret. Enimvero ingenii sui divini felicitatem declaravit in hoc, quod, cum eo ævo viveret, quo Græciæ doctrina et sapientia satis jam vulgata erat, non in fabulis Homericæ ætatis acquievit, sed novum suæ Necyiæ ornatum, eumque eximium, paravit ex philosophiæ inprimis Platonicæ placitis; ex quibus, etsi omnino inter magnorum poëtarum inventa etiam hoc est, ut vulgares et indoctas opiniones ad philosophicam aliquam doctrinam accommodent: hoc ta-

Digitized by Google

men inprimis consecutus est, ut non modo, Homeri exemplo, eos, qui jam ante Æneam obiissent, verum posteritatem quoque in Æneidem inferre, reique novitate tantorumque virorum nominibus, auctoritatem carmini et suavitatem comparare posset. Secuti idem inventum sunt recentiores poëtæ epici; de quibus infra suo loco (Excurs. XIII) videbimus. Intellectu itaque facile est, varia et multa eruditione hunc librum esse refertum. Bene Servius ad v. 1 'Totus quidem Virgilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum, cujus ex Homero pars major sumta est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam Philosophorum Theologicorum Ægyptiorum, adeo ut plerique de his singulis hujus libri integras scripserint πραγματείας.' Forte ex his nonnulla inter grammaticas quisquilias Servii sunt servata, etsi ex iis pleraque poëtæ et sententiam et elegantiam offuscant potius, quam illustrant. Ad poëtæ artem et ingenium referendum mihi videtur et hoc, quod, cum a vaticiniorum et prædictionum ambagibus maximum sibi epicæ narrationis, quæ animos rerum mirarum expectatione detineret, præsidium petiisset, nunc quoque primum Trojanorum ad Italiam accessum sacrorum et oraculorum religione quasi consecravit, reique adeo summæ miram dignitatem, et fatis ad exitum jam spectantibus novam tamen ex novis Sibyllæ responsis expectationem paravit.

EXCURSUS II.

LOCORUM CIRCA AVERNUM DESCRIPTIO, SEU TOPOGRAPHIA AGRI CUMANI.

Libri hujus vix satis magna esse potest suavitas, nisi locorum descriptionem oculis animoque subjectam habeas. Quam cum multi dederint, nuper tamen diligentius ea litteris cœloque expressa est a Paullo (Ant. Paoli in Puteolanis

Digitized by Google

Antiqq.) et coloribus vivide reddita ab Ill. Equ. de Hamilton in Campis Phlegræis Tom. I, tab. XVII sqq. Nam illam chorographiam, quæ in Mazzella et hinc apud alios conspicitur, nonnulla parum accurate delineata habere usu facile deprehenditur. Procurrit inter Puteolos et Cumas angustus ager in promontorium Misenum desinens. Puteolano s. Baiano sinui imminet lacus Avernus, adeoque Cumis ille a tergo situs. Facies lacus nunc quidem talis est, ut circumcirca colle leviter acclivi et, præter eam partem, qua ad mare (sinus Baiani) prospectus patet, fere perpetuo ambiente in orbem ille rotundetur. Stadiorum quinque ambitum jam olim Diodorus edidit lib. IV, c. 22. Altitudine est ad CCXXXVIII et CCLIII passus (secundum Mazzellam l. c. c. 15), aucta olim in immensum: vid. Diodor. l. c. add. Aristot. Mirab. Audit. pag. 727 E. ed. du Vall. decrescere tamen et temporum vicissitudinibus imminui illa potuit. Colles, qui ambiunt, sylva olim inaccessa consiti erant ad convalles decurrente, et hi sunt *luci Averni* (VI, 118. 138. 201), in quibus aureæ frondis arbor (v. 138 sqq. 186). Sylvam immensam, *'Ομβριμοῦς ἄλσος οὐδαίας Κόρης*, Lycophron 698 quoque memorat, et multo disertius Homerus: *ἔνθ' ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης, Μακραί τ' αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι*. Cupressos altissimas etiamnum lacum Avernum cingentes tristissimam loco faciem adjicere narrari video a Flachato (Observations sur le Commerce et sur les Arts T. I, p. 111), etsi ab Italis nihil tale prodi memini. Ita tamen Petronius naturæ veritatem expressisse videri debet, qui saxa 'ferali circumtumulata cupressu' narrat. Sacer autem lucus ille Hecatæ (v. 13) seu Proserpinæ, ut Homerus ait: promiscue enim in rebus inferis Hecate, Proserpina, Diana, Luna nominari solet. Proserpinæ sacram paludem Avernam videas apud Diodor. IV, 22, et templi Hecatæ ruinas esse eas, quas vulgo Apollinis aiunt, ad Avernum lacum, non male conjectat Paolus fol. XXVIII. Sed sylvæ istæ inclusum aëris lacum pestilentia infecerant; etsi ipsi antro exhalationem tribuit Virgilius (VI, 237—241) et imitator loci Petronius; quod et ipsum accedere potuit ad alterum,

Digitized by Google

cum eandem naturam sulphurariæ aliæque in iis locis speluncæ habeant. Contagium tetri aëris fama olim in miraculum auxerat, ut aves adeo supervolitantes fœtore enectas decidere affirmarent. Vid. Strabo v, p. 244 B. Colles, quos diximus, variis perfossi specubus vias habuerunt subterraneas, caliginosas et tetras hospitibusque impervias, quarum binæ, sed et hæ fere obstructæ, supersunt, de quibus infra videbimus. Locus igitur apprime idoneus ad hominum animos religionum terroribus sollicitandos.

Specus olim fuisse in his locis plures, modo diximus, etsi terræ motibus ipsaque ætate multi corruerunt, ut adiri nequeant. Habet etiam littus circa Misenum cautes passim excavatas, quas a Lycophrone vss. 1278—1280 Ζωστηρίου τε κλιτὺν etc. innui puto. Admodum itaque probabile est, et opinioni fidem facit apud Strabonem lib. v, p. 244 D. Ephorus, cujus magna hac in re auctoritas est, cum ipse Cumanus diligensque scriptor fuerit, prisca ætate eas cavernas hominibus pro domibus fuisse (Troglodytis itaque illi accensendi), donec ad meliorem vitæ cultum procederent, natamque hinc esse de *Cimmeriis* fabulam Odyss. Λ, 13 sqq.; etsi tenebris illis perpetuis sylvæ quoque continuæ, quibus convalles montium obsitæ erant, majorem horrorem addere debuerunt.

Succedentibus temporibus locorum naturam superstitio suis usibus accommodavit, et *necyomantion* ibi institutum est, ut Manes evocati sciscitantibus fata prædicere crederentur, idque Homeri adhuc ætate auctoritatem habuit, qui Ulyssem ea loca adiisse narrat. Erant sacerdotes, qui sacra monstrarent, quibus Manes essent placandi (v. Strabo v, p. 244 C, ubi εἰσέπλεον parum accurate ex sua ætate dixisse videtur, ut Maximum Tyr. Diss. XIV aliosque omittam). Ex majorum vita servaverant sacerdotes morem, ut religioni ducerent solem videre, nec nisi noctu speluncis prodirent, ut Ephorus apud Strabonem l. c. D auctor est.

Tandem Manium sedes et ipsi inferi, quibus evocandis sacra in his locis fiebant, hic esse vel crediti sunt vel a poëtis narrati. Conf. Strabon. l. c. et Eustath. ad Odyss.

Digitized by Google

K pr., qui eum exscripsit. Habebat autem locorum situs et natura multa, quæ ad fabulam hanc seu fidem accommodari possent, quæ unum in locum congesta videbis ap. Lycophr. 695 sqq. Silium XII, 120 sqq., sicut omnino vetustiorum fabularum magna pars ad insolita aliqua naturæ phænomena, ad motus inprimis hiatusque terræ, ignesque montium continuos, aliaque naturæ miracula spectant. Cogitandum porro, loca hæc antiquiore ævo a paucis Græcorum fuisse adita, rerumque adeo miracula navigantium sermonibus insigniter fuisse aucta. Quis ferat adhuc in Lycophrone l. c. ad Acherontem montis jugum memorari, unde omnes Italiæ fluvii prodeant? Fuit autem totus hic tractus ignibus subterraneis, passim erumpentibus, aliquando infestus: cujus rei vestigia sunt manifesta plurima: specus, colliculi, crateres, lacus, alia: v. Hamilton. in Campis Phlegræis cum aliis, qui de focis Vulcaniis scripsere. Scatet totus ager inter Cumas et Baias bitumine, sulphure, et calidis aquis (v. Strabo l. c. p. 245 C. quod bene Silius expressit verss. suis lib. X, 134 sqq.). Super Puteolos campus est sulphure abundans, collibus inclusus, quibus passim soli spiraculis fumus et calor prodit. Notum est nomen inter veteres *forum* et *olla Vulcani*, nunc *Solfatara* seu Sulphuraria. Vide vel Mazzellam Antichità di Pozzuolo c. 7. Itaque mirum non est, modo Cyclopas modo Gigantas fulminibus percussos passim ad hæc loca referri, inprimisque campos Phlegræos, Gigantumque in iis pugnam. His ignis subterranei vestigiis accensendus ipse lacus Avernus, olim crater Vulcani (Hamilt. l. c. pl. XXIX). Non longe a Cumis *palus* est *Acherusia* (Plin. III, 6 'Acherusia palus Cumis vicina'), quam Silius X, 126—129 et XIII, 397 aditum ad Inferos esse prodidit, aquas habens ferrugineas, in solo sterili populis passim consito. Omnino 'loca fœta palustribus ulvis, Littora Cumarum' pronuntiat Ovidius Met. XIV, 103. Phlegethontis et Cocyti notionem animis attulere calidi passim fontes. Cf. Strabo l. c. p. 244 C, qui Stygis quoque aquam, ad quam oraculum conditum erat (καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυται), ibi fuisse ex Ephoro tradit. Cf. Odyss. *K*, 513. 514.

Digitized by Google

515. Accedebat specus ab Averno per collem demissus, quem qui emensus erat, in vallem prodibat, in qua lacus erat, Acheron dictus[1]; ex hoc iter ducebat ad *Campos Elysios*, amœnissimum locum, sepulcris passim consitum.

Tota loci facies nunc quidem quam maxime est mutata (cf. Addison's Remarks p. 167). Nam primum cum Agrippa portum Julium efficere vellet, ut Avernum Lucrino lacui jungeret, sylvam excidere jussit. Cf. Strab. v, p. 245 A. Tum anno a C. N. MDXXXVIII motu terræ, medio fere inter Lucrinum et Avernum spatio, extitit *novus mons cineritius*, de quo v. Capacc. Antich. di Pozzuolo c. 20. Olim, ut ex Strabone cognoscitur lib. v, p. 244 A, ora maritima ita his lacubus erat intercepta, ut Misenum in peninsulæ formam esset redactum. Plures tum cavernæ sunt oppletæ; aliæ ulterius ductæ, inter quas nobilissima a Cocceio. V. ibidem. Cf. Hamilton. Campi Phlegræi T. II pl. 28. 29, idemque in Philos. Transact. Vol. LXI, I, p. 15 sqq.

EXCURSUS III.

EADEM TOPOGRAPHIA AD MENTEM MARONIS.

Videamus nunc locorum situm, qualis a poëta proditus et exhibitus est, in quo ab Interpp. passim multæ magnæque turbæ fiunt.

Infra Cumas, sub promontorium Misenum appellunt Trojani. Eo enim ducunt omnia, ut non in Baiano, quod vulgo creditur, quodque alias narratum ex Aurelio Victor. O. G. R. c. 9 intelligitur, sed *in Cumano littore* Trojanorum classis stationem habuerit. Nec aliter Ovidius Met. XIV, 107 sq. tradit, ubi Virgilii vestigiis insistit. Procedit inde Æneas ad *Apollinis templum* et *Sibyllæ antrum*.

NOTA.

[1] Acherontem alii eum esse volunt, qui nunc Laco di Fusaro est. Alii ad Mare mortuum nomen transferunt.

Digitized by Google

Templum in monte esse debuit (v. 9 'ARCES, quibus ALTUS Apollo præsidet)'; nec longe a Cumis; itaque falsa est vulgaris opinio, dum ruinas templi Apollinis ad lacum Avernum ostentant hospitibus loci accolæ. Sed, si in monte Cumano fuit templum, iterum dubitari potest, an Cumarum colli impositum fuerit, et in ipsa urbe, quod Servius putavit. Silii quidem auctoritas parum me movet, lib. XII, 86, ubi Annibal Cumas oppugnans, adeoque urbe nondum receptus, dum perlustrat aditus, 'fulgentia cernit Arcis templa jugo;' nam nihil impedit, quo minus templum in summo arcis vertice positum etiam extra mœnia conspici potuerit. At graviorem dubitationem facit, quod in urbe media lucus et secreta religio Sibyllæ, quæ contigua erat templo, vix esse potuit, et quod, si id ponas, ceterorum locorum, inprimisque speluncarum, situs non satis convenit. Itaque Paolus, Vir doctissimus, in Puteol. Antiqq. fol. XXIX templi locum in montium jugo ad Cumas quærendum arbitratus, ejus ruinas *arcum felicem*, quem vocant, esse contendit. Ita *lucus Triviæ*, per quem via ad eum erat, in sylvis, quarum reliquias ille locus habet, et speluncæ in propinquo sunt. Ex iis tamen locis, in quibus de Apollinis Cumani templo agitur, in arce seu acropoli Cumarum illud fuisse manifestum fit. Scilicet cogitandum erat, Æneæ ætate urbem Cumarum nondum fuisse, nec extitisse tum nisi templum in monte; viam adeo per loca parum habitata et per lucum ad illud duxisse, et in latere montis horridos specus occurrisse.

Fuit autem hoc Apollinis templum ex antiquissimis, Dædali illud opus habitum (v. 14 sqq.) statuaque Dei colossea nobilitatum. Servius ad v. 9 h. libri: 'Cælius enim' (L. Cælius Antipater, qui belli Punici II historiam scripsit) 'de Cumano Apolline ait: Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV, cujus meminisse putatur Virgilius' (v. 9 *altus Apollo*; sed hoc a situ templi petitum. Altitudinem tamen non vulgarem habuisse templum necesse est, cum in eo signum tantæ magnitudinis collocatum esse potuerit, et cum v. 19 *immania templa* appellentur). De eo Cic. de Div. I, 43 'quid? cum Cumis Apollo sudavit?' et

Digitized by Google

Obsequens c. 114 'Cumis in arce Apollinis simulacrum sudavit' sub a. 662, ergo tum adhuc supererat. Alia de eo Apolline prodigia narrant Liv. XLIII, 15, Augustin. C. D. III, 11.

In ascensu ad templum *lucus Triviæ* fuit (v. 13), in quo ipso templum illud Apollinis videtur fuisse conditum. Dum Æneas argumentum in foribus templi sculptum contemplatur, arcessita ab Achate Deiphobe, Phœbi Triviæque sacerdos (v. 35); Teucros vocat *alta in templa*, v. 40. Hæc de Apollinis templo si accipias, totus rerum ordo turbatur; sed Sibyllæ antrum, *μαντεῖον*, intelligendum esse, manifestum fit; et subjicitur statim: 'Excisum Euboicæ latus ingens rupis' (h. e. montis, cui templum impositum erat) 'in antrum.' Cf. v. 9. 10 et sup. III, 443. Abest autem palmis CCXX ab *Arcu felici*, quas Apollinis templi ruinas esse diximus, crypta, communi opinione pro Sibyllæ antro habita. V. Mazzella de Situ Puteol. et Cum. c. 29. In interiore antri parte adytum, in quo Deiphobe Dei afflatum excipiebat; ipse Æneas ad ingressum antri substiterat: vide v. 45 'Ventum erat ad limen' et 81 'Ostia jamque domus patuere'—et 98 'Talibus ex adyto dictis'—

Jam, si Strabonis locum ex Ephoro, lib. V, p. 244 C, conferas, non uno loco olim *τὸ μαντεῖον* fuisse intelligas. Erat primum non longe a Styge situm, et *διά τινων ὀρυγμάτων—τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι* narrat sacerdotes, *πολὺ ὑπὸ γῆς ὀρυμένον*. Mox a rege aliquo interfectos sacerdotes, *τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι* (Ephori tempore, qui Philippi Macedonis tempore vixit) *συμμένειν μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον*. Poëta noster itaque ad antiquius illud oraculum respicere putandus.

Edoctus a Sibylla Æneas, aureo ramo opus esse, si loca infera ingredi velit, reversus ad littus, et Miseni corpore conspecto, ut illud cremaret lignis convectis, sylvam versus Avernum pererrat, inventoque ramo apportatoque ad Sibyllam, illa duce ad *speluncam* accedit, *diversam a priore illa*; etenim circa Avernum aditus ad eam v. 238. In hujus speluncæ aditu sacrum faciunt v. 242 sqq., a media nocte iter per eam ad Inferos instituunt, 255. 262. Postrema hæc ad

Digitized by Google

unam eandemque speluncam spectare videntur, quæ est *Baiana*, quam nunc appellant, quoniam versus Baias spectat. Nec probo Paolum, qui descensum quidem per hanc, sacra autem ad tertiam speluncam, *Cumanam*, facta esse (v. 237) contendit. Baiana illa superiore adhuc sæculo multo profundius et latius iter præbuisse videtur, si Mazzella (l. c. c. 15) et Mormile (Antich. di Pozzuolo c. 17) vera narrant.

EXCURSUS IV.

DE ÆNEÆ ACCESSU AD ITALIAM.

'Æneas ex Sicilia per Tyrrhenum Mare profectus, *primo* ad Italiam appulsu *portum Palinurum* subiit, qui *a quodam Æneæ gubernatore* ibi defuncto nomen accepisse fertur.' Hæc Dionysius ex communi scriptorum narratione tradit lib. I, 53. Virgilius nec hanc famæ veteris fidem prætermisit; ne tamen frequentiore appulsus commemoratione molestus esset lectori, alterum ad Cumas accessum attigit, Palinurum vero navi excussum ad littus Lucaniæ enatasse, sed a barbaris occisum piaculo finitimos obligasse narrat. 'Mox vero Lucanis pestilentia laborantibus' (verba Servii sunt ad VI, 378) 'respondit oraculum, Manes Palinuri esse placandos: ob quam rem non longe a Velia et lucum et cenotaphium ei dederunt.' Vide ipsum poëtam v. 378—381, qui etiam oraculi fidem de Palinuri accessu ad Italiam olim editi in fabulam assumsit. Veliam (Ἐλέαν) illo tempore nondum fuisse, bene observat Servius ad v. 359 'portusque Velinos;' nam condita ea fuit a Phocæensibus sub Cyro profugis, ut ex Strabone lib. VI pr. satis constat, nec tamen prolepsis talis tam insolens erat, ut viri docti post grammaticos apud Gellium l. c. X, 16 in defendendo vel accusando poëta tantum operæ ponere deberent. Operosus quo-

Digitized by Google

que in refellendo Ouwens Noct. Hag. lib. I, c. 2. Sufficit tenere, ipsam necessitatem has prolepses tueri, quoties narratio versatur in iis temporibus, in quibus nulla locorum appellatio est, aut ubi molestus foret poëta, obsoleta et a carminis suavitate aliena ac barbara nomina excitando. Quis dubitet, hanc defensionem esse satis justam! Verum ne *Lucani* quidem, quod Servius ait, illo tempore in his locis fuisse videntur. Fuerunt enim Lucani a Samnitibus, qui Sabinorum progenies erant, oriundi, neque in hæc loca venerunt, nisi postquam Græcorum coloniæ Italiam inferiorem occupare cœperant, id quod post Trojana demum tempora contigit; temporibus vero Trojanis *Chonas* et *Œnotros*, h. e. Pelasgos, e Græcia cum Ausonibus priscis Italiæ colonis permixtos coluisse, ex iis manifestum est, quæ Strabo lib. VI pr. exponit. Circa has enim partes a Lao inde fl. primo accessu Œnotros habitasse, hancque primam Italiam fuisse appellatam, alio loco vidimus. (Excurs. XXI ad lib. I. Excurs. IV ad lib. VII.)

Pergit Dionysius l. c. in vulgari, quam proponere volebat, narratione: 'Trojanos, a Palinuro provectos, ad insulam appulisse, cui a quadam Æneæ consobrina, quæ ibi obierat, *Leucasiæ*, seu, *ut fere scribi solet*, *Leucosiæ* nomen impositum sit' Communior fama ab una Sirenum, Leucosia, nomen repetit. Sed famam navigationis Trojanorum in mari Tyrrheno sequi maluerunt alii. Itaque etiam fuere, qui Trojanos ad Sardiniam adhæsisse traderent. Vid. Pausan. X, 17.

'Hinc evecti Trojani' (Dionys. ib.) 'in pulchrum ac profundum portum in Opicis' (qui Ausonum in his locis populus erat) 'delati sunt; extinctoque ibi Miseno, nobili quodam viro, portum ab eo *Misenum* denominarunt.'

De *Miseno* fabulam Virgilius magna cum arte intexuit carmini suo; sed ornatam et variatam, lib. VI, 149 sqq—235. Discessit ab aliorum, inter quos Cæsar fuit Pontificalium primo apud Victor. O. G. R. 9, fide etiam in hoc, quod non in sinu Baiano sed ultra Misenum versus Cumas classem appulsam esse voluit. Gubernatorem fuisse Æneæ

Digitized by Google

Misenum tradidisse videntur nonnulli apud Victorem, falsa remi tumulo infixi interpretatione, qui tamen nantæ tantum significationem haberet. Monumentum autem vetus tumuli, infixo remo cum tuba, ad istud promontorium esse debuit; etsi video hoc quoque a nonnullis tradi, ipsum promontorium navigantibus in alto speciem sepulcri præbere.

Cum Æneas ad loca hæc semel adductus esset a poëta, ingenii ad convertendas in rem suam veterum poëtarum fabulas præclari, *Necyiæ* ille *Homericæ* in his ipsis locis tractatæ memor, ut narrationem tamen variaret, non Manium evocationem sed ad eos descensum Æneæ comminisci maluit; *Homerico* tamen *exemplo* prælucente quodammodo etiam in his Odyss. Ω. Atque hic commode in *Platonicam doctrinam* incidit; de quo alio Excursu expositum est.

Quod autem ad *Sibyllam* spectat, hanc poëta ex antiquioribus, quæ tum vigebant, fabulis petiit, non primus excogitavit. En locum ex Victore de O. G. R. c. 10 'Addunt præterea quidam Æneam in littore (Baiano) Euxini cujusdam comitis matrem ultimo ætatis affectam, circa stagnum, quod est inter Misenon Avernumque, extulisse, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur' (nomen hoc a quopiam alio memorari nondum vidi; forte ab aliquo auctore proditum, qui Cimmerios, quorum sedem in his locis traditam viderat, a Bosphoro et mari Euxino huc vocaverat): 'cumque comperisset, ibidem Sibyllam mortalibus futura præcinere in oppido, quod vocatur Cimbarionis' (*Cumarum* non male emendat Arnzenius; an latet *Cimmerion*? Ita apud Tibull. IV, 1, 64 multi: Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces)' venisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum: auditisque fatis, vetitum, ne is cognitam' (ultimas duas voces, *is cognitam*, aut ex *incognitam* natas, aut aliunde irrepsisse puto, cum *cognatione conjunctam* interpretatus esset aliquis *cognatam*) 'in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi conjunctam, quam incolumem reliquerat; et, postquam ad classem rediit, reperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quæ nunc quoque eodem est nomine; ut scribunt Vulcatius et Acilius Piso.' Sed episo-

Digitized by Google

dium hoc de Sibylla, ut reliqua, ex priscis fabulis sumtum esse, multo magis declarat narratio apud Dionys. I, 55 de Sibylla Erythris ab Æneæ conventa, et Sibyllæ vaticinium ad Æneam a Troja solventem apud Tibull. II, 5, 19. Conf. Disquis. II, s. VII.

Quod modo de *Prochyta* contra Misenum insula ex Victore memoravimus, etiam a Dionysio Halic. I, 53 in medium prolatum est. 'A Miseno,' inquit, 'ulterius navigantes ad insulam *Prochytam* et ad promontorium' (recte enim emendata sunt Græca a Casaubono) '*Caietam* appulerunt iisque locis simili modo ac superioribus nomina imposuerunt, quod mulierum defunctarum servari per ea vellent memoriam. Harum vero alteram Æneæ cognatam fuisse ferunt, alteram nutricem. *Et Prochytam* de cognata Æneæ nomen accepisse *etiam* Nævius in primo belli Punici dixerat:' Serv. ad IX, 715. A Plinio Prochytam 'non ab Æneæ nutrice, sed quia profusa ab Ænaria erat,' dictam lib. III, 13 recte moneri putamus. Adde Strab. I, p. 60 A. et alia loca apud Cluver. Ital. ant. IV, 4, ed hic tantum de fama quærimus, quæ de Æneæ erroribus in his locis fuerit; materia tam copiosa, ut etiam omittere nonnulla poëtæ necesse fuerit, uti hoc *de Prochyta;* nam alterum de *Caieta* sub f. lib. VI et pr. VII meminit. De qua quæ varie a veteribus tradita erant, diligenter congesta video a Cluver. III, 10, p. 1065.

EXCURSUS V.

DEIPHOBE SIBYLLA ET SACERDOS.

VI, 35. 36 'Phœbi Triviæque sacerdos Deiphobe Glauci.' Sibyllam ab hac sacerdote diversam esse habendam, monent Holdsworthus et Spencius; nam usque ad v. 55 de Deiphobe sacerdote agi; tum Sibyllam, esse enim hanc *Phœbi*

Digitized by Google

vatem v. 77, vaticinari v. 82—155, hinc iterum succedere sacerdotem v. 244, eamque excipi a Sibylla a v. 258 sqq. ad f. Ad tam incommodam rationem deducti esse videntur viri docti inter alia maxime v. 258 *adventante Dea*, quod de Sibylla acceperant. Quod si nonnulla satis commode in istam virorum doctorum sententiam accipi possunt, tamen alia in multo duriorem, quam vulgaris est, rationem deflectuntur, ut vix ita videatur poëta obscuritatis reprehensione liberari posse. Nam v. 45 seqq. satis manifestum fit, ipsam sacerdotem a Deo afflari et agitari: 'cum VIRGO,—CUI talia fanti Ante fores subito non vultus non color idem.' Continuatur de ea narratio; necesseque adeo est v. 77 nullam aliam intelligi posse quam illam ipsam a Deo furore percitam Deiphoben. Quis itaque dubitet ejus esse vaticinium v. 83 sqq., neque aliam et diversam ab ipsa Sibyllam Cumanam esse v. 98! Nec in seqq. quicquam occurrit, quod nostris rationibus adversetur v. 102 sqq. 115 sqq. 125. Editur a sacerdote Sibylla responsum ut Delphis a Pythia furore correpta, postquam adytum ingressa est. Etiam apud Ovidium Met. XIV, 104. 106 sqq., qui locum hunc Virgilii expressit, ad unam fœminam omnia referuntur. Quod autem inter Sibyllas ex Varronis recensu apud Lactant. Inst. Div. I, 6 Deiphobes nomen non legitur, nolim adversus poëtam urgere, qui alios auctores, quam quos Varro legerat, habere potuit, quos sequeretur; ut sæpe factum vidimus in aliis, dum reconditam aliquam expromeret doctrinam Maro. Summa quoque omnino in nominibus Sibyllarum recitandis inter veteres est diversitas, ut ex iis ipsis, quæ ab Holdswortho congesta sunt, et jam olim a Salmasio Exercit. Plin. p. 52 et ab aliis, satis apparet; et in Sibylla Cumana parum sibi veterum historiarum fides constat. Vulgari errore illa *Cumis* Æolidis oriunda dicebatur; at Æolidis *Cume* est, *Κύμη*, non Cumæ: cum contra Italiæ Cumæ hæ etiam *Cyme*, *Cume*, poëtis dicantur. Erythris eam Cumas Italiæ venisse, unde etiam *Erythræa* est appellata, in libro de admir. §. 90. (c. 97) traditum est. Apud Tibull. II, 5, 19 ea Æneæ, *antequam a littore Trojano solveret*, vaticinatur. Quod si cum

Digitized by Google

lis, qui in coloniam exierant, ad Italiam accessit, multo utique serior illa Trojanis est temporibus; ut recte Livius I, 7 dixerit 'fatiloquam Carmentam ante Sibyllæ in Italiam adventum.' Itaque Erythræa seriorem Cumanam fecere alii, Demo vero nomine dictam apud Paus. X, 12, p. 828. Poëtæ tamen omnia hæc, temporibus adeo remota, in unum cogere licuit; ut etiam, relicta omnino defunctorum evocatione, ad Delphici oraculi exemplum Sibyllam templi sacerdotem et vatem constitueret. Quid? quod præterea tertia aliqua muneris parte eam impertiit, dum *luco circa Avernum*, quem *Triviæ* dixerat, tum *ipsi Averno* et *aditui* ad loca infera eam *præfecit*, ita ut pro duce descensus ad ea loca esse posset Æneæ v. 109. 117. 118 et 564 'sed, me quum lucis Hecate præfecit Avernis, Ipsa Deum pœnas docuit perque omnia duxit.' Constans saltem erat in Italia vetere narratio de Sibylla Cumana, et θάλαμος κατάγειος ejus Cumis monstrabatur, h. e. antrum, quod pro domo fuerat, apud Auct. de mirab. Audit. l. c., ubi et nomen ejus editum ab aliis Melachræna f. μελάγχλαινα. Hydriam, s. urnam, in qua ejus ossa condita essent, servatam Cumis in Apollinis templo, memorat l. c. Pausanias.

EXCURSUS VI.

RAMUS AUREUS.

VI, 136 sqq. Rami hujus aurei causas varias, mysticas quoque, veteres et recentiores excogitarunt. V. Servianam notam ad h. l. Metalli mutandi rationes hic quæsivere nonnulli, Borrichius et alii, inter quos Wedelius a Burmanno laudatur. Χρυσοῦ ὄζος—ἀδάμας, qui in Timæo Platonis (pag. 1066 B. ed. Frf.) memoratur, poëtæ ad talem rei imaginem nihil prodesse potuit: ex aqua condensata metalla et primo loco aurum, tum adamantem, porro æs, tum cetera genera

Digitized by Google

enasci narrat philosophus. A Dianæ Aricinæ sacris res repetitur apud Servium, ante cujus templum fuisse arbor narratur, unde si fugitivus potuisset ramum decerpere, sacerdoti cum homine pugnare necesse esset. Ritus pugnæ notissimus, vel ex Ovidii Fast. III, 268 sqq. At de arbore solum Servium tradere memini. Nec tamen id quicquam commune cum Avernalibus locis et ramo aureo Proserpinæ habere videtur. Latere aliquid occultæ religionis ex initiis Eleusiniis, si cum Warburtono conjectare velis, saltem ad sacrum ramum, quem mysta præfert, aut ad ramum lustralem, non ad myrteam coronam referri res debet; nam, ubi ad Proserpinæ domum accessit, Æneas 'corpus recenti Spargit aqua ramumque adverso in limine figit' v. 635. 636, ut suspicari liceat, ad lustrationem in sacris Deorum inferorum et Manium faciendam eum respexisse. Enimvero, ramo eodem aureo aquam sparsam et lustrationem factam, poëta non narrat; narrat tantum hoc: ramum in limine figi, et eum Proserpinæ munus ferri ex arbore ipsi sacra: v. 137. 142. 408. Qui poma aurea in Junonis nuptiis cum Jove memorata (v. Not. ad Apollod. p. 410) meminerit, intercedere in his seu cognationem seu similitudinem aliquam intelliget, ut Proserpinæ, tanquam Junoni inferæ, pro dono ramus aureus feratur, ut Junoni malum aureum. In Heracliis hoc ipsum malum forte eduxerat arborem Hesperidum, unde poma aurea decerpenda et ad Eurystheum, Junonis jussu, ab Hercule erant afferenda. Altera ex parte in Proserpinæ fabulis est comestio mali Punici, qua illa commisit, ut in Plutonis contubernio sibi manendum esset: v. c. Ovid. Met. V, 535 sqq. Hymn. in Cer. 371. Ceterum, nisi poëta noster ipse doni Proserpinæ ferendi mentionem expressam fecisset, alia esset eaque expeditior ratio, si *ramum iuvenis* solenne insigne ad animum revoces (vide v. c. inf. XI, 101), ut adeo *aureum ramum* præferens Æneas ad Proserpinam supplex accedat; aut, si Mercurii caduceum, *virgam auream*, memineris, qua alii poëtæ ad Inferos animas deduci narrant, v. c. Od. Ω, 3 ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν Καλὴν, χρυσείην; cum Mercurium adhibere hujus descensus ducem non posset,

Digitized by Google

auream virgam Æneæ assignare maluit. Ita facile intelligas, quomodo poëta ad hanc rei φαντασίαν devenerit. Ut *aureum* ramum in sylvis inventum esse proderet, in mentem venire potuit ex Apollonii Rhodii lectione de vellere aureo in sylvâ media lib. IV, 122 sqq.; nam et is sacer Hecates lucus erat. Deorum autem omnia sunt aurea, etiam in Delo χρύσειον-γυνήλιον ἔρνος ἐλαίης. Callim. in Del. 262. Ex vetustiore tamen seu Heracleæ seu Theseidis carmine ramum aureum petitum esse ex illo versu suspicor: 409, quo Charon miratur: 'donum Fatalis virgæ longo post tempore visum.' Igitur jam Hercules seu Theseus ramum aureum prætulerant manibus, cum ad Inferos descenderent. Ceterum hoc invento bene usus est Claudianus ad arborem auream in inferis locis florescentem, quæ inter alia Inferorum bona Proserpinæ a Plutone ostenditur de R. Pros. II, 290. Exornavit hoc arboris aureæ, quæ Proserpinæ sacra est, phantasma Spencerus Fairy Queen B. II, Cant. VII. LIII sqq.

EXCURSUS VII.

DE MISENO.

VI, 162 sqq. De *Miseno* narrationem intexuit propter fabulæ apud Italos auctoritatem. V. Excurs. IV ad h. lib., et habuit etiam Elpenoris exemplum, quod sequeretur, apud Hom. Odyss. Λ, 51 sqq. Molestum tamen hoc, quod duo commemorandi erant, qui eodem fato perierant. Quod eum *tubicinem* nobilem fuisse tradit, cf. III, 239, in hoc Homeri sui auctoritatem deserit; cum Trojanis temporibus nec tubam nec lituum inventum fuisse satis constet. Maluit itaque et hic tragicos sequi, v. c. Æschylum Eumen. v. 570, Sophocl. Aj. 17 et al. Mox v. 172 Tritonem cantu provocat Misenus. Hoc elegantissimo poëtæ ingenio deberi videtur, adumbratam ex similibus narrationibus apud veteres

Digitized by Google

poëtas, inprimis Homerum; cum in vulgari quoque priscorum hominum sermone, ut quisque in arte sua excelleret, ita modo artem a Diis accepisse, modo ea arte cum Diis contendere diceretur. Sic Thamyris cum Musis Iliad. B, 595 sqq., sic Pierides, sic Sirenes cum Musis, Marsyas cum Apolline, Eurytus arcu cum eodem Odyss. Θ, 224 sqq. certarunt. Passim hoc monitum ad Apollodorum.

EXCURSUS VIII.

CHOROGRAPHIA LOCORUM INFERORUM EX POETÆ MENTE.

Non injucundum esse potest, uno loco propositam habere animo totam locorum inferorum descriptionem, qualis illa a Virgilio hoc libro est exposita. Quæ alii seu imitando seu nova fingendo variarint, ut Seneca Herc. fur. 658 sqq., Valer. Fl. lib. I sub f. 827 sq. nunc non curamus. Tentavit jam idem Spencius et Jortinus Diss. VI, p. 258 præter alios Intpp. Nonnulla iterum tractavit Wernsdorf. Poët. min. Tom. II Excurs. XVIII. Res cum per se non inutilis esse potest ad poëtæ interpretationem, tum vero etiam iis grata esse debet, qui Dantis Infernum, partim ex Marone, quo is duce utitur, expressum, tum etiam aliorum poëtarum loca comparare volunt. Ita Silius XIII, 526 sqq. totam Inferorum descriptionem variavit, decem portis, et septis, puto, in iis constitutis; ut Platonis circuli ante oculos fuisse videantur; unde etiam Servius ad v. 426 suos novem circulos duxisse videtur, etsi alieno a Virgilii mente commento. Certe novem Dantis anfractus ad Platonis Virgiliique ductum junctim adumbrati sunt. Nam Silium ab eo lectum esse dubito.

Via quidem prima per speluncam, mox immensas per sylvas, caliginoso cœlo, ducebat ad amnem.

In *primo Orci aditu* (*πρόαστειον* dixeris, poëtæ *vestibulum*

Digitized by Google

est), citraque Acherontem, *Luctus*, *Curæ*, *Morbi*, *Senectus*, *Metus*, *Fames*, *Egestas*, *Letum*, *Labor*, *Sopor*, *mala Gaudia*, *Bellum*, *Eumenides*, *Discordiæ* sedem habere dicuntur v. 273—281 elegante mytho; quis enim non intelligat esse hæc mala, quibus Mors arcessitur, quæque illam vel antecedunt vel comitantur!

In medio *Somnia* in ulmo nidulantia, ad Homeri ductum. V. Not. ad 282—284. Quæ cum nocte conjuncta sunt, eadem cum locis inferis, uti cum ipsa morte, conjuncta sunt. Cum autem Hades *Ἀΐδης*, proprie, *qui cerni nequit*, locum faciat iis, quæ mentis vana fingendi vi excogitari possunt: monstra antiquissimorum vatum hic colloçantur. Itaque hinc inde hæc loca tenent *Centauri*, *Scyllæ*, *Briareus*, *Hydra*, *Chimæra*, *Gorgones*, *Harpyiæ*, *Geryon*, v. 282—289, ubi v. Not. ad 285. Omnino hoc proclive fuit, poëtarum seu sapientum animos in hoc phantasma incurrere, ut in aditu ad Umbrarum loca phantasmata ista et monstra collocarent.

Perventum est ad *amnem*: quem 384 *Stygem*, 295 *Acherontem* vocat. De hoc mox sigillatim dispiciemus, Excurs. IX. Petitum est phantasma hoc a regnis ac provinciis, quarum fines per magna flumina reguntur. Ex priscorum poëtarum opinione Oceanus terrarum orbem more amnis ambiens in occidentali parte, Solis occidentis, Noctis, Somni, ædes, tum Elysium, tandem aditum ad loca infera continebat (cf. Opusc. T. I, p. 397 sqq.): Flumine autem circa Orcum ducto, aditus non erat nisi navi trajiceres; ad hanc regendam inventus portitor. Prætermittimus de Charonte monere nondum ab Homero memorato, cf. sup. ad v. 417, et de insepultorum umbris ab amnis trajectu prohibitis. Conf. ad v. 325.

Trans amnem, adverso littore *Cerberi antrum* est 415 sqq., quod prætergressus Æneas ad *prima loca* devenit. Inhabitant hæc loca *infantes* v. 426—429 et qui *insontes* aut *mortem illatam acceperè* aut *sibi ipsi intulere* 430—439. Quid in his secutus sit poëta, v. Not. ad v. 430.

Non procul hinc *Campi Lugentes*, seu lugentium sedes: quas tenent illi, *qui luctuosa morte interiere*: 430—476. Ex his inprimis memorantur *heroinæ et fœminæ claræ veteris ævi*,

Digitized by Google

interque eas etiam *misere amantes*. Vulgo quidem ab Intpp. *misere amantium* sedes esse traduntur Lugentes Campi. Enimvero sic magna difficultas oritur, quomodo Eriphyle et Cænis inter misere amantes referri possint. Sed iniqui in poëtam videntur esse viri docti: v. Notam ad v. 440 sqq. Ita scilicet dispescenda est oratio v. 439 sqq. *Hic—Lugentes Campi:—Hic* primum, *quos durus amor* etc. Tum *his Phædram Procrinque locis* etc.

Contigua illis et, si recte intelligo, in extrema Camporum, quos Lugentes tenent, parte sita est sedes *virorum bello clarorum* et inter pugnandum cæsorum: *Arva ultima* v. 477—539. Ita excipiunt se loca eorum, qui morte haud matura interiere, infantum, heroinarum, heroum: commune omnibus hoc, quod debitum vitæ tempus non exegerunt.

Itaque trina illa loca citeriora omnino eorum animas continent, qui immatura morte obierunt; etsi poëta non satis subtiliter hæc tractavit, nec adjecit, sintne illi aliquando, expletis fatalibus annis, quos anteverterunt, ad Elysium perventuri; sed in hoc tantum laboravit, ut, quæ passim apud Græcos poëtas de locis inferis memorata videbat, in hæc loca conferret, inprimisque Homeri exemplo heroum heroinarumque clara nomina intexeret. Hactenus igitur Haden vidimus mythicum ac poëticum. Ad statum aliquem medium inter pœnas et præmia hæc redigere allaborat Trappius cum aliis; nec tamen rem ad Virgilii quidem mentem expediunt.

Hinc *duæ viæ* (natæ forte ex τριόδοις Platonis in Gorgia pag. 857 A. Frf. Steph. p. 524 A.), altera ad *Plutonis regiam*, eamque prætergressos ad *Elysium*, ducit, sinistra vero ad *Tartarum* 540—543.

Dum ad Plutonis regiam procedunt, a sinistra *Tartarum* ostentat et describit Deiphobe, 548—627. non autem intrat: v. ad vs. 573. In hunc transtulit omnia poëta, quæ veteres de Tartaro, in quem Titanes fuerant detrusi, fabulati erant; v. Hesiod. Theog. 720 sqq. cf. Iliad. Θ, 14 sqq.: porro nonnulla ex Platonica Tartari descriptione, in Phæd. p. 83, atque etiam ex sulphurariis circa Cumas, quas latius orna-

Digitized by Google

vit Petron. c. 67. v. 120. Fatendum tamen, multo inferiora esse hæc omnia terroribus Tartari, quem Miltonus descripsit lib. I et II, et Teutonum Miltonus, Messiadis conditor, lib. II, varietate autem rerum ac specie haud dubie Dantes admirabilis in Inferno suo, Cant. III sqq. In vestibulo Tartari Tisiphone sedet. V. ad 573—579. Subjecit hæc Miltoni ingenio præclarum phantasma de custodibus Orci, Peccato ac Morte, lib. II, 650 sqq.

Ceterum quod Tartarum suppliciorum locum prodidit poëta, hoc philosophis, inprimis Platoni, debuit. Nam apud Hesiodum et Homerum Tartarus est carcer Titanum et Centimanorum cum Cyclopibus, qui Uranidis accensentur. cf. Apollod. pr. At loca infera, Hades, Erebus, continent animas piorum et impiorum promiscue: ut ex Necyia Homeri constat: in qua iisdem locis heroës habentur et simul Orion, Tityus, Tantalus, Sisyphus, et cum iis Hercules. Multo magis mirum in modum miscuit ea, quæ in Orco collocaverat, Polygnotus in tabula Delphica ap. Pausan. X, 28 sq. Idem v. c. Eurynomum Genium apposuerat, qui mortuorum carnes ad ossa usque arroderet: ut adeo ex ejus opinione non umbræ sed carne vestitæ animæ ad Inferos descenderent. Etiam Ocnum cum asino ille iisdem in locis pinxerat. Tam parum subtilioris judicii antiquiores in fingendis rebus hisce adhibuerunt, quibus satis erat, monstrorum terrores cumulare. Mireris ipsum Horatium, ubi loca infera omnino nominanda erant, ad quæ omnibus migrandum est, memorare Cocytum, Danaides, Sisyphum, et paulo ante Geryonem cum Tityo: Carm. II, 14. in quorum consortium venire nemo optet. Nunc diversa loca videmus esse Elysium et Tartarum. Etiam in scelerum recensu disertior est poëta, quam antiquiores: qua de re vid. Not. ad VI, 608. Omnino, quo magis expoliti philosophia fuere animi, eo melius dispescuere narrata de rebus inferis. Accommodari enim hæc solent ac debent populorum, ætatum, et singulorum hominum ingeniis.

Jam ad *Plutonis regiam* perventum est. Sapienter hanc omnino prætermisit poëta, nec in illam sive ornatus sive

Digitized by Google

narrationis quicquam consumsit præter paucos versus v. 630 sq. Nam rem a consilio alienam tractasset et in summas angustias sese immisisset poëta, si Jovem inferum exhibere voluisset; nec majestatem Dei quomodo satis tueretur, in promtu habuisset. Integrum itaque reliquit hoc argumentum Claudiano, Tasso, Miltono, Messiadisque auctori. Intrat tamen Æneas *vestibulum regiæ*, lustrat se, et ramum aureum in foribus figit v. 634—636, ubi cf. Not.

Præter regiam Plutonis via ad *Elysium* ducit. Apud Aristophanem Ran. 162. 163 de initiatis: *Οὗτοι γὰρ ἐγγύτατα παρ' αὐτὴν τὴν ὁδὸν Ἐπὶ ταῖσι τοῦ Πλούτωνος οἰκοῦσιν θύραις.* Sunt autem initiatorum sedes nullæ aliæ quam Elysium. Hoc itaque non longe a Plutonis regia abesse traditum forte in Eleusiniis, ut colligere licet ex scurrili Aristophanis insectatione initiorum. Hesiodus Plutonis regiam in vicinia Tartari collocaverat. Nam ante Tartarum Atlas stat cœlum sustentans; ibidem Diei et Noctis ædes, circa quam Noctis liberi habitant, Somnus et Mors. *Ἔνθα*, pergit, *θεοῦ χθονίου πρόσθεν δόμοι ἠχήεντες Ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης Ἑστᾶσιν*, ante has Plutonis et Proserpinæ ædes excubat Cerberus. Nec procul hinc antrum incolit Styx. Theogon. 767 sqq.

De *Elysio* satis dictum est ad ipsum poëtam v. 637 sqq. In ejus convalle *Lethe* est, ad quam convocantur animæ novum corpus ingressuræ v. 675. 679 sqq.

Secundum ea, quæ poëta v. 739 sqq. de purgatione animarum narrat, *locum* aliquem in Inferis requiras, *quo illa purgatio instituatur*. Sed de hoc nihil commemoravit Maro.

Aditum ad *Inferos* supra vidimus. *Exitum* per *Somni portas* monstrat Æneæ Sibylla sub f. lib., ubi de eo vide.

Digitized by Google

EXCURSUS IX.

DE FLUMINIBUS INFERORUM.

VI, 295—297 'Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas. Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.' Mox in eadem re 323 'Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem.' Et 'unda Stygia' 385. 391. Et sup. v. 107 'quando hic inferni janua regis Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso.' 132 'Tenent media omnia sylvæ, Cocytusque sinu labens circumvenit atro. Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est, Bis Stygios innare lacus.' Mire seu turbant seu variant in fluminibus inferis poëtæ. Etsi non facile aliquis ad historicam veritatem hæc, quæ ingenii poëtici commenta et narrationis ornamenta sunt, exigat; de Virgilio tamen videndum, temerene ille fluminum nomina posuerit; an certam rationem secutus sit. Jam Cerdæ aliqua hanc in rem nota est non indocta, ad v. 295; sed in plerisque argutias captat.

Duo omnino duces hoc in loco habuit Virgilius, Homerum et Platonem: qui *trajecto Oceano* Haden adiri narrant; cum aliis *descensus per specum* profundum ad loca infera narretur, ita ut in primo e specu egressu amnis objectus sit. Alter Odyss. *K*, 513—515 *Phlegethontem* cum *Cocyto*, quorum hunc quidem *Stygis* facit *partem*, in *Acherontem* deferri narrat, et esse petram eo loco, quo duo fluvii committantur. Platoni autem in Phædone vetustiorum Theologorum exemplo (vid. Hesiod. Theog. 740 sqq. 807 sqq.) *Tartarus* vorago est, in quam omnia flumina aquarum confluunt et inde rursus effluunt. Sed tamen quatuor inprimis orbem terrarum circumfluunt, *Oceanus* unus in extima parte; huic ex adverso *Acheron*, qui in paludem Acherusiam defertur, interque duo illos interfluit *Pyriphlegethon*, qui paludem igneam emensus post multos flexus, ubi Acherusiam paludem et ipse ambiit, infra Tartarum demittitur; et alter, huic

Digitized by Google

ex adverso fluens, *Cocytus*, qui primum in Stygiam paludem ingressus, mox, ubi post multos flexus ad Acherusiam paludem pervenit, hanc et ipse ambit et in Tartarum se præcipitat. Ita *Acherusia palus*, quam Acheron facit, in medio est, in quam impii deferuntur, et sic porro. Notionem me non satis claram talis locorum situs habere, lubens fateor. Commentum, a Socrate expositum, ab antiquioribus haud dubie acceptum erat; nam in initiis simile dogma seu mythus frequentatus esse debuit. Nempe quod eorum, qui initiati non essent, animæ ἐν βορβόρῳ κεῖσθαι apud Platonem et alios (conf. Menag. ad Diog. Laërt. VI, 39) dicuntur, ad hanc ipsam paludem, cui innatant animæ, erat referendum a Moshemio ad Cudworth. p. 1049. Ex Platonicis autem istis fluminum anfractibus natum videtur, ut loca infera, in regni et provinciæ formam redacta, fluviis ambita et inclusa esse vellent poëtæ pluribus; etsi Homerus id non habet. In altero Socratico dialogo, Axiocho, qui Æschini tribui solet, sub f. Plutonis regnum adeunti primo loco objicitur fluvius *Acheron*, tum *Cocytus*, quibus trajectis ad Minoëm et Rhadamanthum via ducit.

Ad hoc itaque aut simile exemplum poëta, etsi alias nomina ab eo temere poni non negem, hac tamen in narratione, in qua descriptionem locorum edit, primo loco videtur *Acherontem* ponere adeundum, vorticosum fluvium, qui ex imo fundo erutam æstu suo *arenam omniem Cocytò eructat*, ita ut in Cocytum egeratur illa, *Acheronte in Cocytum se* exonerante. Verba Virgilii imitatur Silius XIII, 571, 572 ‘Tristior his Acheron sanie nigroque veneno Æstuat et gelidam eructans cum murmure arenam Descendit;’ sed in summa rei a Virgilio discedens. Alter igitur fluvius *Cocytus* est, qui et ipse ambit regna infera; unde sup. 132 de aditu ad infera loca: ‘tenent media’ (inter illa et has superas oras) ‘omnia sylvæ, Cocytusque sinu labens circumvenit atro;’ tertia et interior *Styx* est, tarda et paludi similis; unde passim *palus*, *lacus*. Vide VI, 134. 369, item 416; etsi omnes illi amnes, quatenus multos errores faciunt, et in orbem regna infera circumfluunt, etiam hactenus stagna et lacus facere videri pos-

Digitized by Google

sunt. Styx autem *novies* h. e. sæpius flexus suos repetere dicitur VI, 438. 439. Georg. IV, 478—480, ubi Cocytus cum Styge memoratur.

Ternos hos fluviorum anfractus trajectu opus, antequam ad ulteriora pervenias; etsi, ubi de Charontis transvectione agitur, non facile poëtæ de triplici amni terras inferas ambiente cogitant, et melius unum tantum fluvium nominant: plerumque Stygem aut Acherontem. Nec aliter ipse Maro VI, 107 et al. 374. 391. Sic et unus in Polygnoti tabula Acheron apud Pausan. X, 28. Vectorem autem Charontem, etsi post Homerum, facile commenta est antiquitas, cum semel hoc probasset, ut flumina trajicienda essent adeuntibus loca infera. Neque adeo ex Ægyptia religione et lacu Mœride illum adumbratum esse necesse est; quin potius Græculi seriores Ægyptiam priscam religionem in hanc partem interpretati esse videntur.

Ceterum in Acheronte ad loca circa Cumas respexisse poëta recte existimatur et spelunca Cumana duxisse fertur ad *paludem Acherusiam* sub Miseni promontorii extrema ora. Ejus paludis vulgo vestigia habere creditur *Lacus Coluccius*, sed probabilior est Paoli sententia, qui ad *Mare mortuum* refert *paludem Acherusiam* fol. 28. Alii poëtæ Virgilium auctorem in his Inferorum amnibus deseruerunt. Conf. v. c. Senecam Herc. fur. 680. 686. 709 sqq. Silium X, 116—121, qui Cocytum in Lucrino et Stygem in Averno quærit, viam autem ad Inferos per Acherusiam paludem. De fluviis Inferorum locus etiam præclarus est Miltoni lib. II, 574 sqq., dignus qui comparetur; at de etymologia nominum, quæ his amnibus indita sunt, v. loc. Apollodori apud Stobæum: in Fragmentis Apollod. pag. 1047 sqq., ubi p. 1050 locus Sophoclis e Polyxena sic videtur constituendus, ut pro ἐ τὰς legatur Ἀκτὰς et altero versu λιποῦσα λίμνης ἦλθον ἠχούσης γόους Ἀχέροντος ὀξυπλῆγας ἄρσενας χόας. p. 1051 ἀπὸ τοῦ γοργῶς φαίνεσθαι leg. γοργὰ φ., et pag. 1053 l. 3. στερεμνώδη, et l. 5. καμόντων; ultima e Cod. Stobæi Escur. suppeditavit doctiss. Tychsen.

Digitized by Google

EXCURSUS X.

DESCENSUS AD INFEROS AN EX INITIIS ELEUSINIIS SIT ADUMBRATUS.

Dum in loco hoc nobilissimo de descensu Æneæ ad Inferos versamur, etsi, unde poëta materiam ejus ornatumque petierit, satis declaratum esse videtur; tamen Warburtoni, Viri Summi, Glevi seu Glocestriæ Episcopi, sententia prætermittenda a nobis non est, quæ in Commentariis de Mosis divina legatione (Tom. I, lib. II, S. 4) olim exposita, præfixa quoque est Tom. III Virgilii Wartoniani. Redit autem illa huc, nihil ut aliud hoc ad Inferos descensu repræsentari a poëta contendat, quam *initia Æneæ* et *descriptionem pompæ* (θειᾶς) *Eleusiniæ* eorum, qui initiarentur, oculis exhiberi solitæ. Placere poterat doctrina hæc vel novitate sua, vel ingeniosa viri doctissimi exornatione, vel ipsa veri fiducia, cum qua ab eo exposita est. Neque id negari velim, nihil omnino narrationi Virgilianæ cum Eleusiniis initiis esse commune. Illud enim ex multis passim veterum locis, maxime ex Aristophanis Ranis, loco, quo Bacchi ad Inferos descensus exhibitus est, Claudiano de R. Proserp. lib. I, 619, Pausania lib. X, p. 876, Luciano in Cataplo, Themistio apud Jo. Stobæum et al. satis constare videtur, iis, qui initiarentur, symbolica aliqua repræsentatione piorum impiorumque præmia ac pœnas post hanc vitam fuisse propositas, resque inferas, Tartarum cum Elysio, monstratas, eadem fere specie, qua in sexto Æneidis libro exhibentur. Etsi vero hoc manifestum est, cum tamen repræsentatio illa Eleusinia, ut ex iisdem locis intelligas, ad vulgares fabulas, philosophorum vetustiorum doctrina primum in Græciam illatas, attemperata fuerit; non minus demonstrari posse velis quoque hoc, Virgilium non aliunde suam inferorum locorum descriptionem petiisse, eumque Eleusinias

Digitized by Google

ceremonias vulgare aut voluisse aut potuisse, cum nec ipsum iisdem sacris initiatum esse constet, nec, si hoc constaret, talis impietas in castissimum poëtam cadat, ut arcana, quod nefas erat, ad profanos efferre voluerit. Sed ne in ingeniosa hac Summi Viri hypothesi retexenda immorandum sit, otium fecit vir doctus,[1] qui eam in singulari libello (Critical Observations on the sixth Book of the Æneid, Lond. 1770.), paulo acrius quam velis, perstrinxit. Hoc equidem inter cetera doctissimum Præsulem posuisse nolim, quandoquidem id alienissimum est ab Æneidis, omnisque carminis epici, natura et consilio, poëtam, Platonis ac Ciceronis exemplo, rempublicam carmine epico condere, Æneamque legumlatoris perfecti exemplar proponere voluisse; quoque modo Homerus ethicum, ac Miltonus religiosum ediderint, ita a Virgilio civile seu politicum epos conditum esse. Nec minus leve et infirmum est, quod altero loco posuit, nullum legibus ferendis idoneum virum olim fuisse, quin arcanis sacris initiatus esset. Quotus enim quisque inter Minoës, Charondas, Zaleucos est, quem Eleusiniis initiis imbutum esse quisquam tradiderit? Quæ omnia cum sine auctore prodita sint, tum Eleusinia initia ab Æneæ temporibus et ætate aliquantum sunt remota, ad Avernum autem Necyomantium quidem aliquando inclaruisse narratum est, initia autem ulla in his locis fuisse, nec traditur, nec probabile fit. Perit tandem omnis epica vis et poëtica suavitas, si res a poëta narrata ad allegoriam revocetur.

NOTA.

[1] Fuit is, clarissimus historiæ Romanæ seriorum temporum conditor, Ed. Gibbon, quod ipse professus est, cum memoratione hujus censuræ nostræ. V. Miscellaneous Works of Ed. Gibbon, 1796. Vol. II.

Digitized by Google

EXCURSUS XI.

DE JUDICIBUS APUD INFEROS.

VI, 431—433 'Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes. Quæsitor Minos urnam movet: ille silentum Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.' Minos itaque, e Maronis mente, in primo statim ad Inferos aditu, cognoscit de advenientium animarum causa, sorte ac sede assignanda: fere ut apud Platonem in Gorgia est is, qui ceterorum judicia inspicit ac regit: v. paulo post dicenda. In judicibus seu quæsitoribus locorum inferorum poëta peculiarem rationem sequitur, quod non omnes in uno loco constituit, sed singulos in diversis partibus: in primo septo Minoëm v. 432, at Rhadamanthum in Tartaro v. 566. Mythus hic omnino aliter post Homerum tractari cœpit, aliter ab ipso Homero. Nam is Minoëm obiter inter ceteras ab Inferis excitatas animas nominat; θεμιστεύοντα tamen νεκύεσσιν ἥμενον, adeoque judicem; eo scilicet, ut id agat apud Inferos, quod in hac vita persequi erat solitus: ut alii heroës alia: dum equos agitant, armis certant, et sic porro. At Rhadamanthus in Elysio versatur, tanquam pius heros, Odyss. Δ, 564. Apud Pindarum autem idem est Κρόνου πάρεδρος Olymp. II, 137 sq., et quidem, ut ex loco apparet, assessor juris dicendi causa; scilicet heroico ævo ipsi reges jus dicebant. Itaque Homerus in locis inferis unum Plutonem exhibuit, cum Proserpina, ut Jovem et Junonem e Superis æmularetur. Pœnas infligunt regis jussu Erinnyes, v. c. Iliad. I, 565—567. Fabula adeo de trinis judicibus Inferorum post Homerum, forte et post Pindarum, inventa est; eo ævo adoptata, cum reges non amplius ipsi jus dicerent, sed darent judices; aut cum in civitatibus Græciæ judices selecti constituerentur. Si Minoëm et Rhadamanthum Creta esse oriundos reputes, a Cretensibus vel a poëta aliquo, qui Creticas fabulas sectatus erat, primum eos in

Digitized by Google

Plutonis regno judices constitutos esse suspicari licet. Æacus vero ultimus accessit, forte ab Homerico aliquo poëta surrogatus, in Achillis honorem, cujus avus erat Æacus. In Axiocho duo tantum in Campo Veritatis sedent judices, Minos et Rhadamanthus; at in Gorgia (p. 357 A. Frf. Steph. p. 524 D.) tres: Asianos quidem judicat Rhadamanthus, Europæos Æacus, Minos autem ἐπιδιαιρίνει, recognoscit et regit judicia istorum; et in Apolog. Socr. sub f. cum tribus illis Triptolemus et alii heroës, qui juste vixerunt, judicia inter animas exercent.

Post hos omnes nova ratione Virgilius judicium hoc ex Romano judiciorum more ordinat. In causa capitali *judex quæstionis* sedet seu prætor, quæsitor, cui ea quæstio sorte obtigit (nam de quæstione extra ordinem mandata hic non agitur), sive is, cui ille delegavit quæstionem. Assident ei *judices selecti*, qui, sortitione nominum ex decuriis a judice quæstionis facta, causæ cuique contigerunt. Fit *judicium* et de causa cognoscitur. Audit Quæsitor dicentes causam, interrogantur testes ('vitasque et crimina discit;' nam *docere, discere, nosse causas*, vocabula juris propria sunt); mittuntur judices in consilium, feruntque sententiam.

Ad hunc itaque modum poëta faciem judicii constituit. Videamus de singulis. 'Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice, sedes,' sed potius judicum sortito datorum sententiis. Hinc *Quæsitor Minos urnam movet*, sortitur judices. Male hoc ad causarum sortitionem referunt Servius, Pompon. Sab. et alii. Poterat vel Senecæ imitatio errantes revocare Herc. fur. 731 'Non unus alta sede quæsitor sedens *Judicia* trepidis sera *sortitur* reis. Aditur illo Gnossius Minos foro, Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.' Ad sortitionem causarum, quo ordine inducendæ sint, respicit idem Agam. 24 quos—'Quæsitor urna Gnossius versat reos.' Idem alio loco: 578 'et qui fronte nimis crimina tetrica Quærunt ac veteres excutiunt reos, Flentes Eurydicen juridici sedent.' Sic quoque apud Propertium Æacus sedet quæsitor et sortitur judices: IV, 11, 19 'Det pater hic umbræ mollia jura meæ' (Pluto mitem de me sententiam ferat):

Digitized by Google

'Aut si quis posita juxta sedet Æacus urna, In mea sortita vindicet ossa pila' (h. aut quæsitor ab eo extra ordinem datus cognoscat de me: 'pila sortita' de sortitione judicum facta, pilis in urnam conjectis. 'Vindicare in ossa' insolenter dictum, ut alia a Propertio). 'Assideant fratres; juxta Minoia sella; et Eumenidum intento turba severa foro.' (Sint assessores fratres Rhadamanthus et Minos: f. fuit: 'Assideat frater, juxta et Minoia sella,' sc. sit, stet, pro ipso Minoë). Porro Quæsitor Minos, sortitione judicum facta, 'silentum Concilium vocat,' die dicto citat reos ad judicium (conf. Var. Lect.), 'vitasque et crimina discit,' audita utriusque partis oratione.

Jam *Rhadamanthus* longe alio loco ac modo constitutus est in Tartaro; non tam judex aut magistratus, qui quæstionem exercet, et causas capitales persequitur; ut Minos; sed qui Triumvirorum capitalium more sententias judicum exequitur, supplicium sumit, et idem de inferioris ordinis hominibus, furti, grassationis, sacrilegii, reis cognoscit; itaque idem tormenta adhibet, scelerum convictos quæstione admota fateri cogit occulto perpetrata: v. 566 'Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos, subigitque fateri, Quæ quis apud superos, furto lætatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem.'

Iisdem judicibus apud Inferos alii aliter usi sunt; nemo liberius Luciano in Cataplo et alibi. Proxime ad Maronem, ut tamen *Principis Romani cognitionem* adumbret, Statius Theb. VIII, 21 sq. 'Forte sedens media regni infelicis in arce Dux Erebi populos poscebat crimina vitæ.—Stant Furiæ circum variæque ex ordine Mortes, Sævaque multisonas exercet Pœna catenas' (tanquam apparitores, carnifices, servi publici). 'Fata ferunt animas et eodem pollice damnant' (Parcæ s. *Μοῖραι* accusant et rapiunt animas ad tribunal Plutonis, et accusatione sua movent judicem, ut reos condemnet: 'pollex' referendus ad gestum dicentis. Notus, 'infestus pollex'). 'Vincit opus' (incredibilis est causarum multitudo). 'Juxta Minos cum fratre verendo

Digitized by Google

Jura bonus meliora monet' (tanquam Jureconsultus aliquis, qui Principi cognoscenti adest seu assidet in consilio) 'regemque cruentum Temperat.'

EXCURSUS XI.*

ORGIA BACCHICA POETARUM USIBUS INSERVIENTIA.

VI, 517—519. 'Illa,' (Helena) 'chorum simulans, evantes orgia circum Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.' Commendavi in Nota hoc, seu antiquioris seu nostri poëtæ, inventum, quod probabilem aliquam rationem apponit, quomodo fieri potuerit, ut Helena face ex arce sublata Achivis signum daret urbis capiendæ. Inter orgia enim noctu habita facibus accensis inter discursitationes bacchantium facile latere potuit perfida mulier facem exitiosam tollens. Nec male Bacchicus thiasus convenit nocti inter tripudia et cantus exactæ, cum obsidionem solutam esse crederent Trojani. V. Quint. lib. XIII pr. cum omnino solenne sit poëtis, gaudia et choreas in lætitia publica cum thiasis Bacchi aut comparare aut confundere; arripiuntque illi hæc tanto cupidius, quia nec in poësi nec in cœlatura quicquam est, quod plura magisque variata ornamenta suppeditet. Poëtam ad phantasma hoc adducere potuit, vel unus Euripidis locus in Troad. 542 ad 554. Enimvero est alia observatio, quam adjungam ad inventum Maronis tanto melius perspiciendum. Tragicorum mos fuit, tum etiam aliorum poëtarum, utendi orgiis Bacchicis ad exequendas res occulta fraude peragendas. Sic apud Euripidem in Antiope Dirce, discursitatione per sylvas inter orgia, potita erat Antiopa (qua de re disputata vide ad signum Tauri Farnesii quod vocant, Antiquar. Aufsätze II St. p. 206 seqq.) Sic in Ino Eu-

Digitized by Google

ripidis Athamas, superinducta altera uxore Themistene, resciscit Inonem in Parnasso bacchationi interesse, et ea sic deprehenditur: cf. Hygin. f. 4. Etiam in Athamante et Phrixo Sophoclis orgia Bacchi ad furorem injiciendum fuisse adhibita intelligitur ex iis quæ apud Hygin. et alios leguntur. Fuit quoque Helena a Paride inter orgia Bacchica rapta apud Lycophr. 106, ubi v. Schol. ad 93. Etiam in fabulis, quæ Λήμνιαι inscriptæ erant, qualis Sophoclis fuit, Thoantem patrem Hypsipyle inter orgia Bacchi incolumem abduxerat: narrat rem ornate Valer. Fl. I, 264 sqq. Et in insula Scyro Achilles inter fœminas latitans deprehenditur ab Ulysse tripudiis inter orgia: v. Statius Achill. I, 593. 608. II, 152. Ne Prœtidum sanationem per orgia institutam a Melampode commemorem apud Apollodor. II, 2. extr. Manifestum fit, e Tragicis profecisse poëtam in loco præclaro inf. VII, de Amata, quæ Laviniam filiam Turno promissam nuptiis cum Æneæ subducere volens: 385 'Quinetiam in sylvas, simulato numine Bacchi—Evolat, et natam frondosis montibus abdit; Quo thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur: Euoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum, Vociferans' etc.

EXCURSUS XI.**

TEMPORA DESCENSUS ÆNEÆ AD ELYSIUM.

VI, 585—589. 'Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis Jam medium ætherio cursu trajecerat axem: Et fors omne datum traherent per talia tempus; Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est: Nox ruit, Æneæ; nos flendo ducimus horas.' Obscura est in his temporis notatio; multoque magis, si superiora et totum rerum narratarum ordinem expenderis. Scilicet difficultatem facit hoc, quod tempora descensus ac reditus ex Inferis a poëta

Digitized by Google

non discrete satis constituta sunt. Sumere licet duo: alterum, una eademque nocte hæc geri, alterum noctibus diversis; atqui utrumcumque ponas, sunt, quæ parum conveniant. Ex notionibus veterum satis constat, quicquid ad Deos inferos, ad Manes, ad sacra magica, spectaret, *ad noctem* referri; die orto omnia hujus generis finiri solent. Cum ecta solis Manes ad loca infera redeunt, v. c. sup. lib. v, 738. 739. 537. Cf. ad VI, 255. Homericos versus compara Odyss. *II*, 220. *Φ*, 226. Ad communes itaque notiones etiam interpretatio est moderanda.

Ipse poëta temporum notas dedit has, sacrum fieri *noctu*: 252 'nocturnas inchoat aras.' Tum litatur, sacrum fit ratum, preces exaudiuntur, aditus ad loca infera patet: 'primi sub lumina Solis et ortus' 255—et confestim viam ingrediuntur Æneas et Sibylla *ante diem ortum*. Peragrata sunt loca inde a primo ingressu ad Plutonis regiam quæ prospicitur, et a læva Tartarus: tum interponitur 596 'Hac vice sermonum' (inter Æneam et Deiphobum) 'roseis Aurora quadrigis Jam medium ætherio cursu trajecerat axem.' Itaque Sibylla affatur eos: 'Nox ruit, Ænea; nos flendo ducimus horas.'

Si verba poëtæ interpretando sequeris, non nisi de *eadem illa nocte* accipi hæc possunt, *qua sacra, cum ipso descensu, facta sunt*. Exigunt hoc rationes grammaticæ. Aurora facit decursum suum quadrigis ab oriente evecta non alio modo quam Sol, qui eam subsequitur. Ergo ea 'quadrigis roseis cursu ætherio trajicit cœlum.' Nunc ea 'trajecerat jam axem medium:' esse *axem* cœlum, dubitari nequit; *medium axem* Romano more non præcise ad mediam cœli partem revocari, sed omnia dici media, quæ sunt intra extremos fines, multis virorum doctorum notis ad multos auctores monstratum est; intelligenda adeo poëtæ verba erunt de die orto post diluculum jam depulsum. Et si subjungitur: 'Nox ruit, Ænea,' hoc ex ipsa re, quod bona interpretatio postulat, erit accipiendum, verbis non severe exactis: *Nox abiit*, dies jam exortus est; etsi sensus facile unumquemque doceat, duriter hoc dictum esse. Ita sane grammatice expe-

Digitized by Google

dita sunt omnia. Enimvero ita ad miraculum adducta res est, si, cum iter ingressi essent jam sub diluculi tempus: 'primi sub lumina Solis et ortus' v. 255, nunc 'Aurora jam in cœlum altius' evecta, die certo ac claro exorta, intra tam breve temporis intervallum tantum viæ spatium fuit peractum.

Videamus nunc alteram rationem, ut non eadem nocte peracta esse omnia dicantur. Est ea a Cerda proposita, e qua alii petiere; peragi iter intra XXIV horas, sacrificium noctu inchoatum; statim inde sub ortum Solis iter initum, consumtum in eo 'diem posterum cum nocte insequente usque ad alteram Auroram.' Verum nunc in versibus 535 sq. aut ad eosdem scopulos adhærescimus, ut iter, sub ortum Solis initum, Sole orto per tot loca jam continuatum sit; aut dicendum est, iter per totum diem insequentem jam continuatum esse usque ad alteram noctem: 'Nox ruit, Ænea.' Habet hæc interpretatio primo eam statim difficultatem, quod communi veterum mori et opinioni repugnat, qua, quæ ad sacra magica et res inferas spectant, referuntur omnia ad noctem. Condonemus tamen hæc. *Aurora* jam 'medium axem cursu trajecerat,' esto Aurora ipse dies, '*Ἠώς*, eritque, jam *dies medius*: satis magnum nunc quidem itineri per loca infera datum est tempus Æneæ; verum nunc statim post diem medium 'Nox ruit, Ænea:' h. e. advesperascit. Sane quidem *nox* quoque *ruere* dici potest: de quo nemo dubitet; sic sup. II, 250 'Vertitur interea cœlum et ruit oceano Nox.' VIII, 369 'Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.' Ita etiam *dies* oriens *ruit* inf. X, 256. Verum *Sol* quoque *occidens ruit* (lib. III, 508) 'et mollies umbrantur opaci;' et de vere jam exacto Georg. I, 313 'cum ruit imbriferum ver, Spicea jam campis cum messis inhorruit' etc. *Ruunt* enim et ea, quæ imminent, et ea, quæ in exitu sunt. Itaque in versu Basilii (Anthol. Lat. Tom. II. p. 306) 'noxque peracta fuit' viri docti ex Virgilio emendant *ruit*. Non male itaque Servius: 'si per diem sacra celebrabantur, *ruit* est, imminet; si per noctem, finitur.' In voce *Nox ruit* adeo non laboramus: constituendus est

Digitized by Google

sensus e ceteris. Enimvero quam bene die medio nox ruere dicatur, videant alii.

Hac igitur via non magis expeditum vides iter, quam altera. Restat itaque, ut fateamur, aut nos non satis commodam interpretandi poëtæ rationem tenere, aut poëtam sibi ipsi haud constare, aut poëtam omnino temporum rationes haud curasse. Et ultimum hoc præstare ceteris videri dixi, nec certas temporum notas eum apponere voluisse. Ita nec infra in reditu ad superos certas temporis notas adjecit. Itaque de eo nec esse laborandum dixi; aut saltem licebit cuivis statuere pro sensu et ingenio suo.

EXCURSUS XII.

DE SALMONEO.

VI, 585—594. De Salmoneo consulendi Apollodorus et Hyginus. Etiam hæc fabula, dum a multis tractata est, a tenuibus initiis latiora deinceps incrementa accepit. Homerus quidem Odyss. *Λ*, 235 Salmoneum *ἀμύμονα*, *clarum*, simpliciter memorat, tanquam heroëm. Celebratus ille fuit propter opes et natam inde magnificentiam et arrogantiam: uti Aloidæ vasti corporis robore ferocientes. Nunc ille secundum nonnullos superbia elatus *quadrigis*, tanquam Deus aliquis, *invectus* per Elidem honores divinos affectabat. Pro ferro prisci homines ære utebantur; itaque *currum* ejus *æreum* exhibuisse debet antiquus poëta. Solum ex ære factum subjecere alii. Equi *χαλκόποδες* vulgari poëtarum usu frequentantur; ijdem *χαλκόκροτοι*. Facile hæc poëtas ad mythum deducere potuere. Cum æris strepitu *fulminis et tonitruum* imitationem affinxerunt alii; quod secutus est Virgilius. Aliter rem tractarunt alii. V. Apollodor. a, 9, 7, ubi *pelles induratas*, *βύρσας ἐξηραμμένας*, *cum lebetibus* ex curru suspensas per solum tractat. Agnoscis luxu-

Digitized by Google

rians poëtarum veteres fabulas ornantium ingenium. Aliter ornatur fabula apud Servium ad h. l. Adde Diodor. in Exc. Virt. p. 546. Accessit tandem et illud, urbem Salmoneam ab eo conditam fulmine conflagrasse ap. Apollod. l. c. et Notas p. 146. Notabile tamen hoc, quod Virgilius maluit Salmoneum laudare, quam Remulum, Albanorum regem, similis impietatis reum. V. Victor O. G. R. 18 et ibi Not. Dionys. I, 71. Scilicet obscurioris hic erat nominis; et poëta fabulas melius laudat e Græca antiquitate, quam ex Romana: quippe quæ nec parem auctoritatem nec gratiam aut venustatem habent.

Ceterum divinis honoribus, quos imperatoribus adulandi studium detulit, obtrectare his versibus poëtam *sine dubio* pronuntiat Jos. Wartonus. Infinitum esset, si similes Interpretum argutias enumerare vellem omnes; itaque prætermittere plerumque soleo. Sed, si semel ad hæc descendere velis, non tam hoc, quod a Maronis ætate adhuc alienum erat, quam potius illud monendum erat: vel ex hoc loco satis patere, divini honoris conferendi morem nihil commune habuisse cum opinionibus de divina natura, Deorumque numine; quod vulgo putant. Civilis seu politica erat institutio, cum summis aliquem honoribus afficere vellent, quandoquidem ille summo inter mortales erat loco adeoque nihil, quod quidem humanum esset, addi poterat, nisi ut honorem modo ab heroum ordine modo a Deorum loco et nomine ei peterent; nihil amplius ea re quæsitum. De hujus igitur honoris, qui nobis adeo insolens videtur esse, vi et significatu nemo facile dubitare aut philosophicas et theologicas notiones cum eo honore conjungere potuit. Idem illi, qui honores divinos magnis viris vel potentibus deferebant, agnoverunt impietatem in eo, qui Jovi se assimulare vellet, ut in hac ipsa de Salmoneo fabula patet.

Digitized by Google

EXCURSUS XIII.

ANIMARUM ORIGINES ET FATA.

VI, 724—751. Hic jam manifeste poëta veterum philosophorum, inprimis Pythagoreorum et Platonicorum doctrinam (Indoctum enim est commentum, quod ex Servio afferunt, ab Epicuro hæc esse petita. Cf. Not. ad v. 265), sed suo ingenio et ad poëtices naturam accommodate, exponit. Sed ne Maroni inferamus aliena, ante omnia ejus mentem exquiramus, quanquam id interpretatione maxime factum jam est. [1]

In vss. 724—727 *animam mundi* omnia permeantem describit; quam æthereæ et igneæ naturæ credidisse videtur (certe τὸ νοητὸν æthereo corpore tanquam vehiculo indutum alienum a Maronis mente est) cum Stoicorum parte; nam v. 730 subjicit: 'Igneus est ollis vigor et cœlestis origo' (Eadem opinio exposita in So. Scip. ap. Cicer. c. 3 'hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera et stellas vocatis—quæ divinis animatæ mentibus' etc.). *Ductæ* ex hac mundi anima *vitæ animantum hominumque* v. 728. 729 (tanquam particulæ decerptæ: 'divinæ particula auræ;' ut adeo per hanc ipsam ex divina natura *emanasse* videri debeant). *Ab hac origine animæ vitales* (multoque adeo magis animæ hominum ratione præditæ; quibus purioris ætheris pars inesse debet) *habent naturam ætheream* (conf. Ge. IV, 218 sqq., ubi idem dogma, sed aliter deflexum in illam sententiam, ut animæ corpore sejunctæ heroum, puta, sapientum et bonorum virorum, tanquam ex hujus vitæ sanctitate jam satis puræ, in sidera ac cœlum recipiantur; quæ jam Ægyptiorum fuit doctrina de puris animabus, secundum solennia verba ex

NOTA.

[1] Disputatum est de his a Wyttenbach in Dius. quæ fuerit veterum philosophorum doctrina de vita et statu animarum post mortem. 1767.

Digitized by Google

Euphanto apud Porphyr. de Abstin. IV, 10; ea enim in hanc sententiam accipi debere probabiliter Jablonskium docuisse video Panth. p. 32 sqq.), *sed corporis contubernio ætherea vis obtunditur* ac debilitatur v. 720. 722, *unde animorum perturbationes et cupiditates* v. 733. 734. *Vitia* vero hæc a corporis contagio contracta *animæ sese tam alte insinuant, ut ne tum quidem, cum a corpore morte sejuncta est* (et hoc genuinum Platonis dogma: v. Phædon. p. 61 C. D.), *ex anima excedant* (nam illud poëta non attingit, quod jam in hac vita purgatio expleri, saltem inchoari, potest, cum per philosophiam tum per teletas) v. 735—738; *Itaque in inferis locis purgatione opus est, qua vitia ista* (animorum cupiditates et perturbationes, curæ, iræ, libidines) *eluantur* et eximantur 739. 740 (neque enim parti rationali plenam et perfectam felicitatem contingere posse videbant, nisi ab istis morbis ac vitiis liberatæ: cf. Brucker. T. I, p. 713—719). *Fit purgatio aëre, aqua, igni* v. 740. 741. 742 et ibi v. Not. (nec definit poëta, qua in Inferorum parte. Scilicet is *Hades* est, Ægyptiis jam olim *Amenthes*, v. Plutarch. de Is. et Osir. p. 362 D., ubi interpretatio, esse eum τὸν λαβόντα καὶ διδόντα, referenda videtur ad descensum animarum et reditum in nova corpora). *Purgatio porro subeunda est omnibus* v. 743. Nam, de heroum, philosophorum, et bonorum animabus quæ Plato addit, poëta tacet; nec adjicit, quid de iis fiat, quibus tam alte labes ista insidet, ut elui nequeat, qui tamen plures numero esse debent; scilicet hi jam ante in Tartarum erant detrusi. Hoc vero, si modo a poëta est, addit: a crassioribus sordibus liberati, ad Elysium mittuntur, sed *pauci*, ii scilicet, quibus inusta vitia elui possunt, *eo perveniunt*. 743. 744. *Absolvitur hic*, si poëtæ versus hi sunt, *purgatio, animæque in pristinam puritatem æthereæ naturæ restituuntur*. 745. 746. 747. *Post mille annos* (non definitur, purgationisne, an, ea peracta, mille annis inter Elysii delicias exactis) *animabus his omnibus* (748) *nova corpora sunt ingredienda; quod antequam fiat, Lethe bibenda est*, 748—751, qui amnis Elysii fines præterlabitur (705). Illud igitur non declarat poëta, si, post reditum hunc in

Digitized by Google

corpora, iterum in infera loca descenderint, iterumque purgatæ fuerint, semperne idem rerum orbis, eædem vices subeundæ sint, an, quod commune fuit Platoni (v. inpr. Timæum; tum in Phædro p. 1222. Phædon. p. 84 D. de Rep. p. 761 D. E.) cum Ægyptiis et Pythagoreis placitum, etsi variis modis passim illustratum, animæ illæ post satis multas migrationes in corpora, et repetitas purgationes, tandem ita omni labe abstersa niteant, ut divinæ naturæ iterum assimulentur, in hanc revolvantur, Dii seu dæmones fiant, saltem in eorum commercium admittantur; aut, ut alii exprimunt, in Solem, in sidera, in cœlum, in beatam sedem traducantur, h. e. ad animam mundi cognatam, tanquam ad fontem suum, redeant. Hoc idem Pindarus dixit Olymp. II, 123 sqq., post trinas migrationes eum, qui juste vixerit, in Elysium pervenire; aut, ut in fragmento ap. Plat. in Menone T. II, p. 81 Opp. est, inter heroës referri; quod idem Empedocles secutus erat, ut ex ejus fragmento intelligitur ap. Clement. Alex. Strom. IV, p. 633 Oxon.

Totum hunc locum non tam ex philosophis quam ex vulgaribus opinionibus esse concinnatum, contendebat Moshemius ad Cudworth. p. 1043 §. 9. Illud quidem satis liquere puto, ex vulgari vetustiorum theologia, ab Ægyptiis, ut probabile fit, primo petita, et symbolice, ut prisco ævo fieri necesse erat, expressa, Pythagoricorum Platonicorumque non minus quam mysteriorum Eleusiniorum placita de Inferis esse ducta; nec tamen intelligo, quomodo *mille anni* et *Lethe pota* inter vulgi mythos referri possint, quæ quidem manifeste sunt Platonica commenta. Sed omnino vir ille summus, in subtilibus quæstionibus solvendis sagacissimus, poëtarum interpres erat parum idoneus, ut ex tota illa disputatione Homerica satis intelligas; item in quæstione de stigmatibus animorum (v. Not. ad v. 735—739). Hoc sibi omnino persuasum habeant, necesse est, vetustiores philosophiæ interpretes, fieri plane non posse, ut quicquam proficiant in antiquissimorum et eorum, qui eos sequuntur, philosophorum dogmatibus intelligendis et eruendis, nisi vim et rationem poëticam antiquissimam, mythica et symbolica

Digitized by Google

eorum, quæ excogitaverant, ad sensum expositione et repræsentatione omnia enuntiantem, familiarem sibi reddiderint. Cum ea ætate sermonis nondum esset subtilitas ea, ut proprie efferre possent res intelligibiles, utque adeo ne cogitarent quidem sine symbolica aliqua repræsentatione, fieri aliter non poterat, quam ut mythicis involucris, non *arcanæ doctrinæ studio*, quod vanum est credere, sed necessitate coacti, philosophemata sua obscurarent. Habuit profecto ea res plurimum molestiæ et incommodi; accurate satis, subtiliter, et definite potuit vix tradi quicquam; verum, si ad intelligentiæ subtilitatem parum accommodata fuit illa ratio, tanto potentior et efficacior ea credenda est fuisse ad animos movendos, ad phantasmata præclara mentibus objicienda, ad voluntates tenendas et inclinandas, adeoque ad imbuenda religionis et pietatis sensu pectora. Ita enim attemperatæ sunt ab æterna et summa Mente res, ut in omni ætate et generis humani conditione, sive rudis ætas sit, seu magis magisque expolita, præsidia in promtu sint ad recte feliciterque agendum, modo a solo corporis animique sensu, modo ab intelligendi acriore et subtiliore vi, a rerum multarum cognitione, ab artibus et scientiis, profecta; utque cum his ipsis bonorum malorumque nova genera succedant, quibus animi et corpora exerceantur. Illa tamen antiquiora philosophemata accipere velle proprie et subtiliter et ad sequioris Græciæ usum, forte adeo ad nostri sermonis genium; id vero est, Pythagoræ, Empedoclis, Heracliti, Platonis Manibus injuriam facere.[1]

Sæpe ad hanc cogitationem deductus est animus, cum in hoc libro interpretando Cudworthum, cum doctiss. commentatore, Bruckerumque inspicerem. Ita Cudworthus, qui, præter crassius, aliud tenuius corpus animæ indui a Platonicis viderat, hoc interius aërium et spirituale corpus in Virgilium inferebat, ut crassius illud integumentum esset id,

NOTA.

[1] Meliorem viam ingressi sunt, qui post ista sæculi LXX anno scripta veterem philosophiam subtilius expouere, inprimis vv. cc. Meiners et Tiedeman.

Digitized by Google

quod admissorum scelerum pœnas post mortem luat, purgata vero anima defluat, ut anima nunc corpus æthereum illud et αὐγοειδὲς ostentet. Subtilitatem hanc recte retudit Moshemius, pag. 1031. 1045. At idem alia non minus subtiliter super εἰδώλῳ in inferis locis argutatur ad v. 292 h. l., dum corpus illud subtile et tenue, quod animæ manet implicitum, etiam a corpore sejunctæ, per *animum sentientem* interpretatur. Atqui apud poëtas, multo magis apud Homerum, ultra corpus tenue, ex vetere et poëtica ratione nihil est cogitandum, quoties εἴδωλον, *umbram*, audias. Multo melius hæc Jortinus exposuit (Six Dissertations upon different Subjects pag. 216 sqq.), qui nihil ipse ab initio statim ponit, sed annumeratis locis Homericis, quid inde efficiatur, docet. Animum incorporeum aut corpus, quod animis pro vehiculo sit, cogitare, eorum temporum hominumque inventum est, qui de animorum naturis jam ab aliquo inde tempore subtilius disputare, et ad majorem verborum subtilitatem orationem acuere didicerant. At veteres isti contenti erant, res ad sensum revocare, sensui oculorum et animorum subjicere, mythis pro dogmatibus uti. Multo minus, per sermonis, quo utebantur, rationem et naturam, in illam doctrinam incidere potuit vetere ævo quisquam, ut animum incorporeum cogitatione conciperet. Expeditior et facilior fuit via post ideas Platonicas illatas. Quandoquidem autem ii, qui post principes illos sapientes philosophati sunt, etiam cum subtiliore et sermone et cogitatione uterentur, tamen vel secundum antiquos illos vel adversus eos disputabant, mirum non est in Socratis sermone, in Platonicis et reliquis libris philosophicis tot superesse poëtici alicujus sermonis aut mythicæ vel allegoricæ narrationis pro demonstratione vel illustratione vestigia ac fragmenta.[1] Quod multo magis in loco de rebus inferis accidere debuit, cum a sequioribus philosophis de sede, sorte ac conditione animorum post mor-

NOTA.

[1] Ab hoc principio ubi profecta fuerit oratio, tum illa deduci tandem potest ad ea quoque, quæ Garnerius executus est (Mémoires de Littérat. Tom. XXXI, p. 164), cum ostendere vellet, quo consilio Plato fabula usus sit.

Digitized by Google

tem, nihil subtilius, exploratius, ac disertius afferri posset. Rerum enim in alio orbe et vita futurarum speciem et conditionem nemo mortalium aliter constituere potuit aut potest quam ex vitæ suæ notionibus rerumque conditione. Nec aliter a vatibus Hebræis de iis rebus actum est; nec aliter unquam agi poterit.

Exemplum hujus rei esse poterat ipse Plato in hoc de inferis rebus loco. Ter vel quater hunc sermonem instituit, diversis quidem modis, at ubique *mythum* se afferre profitetur. Mirationem sane hæc res facere poterat ac debebat. Non modo hoc ita fit in notissimo Phædonis loco p. 80 sqq. de mundo æthereo, bonorum sede, et, terræ voragine, Tartaro; ubi sub f. adjicit: 'hæc ita se habere, nemo sanus asserat, tamen ut vel sic vel alio modo res se habitura sit cum nostris animis eorumque sedibus, cum illi immortales sint, hoc dignum et consentaneum est, ita sentire.' Verum hoc idem præ se ferre videas philosophum, ut *mythos ac veteres fabulas* apponat, de Rep. x, sub f., ubi de animarum accessu ac discessu, ascensu ac descensu, præmiis ac pœnis decuplis, Eris Armenii fabulam afferre se fatetur; et in Gorgia sub fin. de tribus judicibus a Jove constitutis, deque animis nudis inspiciendis, veterem fabulam se memorare velle monet. Quo etiam mythus de animarum alis pertinet in Phædro p. 1223 Frf. Sic et in Axiocho sub f. ex Hyperboreorum tabulis in Delo servatis petita dicitur afferri narratio.

Etsi vero Virgilii animo Platonica placita insedisse supra haud negaverim, non tamen ille putandus est Platonis philosophiam nobis tanquam trutina appendisse aut annumerasse, ut adeo ad illam omnia revocari possint; verum miscuit ille Pythagorea Platonicis, tum tenendum est, philosophemata illum cum dilectu et poëtica lege tractasse, et ad vulgares opiniones et popularem philosophiam deflexisse, tum alia ex superstitione vulgari, cum qua convenisse videntur nonnulla in teletis, immiscuisse, quod poëtam epicum facere fas erat. Eo purgationum modos, quos supplicia appellat, refero, v. 739—742, ubi v. Not. Eosdem in vasis pictis, Etrus-

Digitized by Google

ca vulgo vocabant, expressos esse suspicio erat Gorii Mus. Etrusc. T. II, p. 148. 132 sqq. et Passerii Paralip. p. 139 Vas. Etrusc. T. I, p. 50. Aliter de his suppliciis disputatum a Platone in Gorgia p. 357 E., qui sedes doctrinæ est. Alia, admodum variata, occurrunt in scriptoribus post Virgilii tempora, quæ ad nos non spectant. In his est Plutarchus aliquot locis; inprimis in libello de sera num. vind. T. II, 564. ubi Thespesius aliquis Solensis, qui jam mortuus in vitam redierat, somnia fabulosa narrat: ad quem locum seriorum philosophorum commenta docte exposuit Wyttenbach. De millenario annorum numero v. Not. ad v. 745.

EXCURSUS XIV.

FUTURARUM RERUM PRÆDICTIONES IN EPICO CARMINE.

VI, 752 sqq. Ita fere hominum ingenium fert, ut futurarum rerum obscuritate multo magis moveantur, quam præsentis status perspicacitate et evidentia; uti ea, quæ præter naturæ morem fiunt, vulgus hominum multo magis percellunt, quam quæ ex præclaro naturæ ordine procedunt, qui tamen animis nostris multo clariores ac potentiores admirandæ et adorandæ divinæ naturæ ac providentiæ causas suppeditare poterat ac debebat. Sed cæcutire malumus in incertis quam in certis perspiciendis acquiescere. Itaque poëtæ, qui humanæ naturæ morem et indolem in suos usus trahunt, rem viderunt esse accommodatissimam ad animos tenendos et delectandos, ut ex rerum gestarum memoria ea, quæ argumenti epici tempore essent seriora, per vaticinii modum intexerent; quo artificio ipsi tragici copias dramaticas amplificare non dedignati sunt. Ut enim taceam umbras evocatas, vatumque effata, vel oracula, quæ passim in tragicis occurrunt, Æschyli Prometheus vinctus Ius fata diserto et ornato vaticinio exponit; fata vero Trojæ resque post Trojam expugnatam doctissimo dramate Lycophronis Cassan-

Digitized by Google

dra; majore utique cum vi, quam si eædem res jam gestæ et ad eventum perductæ narratæ essent. Sed epicæ narrationi variandæ et locupletandæ talis vaticinii expositio inprimis accommodata sit necesse est, cum ex futurarum rerum prædictione tantum voluptatis cum admiratione capiant mortales. Quo magis tale episodium optandum fuit Virgilio, cujus tota Æneis ex oraculis, somniis, et vaticiniis pendet.

Prædicendi autem res futuras modi non adeo multi sunt; nec enim, nisi *a vatibus*, aut *a viso* seu *vigilantibus* seu *somniantibus*, modo *a dæmonibus* seu geniis, modo *magicis* hominum *artibus*, objecto, aut *ab ipsa divina natura*, proficisci posse videtur ulla futurarum rerum prædictio. Nullum ex his genus est, quod intactum a poëtis relictum sit. Omnium primus Homerus evocandis Tiresiæ Manibus Ulyssis reditum et fata declaravit. Phinei vaticinio rerum successum Argonauticorum scriptores exponunt omnes. Quam insigne Maronis inventum sit, recensu animarum in corpora transiturarum substituto, mox videbimus. Homericam Manium evocationem retinere maluit Silius XIII, 400 sqq., qui tamen idem Jovem Veneri futuram Romanorum fortunam interpretantem inducit lib. III, 570 sqq. (Virgilii fere exemplo Æn. I, 261 sqq.). Manibus Tiresiæ evocatis utitur Statius in Theb. IV, 406 sqq. Lucanus sagæ Thessalæ veneficio, in membra revocato spiritu cadaver animat et pugnæ Pharsalicæ eventum prænuntiat lib. VI, 750 sqq.

Nihil in his occurrit, quod magnopere mireris. In uno vel altero genere substiterunt veteres omnes. At recentiores poëtæ epici, quorum incredibilis est numerus, varietati et novitati primo loco studendum esse arbitrati sunt. Itaque omnes rationes ac vias circumspexerunt, quibus futuræ res possent prædici, iisque exponendis carmina suavi episodio ornari. Cum vero rationes illæ ac modi sint pauci admodum numero, novique adeo inventi laus non omnibus esset parata, plerisque in ornamentis et pigmentis opera fuit consumenda. Itaque in varietate quamvis magna, si plures contuleris, tædium tamen facit idem ubique revertens rerum

Digitized by Google

ordo, eadem phantasmatum species, et in rerum parum probabilium et absurdarum operosa conquisitione confessa ingeniorum infœcunditas.

Ea quidem carmina, quibus ex prisca *re equestri* petitum est argumentum, qualia Italorum inprimis sunt et Britannorum, communes fere inter se futurarum rerum exponendarum habent rationes; nam, dum *magorum* et *dæmonum* partes in iis tam præcipuæ sunt, facile per eorum ministeria etiam hæc carminis pars expeditur. Eadem argumenti indoles magnam comminiscendi licentiam affert, ut adeo insolentia etiam et absurda rerum miracula tamen, quomodo improbes, non habeas; nam in isto rerum genere ea probabilitate sua non destituuntur. Simplicissima est Spenceri (Fairy Queen Cant. III, VI, XXV sqq.) ratio; exponitur Britomarti puellæ a Merlino mago ac vate non modo amoris successus, verum etiam domus et posteritatis fortuna; et Ariosti (Orlando furioso Canto III); nam casu ad Merlini sepulcrum et sarcophagum delata Bradamantis partim ex Merlini ore, partim Melissæ magæ arte evocatis umbris, stirpis Atestinæ ex se et Rogerio orituræ seriem cognoscit. Apud Tassum (Gierusal. liber. Cant. XVII, LXVI sqq.) Rinaldo progenies fortunaque domus Atestinæ clypeo insculpta ab eremita exhibetur; quæ adumbrata forte sunt ex Æneæ clypeo lib. VIII Æn. Nec multum abludit Ariosti alio in loco (Orlando furioso Cant. XXXIII) ratio, nam bella a Gallis in Italia gerenda in pariete Merlini arte magica depicta Bradamantis heroina aspicit; ejusdem Merlini arte in Fontis marmorei sculptura (Canto XXVI, XXX) Francisci I, Galliarum Regis, in Italiam expeditio efficta est; et alio loco (sub f. Cant. XXXIV, et Cant. XXXV), dum Parcarum manibus tractata vellera in Lethen sparguntur, de Hippolyto Atestino prædictio satis ingeniose subjungitur. Trissinus (Italia liberata da' Goti) etiam binis locis historias sequentium temporum intexuit carmini; primum (lib. IX) Belisarius eremitam in Monte Casinensi adit, a quo speluncæ inclusus novo visi genere in collem rapi sibi videtur, in quo utrimque speculum sole majus, a læva res præteritas, a dextra futuras, ocu-

Digitized by Google

lis subjicit; Angelo Herminio ac patris umbra interpretibus. Exornata sunt omnia per *personas symbolicas*; quarum studium summum erat sæculis superioribus, inprimis inter Italos, Platonicæ philosophiæ amore et Dantis exemplo. Itaque sub vitæ futuræ ingressum Error, Ignorantia, Veritas, Ratio, aliæque multæ Virtutes et Vitia, Bona et Mala, excubant. Ad res præteritas aditum faciunt tres portæ, quarum unam Cadmi filii tenent cum Poësi et Historia, alteram Fabula, tertiam Sculptura et Pictura. Ad res futuras autem patent portæ sex, quas custodiunt Prophetia, Somnium, Mania, Astrologia, Necromantia et Sortes. Alio loco (lib. XXIV) Narses dum Nursiæ moratur, quæ in Sabinis fuit, nunc Ducatus Spoletani urbs est, Sibyllam adit. Est vero in vicinis urbis locis inter Montis Victoris juga Lacus Sibyllæ dictus cum specu. Viam, quæ ad Sibyllam ducit, ornavit poëta symbolica vitæ humanæ repræsentatione secundum planetarum circulos et signorum cœlestium XII rationem. Habitat Sibylla sub Capricorno et Aquario; in ejus palatio plures sunt œci seu cœnacula satis spatiosa; quorum parietes depictas exhibent res futuras per periodum nongentorum et sexaginta annorum certis rationibus astrologicis exactam; succedentibus novis figuris prioribus, quæ jam eventum rerum habuerant.

Cum Italorum vetustiorum inventis figmenta, quæ in epicis poëtis Hispanis et Lusitanis occurrunt, admodum conspirare, ex Cervante (in Don Quixote) suspicari licuit, et vero etiam a Diezio, viro doctissimo et amicissimo, accepi. Inter alios nobilissimi e recentioribus Lusitanis poëtæ, Comitis de Ericeira, in Henriqueide, qua Regni Lusitani per Henricum primum Comitem Lusitaniæ exordia exponuntur, episodium meo rogatu interpretatus est, quod lib. I et II continetur: Henricus ingressus antrum fatidicum, cujus aditum obsident monstra ad visum et auditum horrenda, prospicit vestibulum templi seu palatii, cujus porta variis hieroglyphis et emblematibus exsculpta est, quorum argumentum faciunt res futuræ. Interiora ædis exornant primum statuæ ex ære XXIV regum, qui in Lusitanis regnaturi

Digitized by Google

sunt, usque ad Joannem quintum, subjecto cuique titulo et carmine, tum aliarum statuarum magnus numerus, tabulæ pictæ aliaque multa, quibus regum Lusitanorum futura soboles, viri illustres, et facta præclara repræsentantur. Sub egressum ex spelunca in Sibyllam incidit Henricus, quæ, ubi preces eum facere jussit, tripodi aureo insidens, tribus voluminibus, quæ scilicet ex novem Tarquinio olim oblatis supererant, explicitis, lyraque triangulari tacta, suos casus narrat, tum res exponit deinceps a Lusitanis gerendas, Indiam inprimis utramque navigatione patefaciendam. Sub discessum tria talenta a Tarquinio olim pro libris accepta Henrico in manus tradit, ut inde B. Virgini sacram ædem exstruat.

Nec minus mirum et a solita rerum natura recedens est *Camoësii* inventum. Nam Vasco da Gama (Cant. x) a Thetide in altum montem evectus omnia terrarum regna, inprimis Indiæ, in globo descripta prospicit, et Lusitanorum fata a Dea monitus addiscit. Idem paulo ante (Cant. v) ex Adamastore, genio Promontorium Bonæ Spei obsidente calamitates navigationis audierat, et Cantu II ad Virgilii exemplum Æn. I, 227 seqq. Jupiter Veneri Lusitanorum res secundas prædixerat.

Quod primo loco e Camoësio narravi, commentum comparari aliquo modo potest cum Miltoni notissimo episodio (lib. XI), etsi hoc ad probabiliorem rationem attemperatum est. Deductus in clivum a Michaële Adamus prospectum habet orbis terrarum et a comite rerum futurarum expositionem discit. Vestigiis ejus satis obsequiose institit Noachidis auctor.

A magicis præstigiis et incantamentis retraxit et ad veterum vestigia legenda revocavit alios ipsa argumenti, in quo versabantur, interdum temporum quoque et hominum, inter quos vivebant, natura. Hi fere ad *visa* ac *somnia* delapsi sunt, quibus futuros casus prædictos exhiberent, aut *Palatium Fatorum* commenti sunt, rem ad exornandum satis obviam. Intra idem commune multorum inventum substitit auctor Henriadis. Nam emota a S. Ludovico mente Hen-

Digitized by Google

ricus abreptus peragrat cœlum ac sidera, regiam Dei, Tartarum et Elysium, tandem, ubi ad Fatorum palatium pervenit, eorum, qui nascentur, simulacra et εἴδωλα dispicit; omnia tractata sunt arte satis vulgari, et argutius multo repetita in Aurelianensi puella; nisi quod præclarus locus sequitur, ubi Henrici posteritatem enarrare orditur. Inventi novitatem ut in reliquis carminis partibus ita et in hac desideres in Columbiade (Colombiade de Madame du Boccage Chant IX). Zamæ anima ad Columbum de cœlo delapsa non modo futuros Columbi casus sed totius Europæ fata satis ab argumento aliena exponit. Puella Aurelianensis Capellani non minus laborat in eo episodio (Lib. VIII), quo in antro Marculphi eremitæ, per visum precibus et novendiali sacro efflagitatum, Regi Carolo cum sociis futura fata angeli voce enarrantur. Miris modis Veritatis seu Fatorum verius Templum descripsit explosus a plerisque poëta Gallus (Desmarets Clovis Chant IV). Clotildis a S. Virgine eo deducta in crystallinis parietibus futura diserte satis cognoscit. Necromantia uti bonus Ronsardus (in Franciade Liv. IV) non refugit; et ad Silii fere exemplum Alarico, dum per ea loca copias ducit, antrum Cumanum ingresso Sibylla in conspectum prodiens futura fata aperit (Alaric ou Rome vaincue Liv. X).

Est Melita, carmen epicum, auctore Gallo (Privat de Fontanilles, Malthe, ou L'Isle-Adam etc. Par. 1749), qui sibi egregie in eo placet, quod in Pandæmonio aliquo Equitum Rhodiorum fata a Satana aperiuntur, qui Insuladamum se arbitrum orationis habere ignorat. Neminem tamen vidi inter Gallos ingenio magis luxuriante, quam, quem nunc commemorabo (Le Moine, S. Louis, ou la Ste Couronne reconquise). Apud hunc primo (lib. IV) Necromantes Ægyptius Manes evocat, ut Sultano prædicant belli exitum; quod vero in eo novitate sua placet, est, quod circa Memphim ad Pyramides et inter Regum sepulcra ista sacra parantur; tum (lib. VIII) S. Ludovico visum objicitur, quo in cœlum abreptus munitiones cœlestes, non male versibus aliquot descriptas, intrat, per plures sphæras ac cœlum

Digitized by Google

crystallinum tandem ad sedem beatam pervenit, cujus (secundum Dantis exemplum) diversa septa sunt; primo infantes, altero viri sancti, tertio heroës belli pacisque artibus et generosiore aliqua virtute insignes versantur. Subter Dei throno vox exit, quæ Ludovici fata præmonet; alia ejus fata throno insculpta sunt, qui eum aliquando in cœlo excepturus est; tandem posteritatis series ac fortuna in lumine, intra caliginem explicito, elucet.

An poëta aliquis Platonis ἰδέαν et exemplar rerum æternum ad futura adumbranda adhibuerit, ignoro; nec hoc nunc succurrit, num præter Messiadis auctorem alius poëta propheticas et mysticas futuræ vitæ repræsentationes in suum carmen intulerit, aut æones et alia in certis Christianorum libris ac sectis ad hanc rem obvia ad poëticum ornatum adhibuerit; nam ita aberrare nolim quenquam, ut pro doctrinarum placitis hæc aut similia nobis impertiat; quid? quod nec memini, cuiquam in mentem venire conatum, ut Apocalypsin Joannis carmine latino, aut alio, redderet. Brachmanum quoque et Indorum somnia, etsi vana et absurda, multa tamen habent, quibus magnus aliquis poëta egregie uti possit.

Sed video me paulo longius processisse. Revocanda igitur disputatio in viam. Scilicet si commenta hæc omnia cum Virgiliana ratione compares, hanc facile omnium felicissimam esse deprehendas. Transmigratione animarum in nova corpora semel posita, quid opportunius, quam earum ante ingressum in vitam novam recensus; sed recensus hic sub Lethen jamjam potandam, vel inter potandum; et posteritatis tam claræ; et factus a progenitore stirpis; et expositus filio ac stirpis ejusdem auctori; et vulgari de Julia gente opinioni consentaneus, Augustoque adeo populoque Romano tam commendabilis; descensu quoque ad Inferos facto in loco tam accommodato ex vulgari opinione de Averno; omnia tam præclare conspirant ad probabilem aliquam rerum rationem, ut, quid in ceteris poëtis cum hoc comparandum esse putem, habeam nihil. Virgilio sane omnino major laus inventa aliorum ornandi quam nova ex-

Digitized by Google

cogitandi convenit; inventis tamen alienis tam solerter interdum usus est, ut æqualem cum primo inventore laudem mereatur. Inter hæc ponemus descensum Æneæ ad Inferos. Homerum haud dubie ante oculos habuit; at ab Homerica Necyia quantus artis et ingenii progressus ad Æneidis librum sextum!

EXCURSUS XV.

PORTÆ SOMNI.

VI, 894 'Sunt geminæ Somni portæ' etc. Cum non facile eadem via, qua ad Inferos deduxerat, reducere Æneam poëta posset, ingeniose satis exitum reperit per *portas Somni*, hoc est, *Somniorum* in noto loco Homeri Odyss. *T*, 562 sqq. Penelope ibi somnia admodum diversæ naturæ esse pronuntiat, alia *vera* exire per *portam corneam*, alia *falsa* per *eburneam*: *Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν* (levium) *εἰσιν ὀνείρων· Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι. Τῶν οἱ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος* (per fores ex sectili ebore factas), *οἱ δ' ἐλεφαίρονται, ἔπε'* (*res*; male reddunt *verba*, ut innumeris Homeri locis) *ἀκράαντα φέροντες* (ita declaratur, quid sint *falsa somnia*)· *Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων* (h. e. fores ex sectili cornu factas) *ἔλθωσι θύραζε, Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι* (h. e. ferunt, nuntiant res, quæ vere eventum erunt habituræ) *βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.* Phantasma hoc *forium eburnearum* et *cornearum* ductum haud dubie ex prisca vita et hominum sermone per rerum adumbrationes explicato, quo etiam sapientibus erat utendum, ut symbolicis rerum assimulationibus animorum sensa exponerent, rerum similitudine aliqua vel animadversa vel excogitata. In eadem illa prisca vita eboris et cornu usus erat celebrior quam sequentibus temporibus; itaque fores quoque ebore vel cornu induebant. De ratione ejusdem eboris et cornu ad portas Somni translati varia sunt veterum et

Digitized by Google

recentiorum interpretum ad Homericum et Virgilianum locum somnia. Verisimilior ex iis forte interpretatio est hæc, 'quod ebur, etsi candore suo lucem promittit, tamen non transmittit, visum adeoque fallit, cornu contra pellucidum est.' Nolo enim suspicioni locum dare, in quam, fateor, incidi, totum hoc commentum petitum esse a lusu verborum: sunt Ὄνειροι, quorum est τὸ ἐλεφαίρεσθαι, itaque veniunt διὰ ἐλέφαντος; alii sunt, qui κραίνουσι, iique veniunt διὰ κεράων.

Usus est his *Somniorum portis* Virgilius ad dimittendum ex Inferis heroëm suum, quatenus Somniis in iisdem inferis locis sedes sua assignata est. Vid. Not. ad h. v. et supra ad 282. Quod inventum, si ex animi sententia dicendum est, omnino parum felix et idoneum esse videtur, cum ne ad mythicam quidem veri probabilitatem quicquam in eo sit, ut Æneas cum Sibylla eadem via exeat ex Inferis, qua Somnia evolant. Felicius Ovidius Met. XIV, 120, ubi h. l. expressit, Æneam aversa porta redeuntem prodidit: 'Inde ferens lassos averso cardine gressus.' Ferrem tamen, si satis habuisset, per Somni portas emittere. Enimvero, dum exornavit commentum suum, ea adjecit, quibus sua vineta ipse cecidisse dicendus est. Postquam enim eburnea porta falsa exire somnia dixit, subjicit: Æneam cum Sibylla ab Anchise eadem *porta eburnea* esse emissum; quo necessario in eam sententiam adducere debet lectorem, quam jam a Servio expositam videas: 'velle eum intelligi, falsa esse omnia quæ dixit.' Neque aliter accepisse videtur Ausonius, quantum ex imitatione intelligo Cupid. cruci aff. 99 sqq. Quæ si poëtæ mens fuit, nihil unquam a quopiam poëta magis sinistrum profectum esse arbitror, cum omnis ex præstantissimo episodio percepta voluptas hoc uno versu perimatur et jugulatur. Nec quicquam excogitari poterat absurdius. Quorsum enim pertinere potest, nos moneri, hæc, quæ adhuc tam egregie fuerant exposita, popularibus opinionibus ad philosophicas rationes attemperatis, omnia ea esse inania somnia, quibus lectoris hiantis animo illudere voluerit?

Nec tamen defuere, qui, cum consilium hoc poëtæ propositum fuisse putarent, eum non modo defenderent et interpre-

Digitized by Google

tarentur, inter quos nemo ingeniosior Aurato in elegis ad Guelllum, verum adeo laudarent et egregie commendarent, quippe qui tam perspicacis animi fuerit, ut Manes et Orcum fabulas esse videret. Alii vulgarem de poëtæ studio philosophiæ Epicureæ opinionem in partes vocarunt, ut post alios vir alioqui sagacissimus, Jortinus Diss. VI, p. 305 sqq. Nolo in refellendis aliis otium consumere; sed tota ista opinio Grammaticorum commentum est inane et fundamento idoneo destituitur. Vid. Argument. Ecl. VI. Si poëta Ge. II, 490 sq. versus ex Lucretio adumbravit, non propterea Epicuri sectæ ascriptus haberi potest. Exordium autem Ciris v. 3 nullam habet probandi vim et auctoritatem.

Warburtonus, Vir ingeniosissimus, in Diss. supra laudata ex hypothesi sua de mysteriis Eleusiniis a poëta expressis rem non male expedire videri poterat, cum initiatos, post ista rerum inferarum mythica spectacula, porta emissos esse asseveraret affabre efficta adeoque *eburna;* sed unde istud probari possit, monere insuper habuit.

Multis aliorum auctorum locis hæ eædem Somni portæ memorantur; quippe quæ in proverbii tandem formam abierunt, præeunte Platone in Charmide pag. 475 E; nec tamen in iis locis quicquam animadvertere potui, quod ad poëtam illustrandum lucis aliquid afferret. Vid. congesta ad Propert. IV, 7, 87, ubi *piæ portæ,* h. e. qua *pia somnia* veniunt, nullæ aliæ sunt quam corneæ. Ausonius in Cupid. crucif. sub f., loco jam laudato, et in Ephemer. sub f. vulgatam interpretationem secutus videri potest. Nec Statius quicquam juvat lib. V Sylv. 3, 289, ubi, ut Umbra patris ex Inferis redeat, precatur: ‘ Inde tamen venias, melior qua porta malignum Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra, Quæ solitus.’ Coluth. 311 Nox—δοιὰς δὲ πύλας ὤϊξεν ὀνείρων, Τὴν μὲν ἀληθείης, κεράων δ' ἀπελάμπετο κόσμῳ· Ἔνθεν ἀναθρώσκουσι θεῶν νημερτέες ὀμφαί. Τὴν δ' ἐλεφαντίνην, κενεῶν θρέπτειραν ὀνείρων quæ ex Homericis expressa sunt. At ipse Homerus alio loco etiam obscurasse rem videri potest, ubi Odyss. Δ, 809 Penelope *dormire* narratur in *Somniorum portis:* ἠδὺ μάλα κνώσσουσ' ἐν ὀνειρείῃσι πύλῃσι. Forte ita hoc expedias: *porta*

Digitized by Google

Somniorum dicta pro domo, sede, Somniorum; *in qua* quis *versari* dici potest, qui somniat. Dormire igitur illa in media Somniorum domo dicta, ut nos aliquem in Somni regiam abreptum diceremus.

Nolim equidem poëtæ causam defendendam suscipere; hoc tamen mihi sic satis intelligere videor, acumen illud, quod Virgilio nimis liberaliter de suo tribuunt viri docti, ut callide monere voluerit, ista omnia de inferis narrata pro somniis et fabulis se habere, ab eo esse alienissimum. Nec in verbis quicquam est, quod eo nos adducat, nec in sententiis nec in poëtæ consilio. Sed ipsa res deduxit eum in talem locum, unde pedem referre non tam facile erat. Educendus erat Æneas ex locis inferis per aliam portam, quam qua subierat. Incidit poëta in portas Somni. Jam eæ duplices sunt, altera, per quam *veris umbris* exitus datur; per hanc Æneas et Sibylla, quæ non erant *veræ umbræ*, emitti nequibant; restabat itaque, ut per alteram portam dimitterentur. Atque hoc poëta posuit, aut parum memor, quid inde sequeretur; si eadem illi porta cum Somniis vanis et falsis educerentur; aut fuit hoc inter ea, quæ Maro emendaturus erat, si licuisset,[1] aut, quod ponere malim, poëtam tenuisse Aristoteleam λύσιν τοῦ προβλήματος (de Poëtice c. 25) esse hoc inter ἁμαρτίας κατὰ συμβεβηκὸς, h. e. non ad artem poëtæ et carminis œconomiam hoc spectare; sed reprehensionem peti a re et cogitatione, et cum aliis rebus comparatione, quæ *extra carminis argumentum* posita sit.

Non quidem aliquis in numerato habere potest ea, quæ Maronis, dum hæc scriberet, animo sunt obversata; hoc tamen summis nonnunquam ingeniis evenire solet, ut, cum semel se laqueis certis induerint, et caliginem sibi offundi passi sint, ita cæcutiant (interdum ὅλας κολοκύντας λημᾷν dixeris cum Comico), ut etiam id, quod aliis minus acutis aut ingeniosis in oculos incurrat, animadvertere nequeant;

NOTA.

[1] Hoc aut simile quid obversatum esse video animo elegantissimi Britanni, qui nuper Warburtoni sententiam excussit (Critical Obss. on the Sixth Book of the Æneid. p. 55).

Digitized by Google

qua quidem re vanitati horum hominum tanquam alæ addi solent, quibus illi evolantes summa ingenia infra se posita et humi repentia despectui habeant. Quidni enim poëta Æneam educebat 'eadem porta, qua puræ animæ in corpora nova sunt exituræ?' Cujus portæ omnino nulla facta est mentio. Atqui Plato ea in re figmentis suis præire poterat. Aut si duas portas commemorasse opus erat, quidni illas *piorum* vel *impiorum* Manium exitui destinabat; fere ut *pia* et *impia somnia*, h. e. umbras, memorat Propert. IV, 7, 87 sqq. Ita quoque Valer. Fl. I, 833 sq. duas portas Orci facit, quarum una vulgus animarum, altera pii, ad Inferos descendunt. Homeri quoque duæ portæ in Nympharum antro Odyss. *N*, 109 sqq., altera ad Boream versa, et hominibus frequentata, altera ad Austrum, et Diis tantum adeunda, novas rerum imagines subjicere potuisse videntur. Sed satis de his, ne et ipsi ὄναρ δι' ἐλέφαντος ἐληλυθὸς narrare videamur.[1]

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. VII.

DE CAIETA ET INSULA CIRCES.

LIB. VII, 1. 2 'Tu quoque littoribus nostris, Æneia nutrix, Æternam moriens famam, Caieta, dedisti'—10 'Proxima Circææ raduntur littora terræ' etc. Cum Virgiliani carminis præstantia, etiam inventionis laus, inprimis in doctrinæ

NOTA.

[1] Paulo licentius me mihi in Excursibus hujus libri indulsisse et nonnulla luxuriantius persecutum esse, lubens agnosco, ejusque rei veniam ab æquo lectore postulo. Mirifice me inde a puero detinuere disputationes illæ veterum de rebus inferis, et opinationes de iis, quæ post mortem obventura sunt.

Digitized by Google

copia et sermonis poëtici ornatu, spectanda sit: nos operæ pretium in hoc facere putamus, quod legentium animos ad hæc potissimum duo capita in interpretatione nostra advertere studemus. Expectatur itaque a nobis, ut in his quoque posterioribus sex libris in iisdem rebus illustrandis præcipuam aliquam operam collocemus: idque eo magis, quo *novum fabularum genus*, Italiæ domesticum, parum a plerisque perspectum et cum Græcis mythis in vulgari antiquitatis doctrina confusum, in iis tractatur. Ne vero legentium animos oculosque distineamus ac distringamus, rejectis ad librorum calcem disputationibus expatiabimur interdum et nonnulla excutiemus accuratius. Facient hæc ipsa diverticula ad recreandum animum ex commentandi et variæ lectionis enotandæ tædio, quod quidem nonnunquam, quomodo reprimeremus, vix habere videbamur.

Caietæ memoriam non præteriit poëta, quandoquidem inter fabulas veteres de Æneæ erroribus ea occurrebat, nomenque promontorii portusque et urbis in Latii et Campaniæ finibus ab ea ductum vulgo ferebatur: ut taceam Formiis *ædem Apollinis ac Caietæ* a Livio XL, 2 commemoratam. Vid. Dionys. I, 53. Strabo VI, p. 330. Victor O. G. R. 10. Adde Solin. 8. Ex quibus locis quoque discimus, a cremata Trojanorum classe (ἀπὸ τοῦ καίειν) nonnullos, Cæsarem inprimis et Sempronium, nugantes suo more in nominum originibus, nomen repetiisse. Cf. ad lib. V Excurs. VI, et Cerdam ad lib. VII, 2. Varie quoque tractatam esse fabulam ex eo apparet, quod alii Æneæ, alii Creusæ, alii Ascanii nutricem Caietam ediderant. Nutricis autem in vetere vita, ut educandis pueris præcipua opera, ita magna erat reverentia, ut parentali ea pietate coleretur. Res inprimis in tragicis obvia. Facit autem etiam hic justorum nutrici persolutus honos ad Æneæ pietatem declarandam. Hæc et similia cogitare debet is, cui hæc Caietæ memoratio nimis videtur esse tenuis et epico spiritu indigna. Hoc tamen verum est, post similem de Miseno et Palinuro narrationem novitatem huic Caietæ commemorationi deesse. Nec hoc non sensisse videri potest poëta, qui similem aliam

Digitized by Google

de *Baia*, Euxini matre, fabulam (Victor O. G. R. 10) non attigit: nec *Leucosiam* insulam in sinu Pæstano a consobrina Æneæ aut *Prochytam* ab ejus cognata ibi sepulta (v. Dionys. I, 53) appellatam memorare voluit. Nec sine judicio videri debet omisisse alia errorum Æneæ in his locis vestigia vulgo credita, quæ poëtica arte tractari vix poterant, ut 'Ænariam insulam a statione navium Æneæ' dictam apud Plin. III, 6 s. 12. Quid? quod adeo ad Sardiniam Trojanos nonnulli veterum deduxerant; parum docte, puto, et ex Iolai nomine, de quo tot fabulæ in Sardiniæ originibus habentur, opinione ducta: Paus. X, 17, p. 897 extr. quam etiam Silius sequitur lib. XII, 363 sqq.

Ceterum totus ille littoris tractus fabulis priscis inclaruerat: ut tanto magis poëta noster decerpere de iis nonnihil potuerit. Non longe a Caieta aberant *Formiæ*, Læstrygonum, ferorum hominum, qui carne humana vesci solebant, sedes ab Homero nobilitatæ: unde adeo Silio VIII, 581 'regnata Lamo Caieta' dicta est. Nec male Ovidius Met. XIV, 158 sqq. unum ex Ulyssis sociis, Macareum, superstitem in his locis finxit Æneæ occurrere: etsi Achemenidis in Cyclopum antro relicti ex lib. III Æneidis exemplum Nasoni ante oculos fuisse facile intelligitur. Est autem ad rerum fidem valde accommodatum, adhuc Trojanorum temporibus homines feros et anthropophagos Italiæ saltibus, lacubus, et ignibus subterraneis horridæ loca saltem nonnulla inhabitasse. Hinc et *Caci* memoria. Cf. ad lib. VIII Excurs. II.

Circes insulam, quam adeundam esse Helenus jam prædixerat (lib. III, 386 'Ante et — Æææque insula Circes lustranda'), non magis prætermittere debuit poëta, cum illa ab heroicis inde temporibus tantopere fabulis frequentata et celebrata esset, inprimis ab Homero Odyss. *K*. *Circeii* quidem notum est Latii promontorium: Homerus tamen narrat de eo, tanquam de insula. 'Circeii,' ut Plinii verbis utar (lib. III, 5, 9), 'insula quondam immenso quidem mari circumdata, ut creditur Homero, at nunc planitie' (cf. II, 85 s. 87). Nata hinc opinio, aggesta fluminum alluvie terra, insulam

Digitized by Google

aliquando factam esse continentem; v. Theophrast. Hist. Plant. v, 9, quem locum Plinius expressit l. c. Nec multum dissidet, quod Varro tradiderat, ut e Servio ad lib. III, 386. VII, 10 discitur, fuisse Circen insulam, nondum siccatis paludibus, quæ eam dividebant a continenti. Quod in priscæ Italiæ sylvestri habitu quis miretur, cum tales lacus multi adhuc sint in vicinis locis, hyberno tempore aqua stagnantes, cumque inde procedant Pomtinæ paludes! cf. Corradin. Latio vet. Tom. II, pag. 242. Itaque Strabo inter loca maritima palustria et morbosa etiam Circeios numerat lib. v, p. 353 c et ipse Circeius mons ipsi est, quem mare et paludes insulam faciunt: *τὸ Κιρκαῖον—ὄρος νησιάζον τῇ θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι*, p. 355 B.

Æeam appellat insulam Homerus, hincque Maro sup. lib. III, 386 *Æeæ insula Circes*. Fuit quoque *τὸ Κιρκαῖον* in Colchide: v. Apollon. III, 200. II, 402. Quomodo autem veteres in hoc incidere potuerint, ut Circen ex Æa, Colchorum urbe, Æetæ regis sororem ex Sole et Persa, translatam in insulam hanc collocarent, vix assequatur aliquis, nisi antiquioris Græciæ ignorantiam geographiæ animo teneat. Occidentis faciem et fines ante Trojana tempora prorsus ignorabant Græci, nec ante Homerum nisi fabulosas narrationes de eo vulgo audiverant. Itaque pone Siciliam magnum Oceanum circumductum usque ad septentrionem patere credidisse videntur.[1] Jam fuit fabula aliqua perantiqua de Circe Solis filia, cui insula in hoc mari assignari cœpta: eamque adiisse narrati sunt Argonautæ, quorum, seu Tanain seu Istrum invectorum, ex Colchide reditus per talem Oceanum, qualem tunc sibi finxit antiquitas, factus facile credi potuit. Temporum successu orbis hic priscæ Græciæ ignotus adiri navibus cœpit, sensimque Italiæ, Galliæ, Hispaniæ notitia aliqua verior ac certior inter Græcos increbescere. Accommodarunt itaque poëtæ, pro suæ quisque

NOTA.

[1] Scripta hæc a me esse memineris jam in prima editione, adeoque ante annum LXXV, ut me mihi constare intelligas.

Digitized by Google

ætatis et pro suæ scientiæ modulo, veteres fabulas ad novas notitias occidentis, cujusmodi forte tum erant: atque hinc illa fabularum diversitas, inprimis in Argonauticis, nata. Nec facile est quicquam aliud, quod Orphicorum Argonauticorum haud infimam antiquitatem, si non verborum, argumenti tamen, æque arguat, quam ἀνιστορησία locorum in occidentalibus terris; et hoc, cum ejusmodi aliis veteris geographicæ notionis vestigiis, est, quod in eo carmine inprimis spectandum veniet, si quis ad illustrandum illud accedet in posterum. Orphicorum igitur auctor jam notitiam aliquam acceperat de procurrente in occidentem Europa, isque Circes insulam extra fretum Gaditanum in Oceano occidentali quidem collocavit (v. 1205 sqq. coll. 1239 sqq.), *Lycæam* tamen *ad terram*: Κίρκης δόμον—Λυκαῖον ποτὶ χέρσον: in qua *Ligures* latere nullus dubito, adeoque præfero cod. Voss. Leid. lectionem, quæ in aliis quoque locis recipi in contextum debebat, Λιγγαῖον, quæ propior est ad vulgarem sonum Λίγυες. Apollonius IV, 646 de Argonautis: δι' ἔθνεα μυρία Κελτῶν καὶ Λιγύων περοῶντες ἀδῆσιν. Errori autem locum fecit hoc, quod Ligures olim, Iberica gens, late tenebant maritima loca non modo Galliæ et Italiæ, sed et Iberiæ. Itaque ipsæ Gades in Liguribus memorantur, et Λιγυστίνη prope Gades ap. Steph. Byz. h. v. ex poëta puta antiquo; et apud Avien. Ora marit. 284 *Ligusticus lacus*, et magis fabulosa 131 sqq. 196 sq. (cf. Wernsd. p. 1443). Traduntur certe Ligures Sicanos, Ibericam gentem, ex Hispania pepulisse (vid. Thucyd. VI, 2. Dionys. I, 22. Diodor. V, 6. Silius Ital. XIV, 34. 35, loca excitata olim a nobis ad Guthrianum opus Tom. III, p. 73). Per mixti mox iidem Ligures cum Celtis passim habitarunt, ex quo genere Salyes erant. V. Strabo IV, p. 311 A; itaque loca circa Massiliam et Rhodanum ad Ligures referuntur: sic ap. Apollod. II, 5, 10 et in loco Æschyli ex Prometheo liberato ap. Dionys. I, 41. Cf. Aristot. de Mirab. audit. T. II Opp., p. 725. (c. 91.) et Strabon. IV, p. 277 B. Intra Alpes tamen et Apenninos, a Celtis diversi, coluerunt. V. Strabo lib. II, p. 190 C. In Homericis quidem Ligures non

Digitized by Google

memorantur. Antequam tamen Italia superior Græcis penitius innotuerat, per Ligures eam universe declarare solebant. Tenendum hoc est propter multa poëtarum loca. Ita Circes quoque insula ad Ligures referri: *Λιγυστὶς ἡ συῶν μορφώτρια* Circe ap. Eurip. Troad. 437. Atque adeo Cytæam Colchidis *Λιγυστικὴν* ab ea dixit Lycophr. 1312, unde perperam Eustath. ad Perieg. 76 coloniam Ligurum in Colchidem ductam effinxit. Itaque Padi quoque ostia et succinum ad Ligures referebant veteres, conf. Plin. XXXVII, 3 s. 11, et hinc corruptum nomen *Lingurii* v. c. apud Strabonem lib. IV, pag. 310 B. *πλεονάζει δὲ καὶ τὸ λιγγούριον παρ' αὐτοῖς (τοῖς Λίγυσιν), ὅ τινες ἤλεκτρον προσαγορεύουσι.* Lingurium ex ea, quam supra posuimus, *Λιγγεῖς*, pronuntiatione nasci potuit; factum adeo Lyngurium et Lyncurium, quod nomen ad lapidis genus translatum, et nata ex etymo fabula de nato lapide ex lyncum urina. Accidit autem nomini Ligurum, ut multis in locis corrumperetur. Ita ap. Apollod. I, 9, 24 et II, 5, 10, ubi v. Not. p. 210, 398; porro ap. Aristot. H. A. I, 15, ubi post Reines. Var. Lect. p. 74 restituit Schneider. Etiam planta Ligustica, *Λιγυστικὸν*, mutata in *Λιβυστικὸν* v. Salmas. ad Solin. p. 899. In Avieni O. M. 196 *pernix lucis* præclare *pernix Ligus* emendabat Schrader Emendatt. præf. p. XXIX. Latere quoque Ligures *Λίγυας* arbitror in *Lyncei* nomine apud Lycophr. 1240, ubi Æneam dicitur exceptura esse *Τυρσηνία Λυγκεύς τε θερμὸν ἡέθρου ἐκβράσσων ποτῶν; Καὶ Πίσσ', Ἀγύλλης θ' αἱ πολύρρηνοι νάπαι.* Audiverat Alexandrinus poëta de thermis Etruriæ et Liguriæ: estque ei fluvius aliquis Ligur, *Λιγὺς*, vel *Λιγεὺς*, et corrupte *Λιγγεὺς*, ut ibidem in aliis scribitur, et excudendum erat. Apud eundem ab Æneæ posteris urbs exstruenda narratur circa Circæum: tam late Latii locus, quo Roma condita, designatur: v. 127 *Ἐν ὑψιτέκνοις ὀλβίαν δωμήσεται Τύρσιν, μακεδνὰς ἀμφὶ Κιρκαίου νάπας* etc. Cujus loci perdoctam interpretationem dedit Cluverius Ital. ant. p. 762 sqq. Homerus, qui locorum nonnullorum situs per Siciliam et Italiam, littoralem saltem, paulo accuratius norat, servato *Oceani* vocabulo (cujus notio una eademque nec fuit nec

Digitized by Google

esse potuit, variata illa jam ante Homerum, ut paulo ante diximus) Ulyssis errores ad Italiæ oram retulit ac disposuit, Circesque adeo insulam ei loco assignavit, qui Circæi promontorii et portus nomen seu tunc jam habuit seu inde accepit. Nomina, jam in Argonauticis obvia, esse commentitia, ipsa etyma docent; nam *Ala* est antiquum nomen Terræ; frater *Αἰήτης*, terrigena; pater *Sol*, et mater *Perse* Oceanina; quoniam insula in Oceano occidentali sita ferebatur.

Circe veneficiis celebrata est inde ab Homero. Fuit hoc antiquorum temporum, ut etiamnum inter populos barbaros res est satis frequens, ut passim in minus notis locis crederentur esse populi vel familiæ vel homines, qui veneficiis et magicis artibus pollerent. Ex Strabone l. c. lib. v, p. 355 B, apparet, herbarum copiam ac frequentiam in his locis memorabilem nonnullos prodidisse: quod tamen ipse potius ad Circes fabulam accommodatum putavit: φασὶ δὲ καὶ πολύρριζον εἶναι, τάχα τῷ μύθῳ τῷ περὶ Κίρκης προσοικειοῦντες. De veneno mortifero in monte Circæo obscura est narratio in Audit. Mirab. s. 79. Arboribus frequentissimum esse promontorium Circæum, diserte narrat Theophrast. Hist. Plant. v, 9, inprimis myrtis, quarum genus aliquod humile et generi coronario proximum enascebatur in Elpenoris (qui ex Ulyssis sociis fuit) tumulo, ceteris amplioribus dissimile. Quod si hunc exscripsit Plinius, lib. xv, 29 s. 36, parum diligenter dixisse videri debet universe: 'Myrtus—primum Circeiis in Elpenoris tumulo visa traditur.' Cf. Not. ad v. 11. Fuere tamen ejusmodi fabulæ de arboribus in heroum tumulis enatis plures: uti de platano in Diomedis tumulo: cf. inf. Exc. I ad lib. XI.

Ceterum *fabula de Circe* una ex iis esse videtur, quam Homerus ab antiquiore aliquo poëta tractatam acceperat, qui forte voluptatum vim ad mores hominibus belluinos induendos hoc *mytho de mutatis a Circe in belluas hominibus* docuerat. Convertit fabulam, ut tot alias, Homerus in narrationem rei, quæ vere ita evenerit, et ad Ulyssis socios transtulit. Ita vetus *mythus historica narratio* facta est. Sane hæc intra conjecturæ fines subsistere, nec fide historica

Digitized by Google

substructa esse bene memini; sufficit, ea analogiam habere cum aliis similibus, quæ Homerus in facta et res gestas mutavit. Alioqui recte et hoc statuas: poëtam hæc ex vetere Argonauticorum poëta accepta Ulyssis erroribus intulisse, seriusque alium in fabulam ethicam hæc mutasse. Lepidum est commentum, commentum tamen, d'Hancarvillii, qui hæc loca adiit, in Vasis Etrusc. T. I, p. 65, natam de Circe fabulam ex locorum facie; rudere enim in his locis ac mugire fractos ad scopulos maris fluctus, ut belluas in Circæo fremere credas, in quas mutatos esse socios, quos desiderabat, Ulysses credere potuit.

Virgilius narrationem Homericam copiose ab hoc poëtarum heroë tractatam leviter attigit: sed, quo se Homerum facile superare videbat, rerum ac verborum dignitatem addidit, qua Homerica narratio destituitur.

EXCURSUS I.*

PECTEN ET κερκὶς IN ANTIQUA TEXTRINA.

VII, 14. 'Arguto tenues percurrens pectine telas.' Expectamus virum doctum, qui post Salmasium et Braunium omnem veterum textrinam, a nostra arte textoria tam diversam, cum jugo olim astarent, qui texerent, et ex alto deorsum penderent stamina, recognoscat et exponat diligentius: rem per se obscuram, multo magis propterea, quod non una ratio texendi fuit. Etiam Pollux antiquiorem aliquam rationem norat, verbis enim κατὰ τὴν ἀρχαίαν ὑφαντικὴν utitur lib. VII, s. 36, verum apponit ille verba sine explicatione: quæ nec ipsa eundem ubique usum habuere; eadem ubi occurrunt in scriptoribus aut adjuncta non habent, aut metonymice dicta nihil definiunt: v. c. in Theocr. Idyll. XVIII, 33. 34. Cum noster versus conversus sit ex Homero: necesse est κερκίδα et *pectinem* esse eodem sensu dictos.

Digitized by Google

Jam *pectinem* non esse posse eum, quem nostri homines appellant (*Kamm*), manifestum fit ex altero loco in Il. x, 443 ubi Andromache ἰστὸν ὑφαίνει, cumque exterrita esset auditis lamentis, τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς. Nam, si nostratium instrumentum fuisset, pecten ejus manu excidere non potuisset. Nec in Marone locum haberet, quandoquidem hic *Circe* 'percurrit pectine telas;' at nostro more ipsa tela, stamen, percurrit pectinem. Jam κερκίδα quoties alias occurrit, esse fere videmus acutum quid, radium, virgam, bacillum. In Sophoclis Antig. 976 Phinei filiis oculi effossi κερκίδων ἀκμαῖσι, apud Antonin. Lib. 25 Orionis filiæ ἐπάταξαν ἑαυτὰς τῇ κερκίδι παρὰ τὴν κλεῖδα in collo et mortuæ corruunt. Eurystheo oculos effodit Alcmena κερκίσιν apud Apollod. II, 8, 1. Porro *pectinem* et *radium* esse eundem, apparet inf. ex Æn. IX, 476 'Excussi manibus radii revolutaque pensa,' quod versum est ex Homerico supra memorato, ubi κερκὶς erat. Ergo *pecten*, *radius*, κερκὶς, designant eandem seu similem rem. Etiam *radio* pulsantur fides lyræ, ut et *pectine*: docent autem monumenta, hunc fuisse tenuem bacillum vel virgam variis formis effictam.

Si itaque quæritur, qui sit *pecten* et κερκὶς in textrina antiquiore, necesse est usum ejus fuisse in discriminandis filis seu staminibus, sive ut via pateret immittendo subtemini, sive ut ei involutum vel circumvolutum affixumve esset ipsum subtemen transmittendum per stamina: hoc alterum forte dixeris probabilius, quia *argutus pecten* in nostro dictus est, et alibi ei strepitus tribuitur: v. ad Ge. I, 294. add. locum v. 46—48 in Epithal. Laurentii et Mariæ in Wernsdorf. Poët. Lat. min. Tom. IV, P. II, p. 495, passim in Anthol. ut in Antipatri Carm. XXII sec. Brunck. Archiæ Carm. XI. Ut subtemen coiret et condensaretur, *spatha* erat, forma tamen prorsus diversa a nostro instrumento, quo trama densetur. Atque hæc, in editione priore ad h. l. et sup. ad Ge. I, 294 recte exposita, ut in altera editione desererem, nullo adduci modo debebam.

Videntur sane in texendi arte et instrumentis nonnulla diversum in modum se habuisse sequioribus temporibus;

Digitized by Google

nam locus apud Ovidium Met. VI, 54 sqq. nostrorum temporum texturæ magis convenire videtur: quæ tamen et ipsa est admodum diversa in diversis generibus: ea, qua homines in eo genere, quod *hautelisse* appellatur, utuntur, proxime accedit ad antiquiorum morem: ut taceam morem texendi Indorum, Islandorum aliorumque rudiorum populorum, qui antiquiori texendi rationi maxime respondere videtur. Verum hic de textrina apud Virgilium ad Homericum exemplum comparata agebatur.

EXCURSUS II.

DE ACCESSU ÆNEÆ AD ITALIAM.

VII, 29 sqq. 'Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum Prospicit' etc. Appellunt tandem Trojani ad Italiam, secundum Virgilium ipsa Tiberis ostia ingressi: 'et lætus fluvio succedit' (Æneas) 'opaco;' cf. 201 'Fluminis intrastis ripas;' it. 303 'optato conduntur Tybridis alveo;' super quibus locis frustra argutatur Cluver. p. 880. 881; facta tamen, quod omnium quoque consensu traditur, escensio ad orientale littus in Laurentum agro. Locorum formam Exc. III animis subjiciemus.

Vix in grato solo consederant, cum nova prodigia eos exceperunt. Nam humi recubantes, et, ut a longa navigatione fessi facere solent, cibo potuque se reficientes, pro mensa panem pomis, quibus vescuntur, subjiciunt, moxque, cœna facta consumtis et his, *se mensas comedisse* adeoque vetus vaticinium, ex nonnullorum fide jam olim a Sibylla Erythræa datum, quod hunc errorum terminum figebat, ne ad ulteriores occidentis oras pergerent, ad eventum perduxisse vident, ut a poëta copiose narratur; nec id sine dignitate epica factum, ut jam alias declaratum est. Conf. Excurs. VIII lib. III. Frequentata est fabula omnium, qui de

Digitized by Google

de Trojanorum in Latium adventu meminerunt, memoratione; plerumque simpliciter, sine mensæ materia expressa, ut in Conone 46, ubi λόγος οὗτος κατημάξευται, sive Conon sive Photius adjecit, tritam esse fabulam significans. Sed inest diversitas in mensæ materia, quam alii non libum sed apium fuisse tradiderunt. Dionys. I, 55 utriusque narrationis facit mentionem, σέλινά μεν πολλοῖς ὑπέστρωτο, καὶ ἦν ταῦτα ὥσπερ τράπεζα τῶν ἐδεσμάτων· ὡς δέ φασί τινες, ἴτρια καρτοῦ πεποιημένα πυρίνου, καθαρότητος ταῖς τροφαῖς ἕνεκα. Etiam Dio in Exc. Vales. n. III τραπέζας σελινίνας οὔσας memorat ἢ ἐκ τῶν σκληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων: ignoravit Dio aut Tzetza potius ad Lycophr. 1232, unde hæc a Valesio ad Dionem retracta sunt, panem priscis hominibus nihil aliud quam crustulum et placentam fuisse; ignoravit quoque Victor O. G. R. 10 'consumto quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse:' et Domitius apud Aurel. Victor. O. G. R. 12 'mensarum vice sumendi cibi gratia apium, cujus maxima erat ibidem copia, fuisse substratum, quod ipsum consumtis aliis eduliis eos comedisse' etc. Diversitatem narrationis post tot harum rerum in superioribus exempla non modo æquo animo ferre didicimus, verum etiam, quid inde sequatur, quomodo a pluribus tale argumentum tractatum, aut jactatum multo sermone, quantaque inde poëtæ rerum copia ad manum esse debuerit, satis vidimus. Hanc tamen diversitatem narrandi admodum miratur Toupius in Emendatt. in Suidam P. I, p. 38. 39, cumque inter alia placentarum genera, quæ infinita apud veteres sunt, in σελήνας incidisset, quæ lunatæ et μηνοειδεῖς erant, totum de *apio* commentum 'ortum habuisse ex corrupta illa lectione historici alicujus veteris, quam bona fide exhibuit Dio, τραπέζας σελινίνας. Atqui scriptor iste—procul dubio dederat τραπέζας σεληναίας:' conjectat ingeniose et scite; nec tamen vere. Sane quidem plures, Italicas inprimis, fabulas a verborum similitudine ductas nemo neget. Hoc ipsum de mensis comestis vaticinium verborum lusu contineri supra vidimus; et aliorum quoque populorum

Digitized by Google

fabulæ, in primis Romanenses, a nominum similitudine vel vario significatu petitæ sunt, ingeniis hominum agrestibus et incultis in iis fere ad majora se acuentibus. Ita de Melusina fabulam satis probabiliter suspicantur viri docti natam esse ex æquivocatione vocis Celticæ *Melus*, quæ suavem et amabilem notat, et alterius vocis *me* et *lusen*, quæ media sui parte serpentem esse significat. Ne tamen simile quid in Toupii conjectura locum habeat, facit hoc, quod σελῆναι inter pistoria opera exquisitioris artis fuerunt, quæ adeo ab horrida antiquitate aliena sunt, nec, quomodo historicus res Trojanas exponens, cum de panibus dicendum esset, placentas rarioris formæ et nominis subjicere potuerit, intelligitur. Saltem hoc dicendum erat, fuisse forte veterem aliquem tragicum, qui, quod poëtæ licet, ubi oraculi illius vel eventus meminisset, pro pane vel placenta, quæ priscis hominibus pro pane erat, genus exquisitius σελήνας aut τραπέζας σεληναίας poneret; etsi vel sic alia difficultas manet, quod non σεληναῖα πλακοῦντα illa dicta, sed ἐπισέληνα. Neque autem improbabile fit, etiam sine vocabulorum sonive fraude ad apium panes seu placentas deduci potuisse. Fac fuisse aliquem, qui, cum oraculum omnino pronuntiasset, sedes fore eo loco, quo mensas essent absumturi Trojani, aut cum rei eventus, non declarata satis ratione ac modo, narratus esset, ut a Lycophrone factum videas v. 1250—1253, deductos Trojanos in Italiam et in herba recubantes exhiberet, ut Virgilius fecit; quidni pro mensis dederit herbas cibis substratas? cumque eas ipsas essent comesturi, genus tale ponere debuit, quod edule esset et in talibus locis frequens. Tale autem apium esse, nemo facile ignorat, nisi verba forte ac sonos discere ac tenere consueverit notione nulla subjecta. Nam condonandum est viri doctissimi elegantiæ quod inter cetera posuit: 'Vidistin quicquam inficetius aut ridiculum magis? Trojanos pro mensis *apium* adhibuisse, atque eo denique, more Asinorum, vesci potuisse.' Non assequor, quid ille de hac planta statuerit. Etsi enim apii nomen latius patet, et incertum est, quale apii genus *veterum apium* sit, cum alii cum Matthiolo *petroselinum* nostrum,

Digitized by Google

alii nostrum *Celery* id habendum esse statuant (verum apium in Ægypto se reperisse Alpinus rer. Ægypt. III, 9, p. 158 asserebat; erat de eo narratio apud Theopompum, lib. VIII Philippic., ut ex Theonis Progymn. 2 intelligo), manet tamen hoc, inter edulia illud fuisse. Si tamen fabulæ causa et ratio a verborum lusu revocanda esset, potiore loco haberem Fabricii ad Dionem conjecturam, ex permutatione vocum τῆλις, quod fœnum græcum, silicia est, unde τήλινον vel σήλινον ἄλευρον dictum, aut forte ex voce τηλία vel σηλία, quæ pistorum arca vel tabula frumentaria est, in σέλινον aliquem incidisse. Sed, ut diximus, alienæ sunt a re tales argutiæ; nec res tanti est, ut diutius ei inhæreas. Nobis de poëtæ copiis instituta erat disputatio.

Alterum prodigium, quod Trojanis in nova terra objectum fuit, est sus cum XXX fœtibus: v. VIII, 81 sqq.; fabula quidem nihil per se habens vel dignitatis, vel suavitatis, qua tamen vix alia inter Romanas origines celebratior; etiam multis numis, inprimis Adriani et Antonini Pii, insignita; forte etiam gentis Sulpiciæ, scrofa inter Dioscuros, Penates, jacente. Nam Lavinio condendo locus, et post XXX annos deducendæ coloniæ Albæ Longæ tempus, ab eo ostento peti solebat. Vetustatem ipsa declarat immundi animantis commemoratio, ab elegantiore ævo abhorrens. Omnino prisca Itália magnos suum greges alebat, inprimis Etrusci et Galli, adeo ut scrofam inveniri contigerit, quæ mille porcorum gregem ex se prognatum duceret. V. loc. non indignum lectu Polybii Exc. Vales. XII, 2. Itaque poëta, qui mythis domesticis Græcis fabulis intexendis novitatis jucunditatem captabat, ad popularium suorum judicium non insuaviter aut leviter suem albam commemorasse videri debet. Poterat forte rem ornare, cum etiam hæc de alba sue fabula multis modis a veteribus narrata sit, quas, cui libuerit, apud Dionys. I, 56, Sext. Aurel. Vict. 12 ex Catone, Lycophr. 1257 sqq. (Locus in eo sic interpungendus: *Κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις Βορειγόνων, Ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' ὠκισμένην Πύργους, τριάκοντ' ἐξαριθμήσας γονὰς Σὺὸς κελαινῆς* [nigram pro alba memorat] etc.) et Tz. ibi et ad 1232 (unde in Dionis Excerpta

Digitized by Google

locus inscritur), Varron. de L. L. IV, p. 35. ed. Dordr. Servium ad III, 390. VIII, 43. 81, et ex Fabio Pictore ap. Syncell. Chronogr. p. 199 D. cognoscere licet; quo ipso poëtæ defensio parata est, cum fabulam tam insignem omittere noluerit. Signum ejus suis Lavinii ostendebatur: quod narrat Varro R. R. II, 4, 18, et, quod mireris in poëta locorum et rerum Latii alioqui admodum ignaro, Lycophron. 1259. 1260, Ἧς (συὸς) καὶ πόλει δείκηλον ἀνθήσει μιᾷ Χαλκῷ τυπώσας καὶ τέκνων γλαγοτρόφων: (ubi ipse Æneas dicitur esse is, qui ἀναθήσει, *consecrabit* illud signum) eoque loco, quo sus cum porcellis immolata fuerat, sacellum (ἡ καλιὰς) Dionysii ætate supererat lib. I, 57. Rem fecisse inutilem videri potest poëta in hoc, quod Tiberinum Deum facit prædicentem ostentum (VIII, 42 sqq.); cum prædictum hoc idem jam olim esset ab Heleno lib. III, 389. Verum etiam in hoc veterem auctoritatem secutus esse deprehenditur ex Dionys. I, 56, ubi narratio vulgaris exponitur. Sequitur enim Æneas porcam ab ara se proripientem in mediterranea, cumque in colle, urbi condendæ parum idoneo, procubuisset, repente vox ex nemore allapsa dubitantem confirmat. At de auctore vaticinii tradiderant alii aliter. Nam una cum oraculo de mensis absumtis Dodonæ vel Erythris datum illud prodiderant ii, quos Dionysius sequitur lib. I, 55, et ex Cæsaris et Lutatii fide, qui eosdem fere auctores habuisse videntur, Sextus Aurel. Victor c. II scrofam narrat 'incientem,' (gravidam) 'quam cum e navi produxissent, ut eam immolarent, et se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Æneam, *quod aliquando ei responsum esset*, urbi condendæ quadrupedem futuram ducem.' Scilicet, ut ex h. l. intelligitur, scrofam in navibus Ilio advectam narraverant alii, ut Lycophron. l. c. 1256 Συὸς κελαινῆς, ἣν ἐπ' Ἰδαίων λόφων, Καὶ Δαρδανείων ἐκ τόπων ναυσθλώσεται.—Et Varro de L. L. l. c. Alba—'id ab sue alba cognominatum. Hæc e navi Æneæ cum fugisset Lavinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta hæc urbs facta, propter colorem suis et loci naturam Alba Longa dicta.'

De *loco, in quo sus inventa est*, adhuc nonnulla monenda

Digitized by Google

sunt, cum poëta eum ita declarare videatur, quasi *eodem in loco* mox urbs condenda et condita fuerit: nam Æn. III, 389 sq. Helenus: 'Cum tibi solicito secreti ad fluminis undam Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus, Triginta capitum fœtus enixa, jacebit, Alba, solo recubans, albi circum ubera nati: *Is locus urbis erit;* requies ea certa laborum:' et VIII, 42—48 ubi oraculum a Tiberino repetitur: *Littoreis ingens* —(si modo, quod dubito, vss. 46. 47. 48 recte ibi locum habent). Memorat ergo poëta locum ad Tiberim, 'secreti ad fluminis undam,' et *hic* urbem condendam esse. Atqui in iis locis urbs condita ab Ænea memoratur nulla.

Conveniunt tamen in eo plura Virgilii loca, urbem ab Ænea conditam esse, ex qua reliquus fatorum ordo ductus esset: unde statim Æn. I, 9. 'Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, Inferretque Deos Latio.' Eam *Lavinium* fuisse, dubitare non sinit ipse poëta lib. I, 268 Jupiter ad Venerem: 'cernes urbem et promissa Lavini mœnia.' Hic Æneas bellum geret, 'moresque viris et mœnia ponet,' et hinc Ascanius 'regnum ab sede Lavini Transferet et Longam multa vi muniet Albam.' In ea urbe deponenda erant sacra ac Penates: lib. II, 294. 295. III, 159. 160. Et lib. XII, 193. 194, ubi Æneas: 'mihi mœnia Teucri Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.' Verum ea longius fuit a Tiberi et a loco suis inventæ remota. Dices Lavinium serius esse conditum, et *aliam urbem* jam *antehac* fuisse eductam *ad Tiberim*, ad quam spectaverit vaticinium. Verum post escensum statim ad Tiberim munita fuere *Castra* lib. VII, 157 sqq. de quibus v. Excurs. III. At urbs condita fuit haud dubie Lavinium.

Scilicet ab usu loquendi haud est alienum, ut *hic* et *is* latius, vicinis locis comprehensis, accipiatur: quod multo magis accommodatum erat vaticinio obscure res enarranti: 'Is locus urbis erit;' ea terra, in qua juxta amnem sus inventa fuerit; non autem spatium illud terræ, in quo sus jacebat; ut nec *tempus* urgendum est in oraculo: quasi statim post escensum factum sue conspecta, et mensis ambesis, (lib. III, 255—257) urbs condenda fuerit. Subvene-

Digitized by Google

runt tamen scriptores antiquæ famæ de urbe in loco, in quo sus inventa fuerat, condenda, dum hoc adjiciebant: Suem jamjam mactandam effugisse, et Æneam, qui eam persecutus erat, pervenisse ad eum locum, in quo aliquando urbs condita fuit: v. Dionys. I, 56 supra laudatum, et Aurel. Vict. O. G. R. c. 11. Iterum tamen variatam reperimus narrationem, cum vaticinium modo ad Lavinium, modo ad Albam Longam referri videamus in iisdem scriptoribus. Obscura quoque est Maronis sententia (in vaticinio l. c. III, 387—393 et VIII, 42 sqq.); sed ostentum ad Albam Longam spectare satis diserte declarat, urbem ab Ænea conditam esse Lavinium; etsi suem eo statim loco mactat, quo ea visa fuerat VIII, 81—85.

Commemorata hæc a me sunt etiam propterea, quoniam vidi viros doctos duplicem Albam ex his Virgilianis locis prodidisse. Sunt Xaverii Matthæi per saturam Exercitationes Neap. 1759, qui pag. 59 'diversam ab Alba Longa *aliam* veterem Albam in Tiberis' littore fuisse statuit, eamque a poëta his verbis declarari: 'Hic locus urbis erit—ex quo' (loco, unde) post XXX annos, 'Ascanius clari condet cognominis Albam.' Atqui istius antiquioris Albæ nusquam alibi facta mentio occurrit.

Hactenus poëtam veteres fabulas suscipere vidimus; sed hoc non sine judicio factum etiam ex hoc judices velim, quod alias in eadem re non infrequentes nec obscuras fabulas sprevit et neglexit; qualis illa est, quam Dionysius tanquam ab indigenis acceptam narrat lib. I, 55, quod escensu facto in magna aquæ penuria scaturigo ex solo emicuit. Fons Solis inde appellari cœpit, cum binis aris astantibus. Aliud oraculum Apollinis Delphici, ut Æneas ibi consideret, ubi duo maria invenisset, e Domitio apud Sext. Aurelium Vict. c. 12, sed indocte, narratur, nam ad duo stagna aquæ salsæ in agro Laurente trahitur, quod ad mare Etruscum et Lacum Ostiensem referendum erat; ut jam monitum video a Cluverio p. 882. Tandem ostentum in Lavinio condenda oblatum ignis sponte exorti, aquila ac vulpe super eo contendentibus, multo minus a poëta tractari

Digitized by Google

potuit: etsi numis gentis Papiæ nobilitata. (Vide vel Eckhel Tom. v, p. 267.) Nata et hæc anilis fabula videtur ex signis aquilæ et lupi in foro Lavinii positis, quæ Dionys. vidit, lib. I, 59.

Classem Trojanorum in ipsis Tiberis ostiis incensam a mulieribus duce Roma quadam, tradiderant olim scriptores apud Dionysium I, 72 (p. 58), in quos inciderat Polyænus Strateg. VIII, 25, 2, ubi idem Trojanarum mulierum facinus exponit. Cf. ad lib. V Exc. VI. Quod autem poëtæ *Thybris*, non *Tiberis* scribitur, qua de re tam multa argutantur Grammatici, illud ad dignitatem epicam spectare puta, cum forma vocis sit magis recondita ex Græcis poëtis et scriptoribus translata, quibus Θύμβρις et Θύβρις est, sono ipsis magis frequentato.

EXCURSUS III.

DE LOCORUM, IN QUÆ TROJANI ESCENSUM FECERE, SITU: ADEOQUE DE AGRO LAURENTE ET TROJA NOVA, URBIBUS LAURENTO ET LAVINIO, NUMICIO FL. JUTURNÆ LACU, ET URBE ALBA LONGA.

Nunc *de locorum*, ad quæ sex posteriorum Æneidis librorum res dispositæ sunt, *situ* paucis videbimus, quantum quidem ad consilium nostrum conferre videri potest. Nam alio et suo more tractarunt hæc Cluverius Ital. ant. et Vulpius Latio ant.

Escendisse Trojanos ad *littus Tiberis orientale* locus VII, 29—36 diserte docet. (Nam ex illo versu VII, 241. 242 'jussisque ingentibus urget Apollo Tyrrhenum ad Tybrim et fontis vada sacra Numici,' parum docte appulsum Trojanorum ad Numicii fl. ostia transtulere nonnulli, in quorum aliquem incidisse videtur Zonaras, qui idem fere tradit. Sed Numicium posuit Maro poëtica ratione omnino ad

Digitized by Google

regionem designandam). Faciem littoralis plagæ et Tiberini ostii describit poëta admodum diversam ab ea, quæ nostro ævo conspicitur. Nunc arena multa obtinet, aut ager apricus; idque jam Rutilii tempore ita se habuit, Itin. I, 181. 'Lævus inaccessis fluvius vitatur arenis, Hospitis Æneæ gloria sola manet:' at Æneas 'ingentem ex æquore lucum Prospicit; hunc inter fluvio Tiberinus amœno Vorticibus rapidis et multa flavus arena In mare prorumpit' etc. Quæ tamen nemora non soli poëtæ ingenio deberi credendum est. Nam primum incultarum terrarum, antequam habitatores nactæ sint, plerumque is habitus est, ut sylvosæ et paludosæ sint; tum alia passim veterum poëtarum loca, ubi de Romæ originibus tradunt, utramque Tiberis ripam arboribus densam exhibent. Tandem meliore etiam Italiæ cultu Romanorum tempore littus hoc Ostiense lucis abundasse Lancisius docuit in Diss. de Villa Pliniana in Opp. P. II, p. 122, ubi in aggestiones littoris Ostiensis factas, solo in mare ad III milliaria producto, post alios viros doctos inquirit.

Igitur a læva seu orientali Tiberis littore late, ex poëtæ non modo mente, sed et ex vera locorum indole, patuit sylva, et ea quidem adhuc Commodi tempore *lauris* frequens, ut ex Herodiano intelligitur lib. I, 36. Tenebant hæc loca *Aborigines rege Latino*, ipsi *Laurentes* dicti: lib. VI, 892 'Laurentes populos urbemque Latini.' Idem nomen urbis, *Laurentes* vel *Laurentum*, ab inventa, dum condebatur, lauro; ut VII, 59—62 narratur: id quod poëtæ relinquendum; potuerunt enim etiam aliæ nominis esse causæ: forte ipse laurorum per hæc loca lætus proventus. Ager autem usque ad mare ac Tiberim patens *Laurens* vel *Laurentinus* fuit dictus. Nomen tamen interdum Maro, ut poëta, latius ad totum Latium traduxit: ut cum lib. VII, 650 *Turnum Laurentem* appellat, et *Laurentem Maricam* lib. VII, 47. Ex quo quidem loco male nonnulli Laurentes usque ad Lirim habitasse collegerunt. Nec illud turbare quenquam debet, quod et Latini urbem 'Laurentem arcem' poëta, VIII, 1, aut 'Laurentes muros' lib. X, 671, et idem 'Lau-

Digitized by Google

rentia castra', lib. x, 635, novam Trojam appellat. In epithetorum ornamentis nulla subtilitas a poëtis et religio expectatur.

Æneas e loco, ad quem appulsa classe copias eduxerat, altero die missis, qui vicina explorarent, oratores Laurentum ad regem Latinum legat. Interea *castra* munit VII, 157. 159, qui locus inde *Trojæ* nomen obtinuit. Eo allusum lib. x, 26 'muris iterum imminet hostis Nascentis Trojæ.' Cf. v. 74. 75. In Trojæ hujus, Laurenti, Lavinii, et Lanuvii nominibus valde turbant aut nugantur Grammatici, antiquiores et seriores historici, ut Servius passim. Ita Charax Ardeam appellarat *Τροίην* ap. Stephan. Byz. in *Ἄρδεα*. Dio ex Tzetza excerptus p. 21. 42 *Λαύρεντον τὸ καὶ Τροίαν λεγόμενον*. Appian. in Excerpto ex Photio Cod. 57 *littus Laurentum* et *oram maritimam Trojam* dictam perperam narrat. Satis est semel de hoc monitum esse: v. inpr. Vulpii Vet. Lat. Tom. VI, p. 13 seqq. Sed et veteres passim scriptores, ut Strabo v, p. 350 B. (p. 229) Trojanos egressos statim Lavinium condidisse aiunt. Nomen Trojæ ex Livio jam notum esse potest, lib. I, 1 'ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse: Trojæ et huic loco nomen est. Ibi egressi Trojani.' Et Servius ad VII, 158 'Et sciendum, civitatem' (parum proprie dictum), 'quam primo fecit Æneas Trojam dictam secundum Catonem et Livium.' Quatuor a mari stadiis seu passus quingentos eam distare Dionysius adjicit lib. I, 53, unde recte Virgilius VII, 158 'primas in littore sedes' dixit. Strabo enim, qui lib. v, p. 229, XXIV stadia memorat, de Laurento loquitur, non de Trojæ situ. Cf. Cluver. p. 880, et Vulpius l. c. p. 40 sqq.

Locus hic a Trojanis captus munitusque (*χάραχα ἔθεντο* etiam Dionys. I, 53), quem *Trojam novam* appellant scriptores, est is, quem poëta fere *castrorum* nomine ac notione designat, quemque Turnus oppugnat lib. IX. *Τειχομαχία* castrorum Achivorum partem Iliadis constituit insigniorem. Sed Maro similem pugnam locorum situ variavit præclare. A dextra mœnia ad amnem pertingebant (IX, 469 'nam dextera cingitur amni'), quam partem Turnus in castris in-

Digitized by Google

terceptus petiisse putandus est (v. 790 'Turnus paulatim excedere pugna, Et fluvium petere, ac partem quæ cingitur amni'); inde enim se in Tiberim saltu immittit v. 815. In proximo subducta erat classis Trojanorum, aggere cincta et fluvio tuta IX, 68 sq. 'Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat, Aggeribus septam circum et fluvialibus undis Invadit.' Ab altera parte mare erat; nam *porta* castrorum *proxima ponto* commemoratur IX, 238. cf. Serv. ad e. l. et ad VII, 31. Erat tamen campus inter mare et castra satis patens, quo Rutuli ordines explicare et urbem oppugnare poterant. Nam Trojani 'murorum in parte sinistra Opposuere aciem' etc. IX, 468. Ex hoc locorum situ etiam illustranda est Nisi et Euryali nocturna profectio: v. ad lib. IX, 195.

Non longe a castris his et a Tiberi versus orientem aberat *Laurentum*, eo loco situm, qui nunc Paterno et Torre di Paterno vocatur, ut docent Cluver. Ital. ant. p. 883 et ex Fabretto Vulpius Vet. Lat. Tom. VI, p. 29. Locum S. Lorenzo alii perperam Laurenti vestigia habere crediderunt. Ad urbem iter Æneas fecit agmine ad lævum, a septentrione, circumducto, per saltus et clivos sylvis illo tempore consitos: de quibus v. inf. XI, 513 sqq. 522 sqq. Ad dextram versus littoralem plagam aperiebat se camporum planities, in qua equestris pugna facta. In eosdem campos descendebat agmen pedestre, cum ad urbem appropinquaret: XI, 903—907. Castris ibi positis altero die, fœdere et certamine singulari inter Turnum et Æneam frustra constituto, tumultuaria exoritur pugna: quam cum in neutram partem inclinari videret Æneas, subito partem exercitus ad urbem oppugnandam admovet. Tandem in eadem camporum planitie concurrunt Turnus et Æneas pugna facta, quæ Æneidem absolvit. Fugit fracto ense Turnus: inclusum se videt undique a corona spectantium. 'Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt' XII, 745. Scilicet hæ sunt *paludes Laurentinæ*, ad urbem usque productæ: quibus Laurens hic tractus etiamnum invius et inaccessus est: idem tamen apris frequens, quos toties poëtæ memorant.

Digitized by Google

V. Cluver. p. 886. 887. Vulpius l. c. p. 36. Et de iis ipse Maro lib. x, 707 sqq. aper, quem multos annos 'defendit palus Laurentia, sylva Pastus arundinea.' Erat igitur paluster hic tractus, passim sylvis consitus: uti omnino magnam agri Laurentini partem *sylva Laurentina* occupabat. Latius tamen ea antiquioribus temporibus procedere debuit. Ea est, de qua lib. IV vs. 381 sqq. accipiendi: 'Sylva fuit late dumis atque ilice nigra Horrida.' Per has fugam faciebat Nisus castris egressus ad interiora loca versus montes Albanos, et qui iis subest, lacum Albanum, ad quem Latinus armenta tum habebat: ibid. 387 sq.

A Laurento si ad orientem paulo altius in mediterranea processeras, III M passuum a mari, *Lavinium* ab Æneа fuit conditum: 'urbs et promissa Lavini mœnia' lib. I, 262. Tria ista passuum millia redeunt ad XXIV stadia, quæ Strabo lib. V, p. 350 B et Dionys. I, 56 memorant. A Roma aberat millia passuum XX. Sita urbs ἐπὶ λόφῳ τινὶ ap. Dionys. I, 45, sive collis is fuit, in quo nunc S. Petronellæ fanum est, v. Cluver. p. 894, seu non longe ab hoc loco collis, qui nunc *Monte di Levano* appellatur. Ita Holstenius statuebat: v. Vulp. l. l. p. 31 et 86. Ibidem alii pro vetere Lavinio habuerunt oppidulum Patrica vel Pratica, quod MIO passus ab eo colle abest. Iis Vulpius hactenus accedendum statuebat, ut ibi *lucus Patris* vel *Jovis Indigetis* fuisse videatur; esse enim nomen a *Patre* Indigete ductum: nec longe abesse fontem Numicii, ad quem Lavinium situm fuisse uno ore omnes tradunt. In hanc urbem delati sunt Penates Trojani: de quibus sup. Exc. IX ad lib. II egi: Varro de L. L. IV, p. 35 'Oppidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ Lavinium; nam ibi Dii penates nostri. Hoc a Latini filia, quæ conjuncta Æneæ, Lavinia appellata:' in editissima collis parte, et quidem Veneris Frutis templo, cujus etiam Strabo V, p. 355 A (p. 232) meminit, conditi, si Solinum audias c. 8, ubi v. Salmas. p. 49, atque in eo loco relicti, etsi Alba longa condita et sede regni facta. Etiam ea in re portentum intercessit, quod Dionys. I, 67 exponit, et de quo auctoritatem

Digitized by Google

Annalis Pontificum, Cincii, Cæsaris, Tuberonis excitat Victor O. G. R. 17. Colonorum quidem numerus non adeo magnus esse potuit ab initio, siquidem iis IO, vel, ut alii tradiderant, IOCC jugera satis fuere ad arandum: v. inf. ad lib. XI, 316 sq. Duxit enim ex ea narratione Maro agrum suum a Latino rege, ut Trojanis assignaretur colendus, propositum, ut ibi videbimus. Nomen urbi a *Lavinia* inditum constans fuit fama a majoribus accepta, etsi, quæ illa fuisset, varie erat traditum: v. Dionys. I, 59. Lavinum quoque Latini fratrem videntur prodidisse olim quidam, ut e Servio colligas ad lib. VII, 59. Sed de his, aliisque, quæ ad consilium nostrum non faciunt, videndi Cluverius et Vulpius Lat. ant. Tom. VI. add. Lucatelli Diss. in Diss. dell' Accademia di Cortona Tom. VII, p. 109. Hoc unum monebimus, *Laurolavinii* nomen ad seriora tempora post Vespasianum spectare; colonia forte ex Laurentibus et Lavinatibus in unam urbem conscripta. Peccat in hoc Servius ad VII, 59 et alibi cum aliis.

Nobis *Numicius* adhuc verbo commemorandus est, inter Laurentum ac Lavinium defluens amnis, alteri huic tamen propior. Eum sub monte S. Petronellæ ex antro in subjectos agros pronum decurrere narrat Cluver. Ital. ant. p. 894. At ex lacu Nemorensi prodire et nunc sub nomine Rivo di Nemi latere Ligorius tradidit. Sub oppido Patrica alii eum investigarunt: quod tamen ad eadem loca spectat. Alii nunc exaruisse eum affirmant; et interceptum amnem jam Servius notavit ad lib. VII, 150. In hoc fluvio Æneas, pugna ad eum seu cum Etruscis seu cum Rutulis facta, interiisse, certe oculis sublatus esse creditus est: factum ei ad ripas sacellum, cum luco, *Jovis* vel *Patris indigetis* nomine; aut, quod credere par est, antiquioris numinis in hoc loco a priscis Latinis culti sacra ad Æneam retulere seriores: uti tot alia veteris Latii numina ex suis opinionibus interpretati sunt Romani. Inde Numicii nomini religio aliqua inesse cœpit. Utitur eo poëta aliquoties omnino ad designandum Latium: v. c. VII, 242. Fontem fluvii lacum vel stagnum fuisse tradunt ex Æn. VII, 150 ' hæc fontis

Digitized by Google

stagna Numici:' Sed si gravior auctoritas alia nulla est, poëtam ornate pro fonte stagna fontis dixisse arbitrari malim. Etsi toto suo decursu fluviolus lacubus interceptus tardoque ac tacito motu similis stagno fuisse videtur, nam alveum habuit ulvosum et limosum: Ovid. XIV Met. 598. 599 'Littus adit Laurens: ubi tectus arundine serpit In freta flumineis vicina Numicius undis:' et v. 601 'tacito cursu' de eodem.

Haud longe a Numicii fonte, nec nisi VI M passuum intervallo, *Juturnæ* fuit *lacus* et fluvius et fons: quem ex montis Albani radicibus, utque perhibetur, ex occultis lacus Albani meatibus, prodeuntem in occidentem ferri, mox in lacum haud magnum diffundi, inde in Tiberim deferri, eique V milliario ab Ostia, VII ab urbe Roma, misceri tradunt Cluver. p. 722 et inde Vulpius Lat. ant. Tom. VI, p. 225. Esse ei nomen nunc *Treglio;* lacum tamen, ante centum et quod excurrit annos, fere totum exaruisse hic idem testatur Tom. V, p. 218 (quo tamen loco Juturnæ lacum cum altero illo confundit, quem poëta lib. XII, 745 memorat). *Juturnam*, Nympham, Turni sororem, adeoque Dauni filiam (unde XII, 785 'Daunia Dea' est), edidit Maro noster: an vetere auctoritate, non constat; argute tamen seu invenisse seu usurpasse dicendus est. Fontis enim in iisdem locis siti numen curare populares suos et tueri adversus advenas recte videri poterat. Etiam hoc ad locorum situm spectat, quod Juno cum Juturna actura in Albanum montem descendit lib. XII, 134 'At Juno e summo.' Fuisse Juturnæ nomine Deam Latii indigenam, et quidem fontis numen, satis constat. Argutatus est in nomine jam Varro L. L. IV, 10 esse ductum a juvando, ejusque fontem haberi saluberrimum. Adjiciunt alia commenta Servius ad XII, 139 et alii. Fuit tamen Romæ quoque *Juturnæ lacus* et *fons:* vide v. c. Ovid. Fast. I, 708 seqq. et post alios Vulpium Vet. Lat. Tom. I, p. 346 sq.; itaque et *Juturnalia* festum. Fontium omnino nympham edere voluisse videri potest Virgilius XII, 139. 140 Diva— 'stagnis quæ fluminibusque sonoris Præsidet' et v. 142 'Nympha decus fluviorum:' sed, tanquam poëta, genus pro

Digitized by Google

individuo posuisse videri debet, et ornamenta adjecisse, Ornans quoque epitheton *sonoris;* nec alia vis inesse putanda. Ornavit porro idem fabulam de nympha a Jove amata ibid. 140 sqq., quam suo more exposuit Ovid. Fast. II, 585 seqq. Alia Numicii fl. nympha fuit *Anna perenna*, parum lepide de Didonis sorore interpretata a poëtis Romanis.

Ab his inde locis surgit campus in clivum, qui ad montem Albanum ducit, in quo XXX a Lavinio annis condita est ab Ascanio *Alba Longa:* quæ res ostento suis albæ jam Æneæ fuit significata VIII, 81 seqq. 'Ecce autem subitum' etc. Varro de L. L. IV, p. 35 'Hinc' (Lavinio condito) 'post XXX annos oppidum alterum conditur Alba: id ab sue alba cognominatum'—Albæ exstructionem jam Jupiter Veneri prædixerat Æn. I, 271—275 'At puer Ascanius—et longam multa vi muniet Albam.' Urbis conditæ etiam alio loco meminit poëta lib. V, 597 'Ascanius, longam muris cum cingeret Albam.' Ab urbe nomen accepit *mons Albanus.* Sed illo tempore, quo Æneas Latium adierat, 'Tum neque nomen erat neque honos aut gloria monti,' XII, 125. Sub monte *lacus Albanus:* de quo lib. IX, 387 'lacus, qui post Albæ de nomine dicti Albani.' Qui minus accurate hæc tradiderant, Albam ab Ænea conditam dixerant; ut ap. Conon. 46.

EXCURSUS IV.

VETERIS ITALIÆ ORIGINES, POPULI, ET FABULÆ, AC RELIGIONES.

VII, 37 sqq. 'Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum, Quis Latio antiquo fuerit status' etc.

Primum observandum est, Virgilium Latii res non persequi, nisi quatenus ad Aborigines spectant, adeoque eorum origines pro rerum in his locis initiis ponere; etsi, ante Aborigines, Siculos, partim etiam Umbros, in his locis fuisse

Digitized by Google

constat. Porro tenendum, Aborigines hos, seu, quod videbimus, Ausones, populorum per Americam ferorum et sylvestrium more, dispersis per Italiam, ipso locorum inter amnes ac montes situ fines regente, sedibus, et in plures populos ac nomina divisos, habitasse. Religiones adeo ac ritus sacrorum et numina domestica inter tot populos non omnino eadem fuisse mirum non est. Fuere tamen etiam religiones ac fabulæ omnibus tanquam a communi stirpe ortis communes. Utrumque genus in suam rem convertit poëta: atque hinc in seq. libris *fabularum novus ordo* exoritur; ex variorum Italiæ populorum, Aboriginum maxime Latii, historiis et religionibus petitus. De utraque re omninoque de vetere Italia paulo accuratius nunc dispiciendum est, ut pluribus Virgilii locis una opera lux affundatur, utque, quale historiarum veterum genus poëta, quoque judicio amplexus sit, appareat. Nec vero sex posteriorum librorum lectione delectari potest aliquis, qui veteris Italiæ statum non imbiberit, animoque suo repræsentare sibi vitam illam antiquam possit. Procliviore quoque studio ad declarandam hanc Italiæ antiquitatem feror, quo plura viri docti, nulla subtilitate judicii (*criticam historicam* appellamus) adhibita tradiderunt, quoque pauciora rite et ad scriptorum ævique prisci fidem moremque sunt explorata et constituta.

Intra *Aboriginum stirpem* poëtam Latii res continere et includere modo diximus. Qui illi fuerint, quæstio est inter veteres et recentiores variis modis agitata. Ponemus hic ea, quæ, post diligentem in his rebus alio loco collocatam operam, ex ceteris maxime nobis se probarunt, eaque aliis rationibus illustrabimus; quantum quidem ad doctam poëtæ interpretationem satis esse videbitur.

Fuere *Aborigines* ex antiquissimis veteris Italiæ habitatoribus, sed *post Umbros* et *Siculos*. Quæ de eorum origine vulgo tradita legimus, ex nominis fere causis parum feliciter petita sunt. Mihi vero ne id quidem liquere videtur, an antiquum eorum nomen illud fuerit. A serioribus, qui antiquas res memoria vel litterarum monumentis repetenent, inventum nomen puto, ut primos Latii et locorum circa Tibe-

Digitized by Google

im ad mare properantem cultores designarent, tanquam αὐτόχθονας, respectu ad advenas habito, qui deinceps in eadem loca confluxerant. Oblituerunt posthæc Aborigines sub Latinorum nomine, quod principio partem tantum populi, qui sub rege erat, designasse, nec, nisi Albanorum regum crescentibus opibus, latius patere cœpisse videtur. Virgilius tamen, ut poëta, jam Æneæ tempore Latium et Latinos ex sequentium temporum conditione æstimare potuit.

Antiquiorum auctorum, quos Dionysius exscripsit, fide constat, *Aboriginum* memoriæ et nominis *prima vestigia* circa Reate, ultra Velinum lacum et fluvium, in Umbris occurrere. Ex his locis versus mare vicina quæque deinceps tenuerant, et in iisdem locis plura loca eorum memoriam servabant Dionysii adhuc tempore, quem vide lib. I, c. 14—17. 18 cum illustrationibus locorum, quas dedit Cap Martin de Chaupy (in Decouverte de la Maison d'Horace Tom. III, p. 112 sqq.). Ut adeo Aboriginum nomen ad unum aliquem non valde potentem aut late habitantem populum spectasse necesse sit.

Mature cum barbaris illis promiscue habitarunt Pelasgi; terram a populis per solitudines errantibus male habitatam facile occuparunt advenæ, ut nostris ætatibus Americam. *Pelasgi* quæ origine fuerint, nondum quicquam satis explorati habeo. Ex Thraciæ quidem locis eos in Græciam descendisse satis liquet; liquet etiam hoc: a Phœnicibus eos habuisse litteras; unde tamen perperam colligitur, eos Phœnicia origine et ipsos fuisse: hoc inter certiora refero, antiquissimo jam tempore Pelasgos cum Aboriginibus fuisse permixtos: id quod Dionysium adduxit, cum insigniores inter Romanos scriptores Catonem, Sempronium et alios Romanam originem ad Græcos referre videret, ut omnino Aborigines nullos alios ab origine quam Pelasgos fuisse arbitraretur, quod Cluverius et plerique e nostris secuti sunt. Verum Dionysius rem ipse ita tradit, ut, *quid* ex iis, quæ a se narrata erant, ad Romanorum opiniones comparatis, *sequatur*, non, quid verum et exploratum sit, exponere videri velit.

Digitized by Google

Pelasgorum tres potissimum fuisse in Italiam deductas colonias narrant vulgo fere omnes; unam ab Œnotro ex Arcadia, XVII ætatibus ante bellum Trojanum, alteram e Thessalia, Deucalioneo ævo, et tertiam ab Evandro LX annis ante b. Troj., ut facile intelligas, non nisi serius a chronographis ex conjectura, secundum rerum et ætatum comparationem subtiliorem, hæc esse constituta. Antiquissimus ille Œnotri et Peucetii ad Italiam accessus satis diserte a Dionysio exponitur lib. I, c. 11 sqq. De *Peucetio* v. inf. Excurs. VIII ad v. 691. Consedisse dicitur Œnotrus cum suis in sinu Lametino seu Hipponiate inferioris Italiæ, qua Bruttiorum aliquando ager patuit; et primum quidem intra Lametinum et Scylleticum seu Scylaceum sinum se continuerunt, hinc ad Laum usque fl. et Metapontum, tandem ad Silarum et Bradanum fines sedium extenderunt; mox et ultra eos ipsos fines progressi sunt; uti altera parte agrum obsederunt, qui Bruttiorum postea dictus est. Conf. quæ ex Antiocho Syracus. narrant Strabo VI, p. 254. 255 et 264 f. Dionys. I, 35, II pr. Aristot. Polit. VII, 10, ubi et *Chones* ex Œnotriis fuisse narrantur: nam, quod etiamnum per Americæ solitudines evenire videmus, ex communi stirpe oriundæ tribus, locis ac sedibus dissitæ, novo nomine celebrari solent. Versus Iapygiam et ad Ionium Mare habitasse Chonas *τὴν καλουμένην Σίριν* Aristoteles ait l. c. cf. sup. Exc. XXI ad lib. I. Male ex corrupto Stephani loco in *Βρέττος* Bruttios primos et ante Œnotrios incolas venditant nonnulli, ut nuper *Grimaldi*, vir cetera sagax (in Annali del Regno di Napoli T. I, p. 131. 138 sq.). Proprio nomine Œnotriam appellavit loca circa Æsarum et Crimisam, quæ Philoctetes adiisse dictus est, Lycophron v. 911. 912.

Quando et quomodo Pelasgi ex his locis ad Aborigines illos in Umbris finitima quæque infestantes pervenerint, nec ipse Dionysius habet, quod afferat, nec res per se satis fit probabilis. Quomodo enim ad ulteriora progressa exigua Pelasgorum turba per tot barbaros populos ad mediam usque Italiam penetrare potuisset? Verum ex tota Dionysii disputatione satis apparet, hos Œnotrios cum Aboriginibus, ex

Digitized by Google

sumta illa opinione seu hypothesi, a Græcis Romanorum stirpem esse repetendam, permisceri, multoque pejus pro iisdem haberi; ut mihi adeo satis liquere videatur, primæ huic Pelasgorum coloniæ, si modo ea unquam fuit, nihil plane cum Aboriginibus esse commune, nec quicquam amplius teneri posse, quam hoc: antiquissimis jam temporibus de Pelasgorum sub Œnotro sedibus in inferiore Italia occupatis famam fuisse inter Græcos.

Altera Pelasgorum colonia, sub Deucalionea tempora deducta, ea est, a qua Aboriginum cum Pelasgis in unum populum coalescentium origo repetenda videtur. Ex Thessalia illi ejecti alii in alias terras, pars per Epirum, oraculo Dodonæ accepto, quod etiam Macrob. I Sat. 7 recitat, Ionium trajecerant, et tempestate vexati ad ostium Padi Spineticum appulerant. Ibi pars castra et urbem muniunt, alii ad interiora terræ pergunt, et Umbris primum, tum Aboriginibus lacessitis, ubi ad Cutiliam eventum habere vident Jovis Dodonæi responsum illud, cum his fœdus faciunt, agrique parte accepta adversus Siculos belli societatem ineunt, hosque tandem ab utraque Tiberis parte sedibus ejiciunt. V. Dionys. I, 18—21. Sed Pelasgi, ab egregio rerum hominumque auctu, aliquando post variis calamitatibus et dissensionibus domesticis agitati, in varias partes dispersi sunt. Pauci, qui remanserant, Aboriginum nomini suum paulatim submiserunt. V. ibid. ad c. 30. Accesserunt mox Pelasgi ex Arcadia sub Evandro, de quibus alio loco videbimus; tum Græci cum Hercule aliique. Dubitari itaque non potest, in media hac Italia (nam de extrema Italia coloniis Græcorum variis temporibus occupata non agimus) magnam Aboriginum partem ab eo inde tempore Pelasgicæ et Hellenicæ fuisse stirpis, multaque ex horum sermone et religionibus illos ascivisse. Quo ipso poëta paratam habet excusationem, quod multa in his locis ad Græcanicam religionem deflexit; ejus enim vestigia passim etiam Dionysius agnoscebat, inprimis Faleriis c. 21.

Nec tamen Aborigines propterea Pelasgicæ stirpis habendos videri pronuntiavimus. Recte, si quid videmus: faciunt

Digitized by Google

enim multa, quæ hic enarrari nequeunt, manifestum, Aborigines ad *Ausonum* nomen pertinuisse, quod late per totam Italiam sedes non uno nomine habuit, ut tamen Aborigines ad Circeios aut forte ad Lirim usque habitarent: quandoquidem Latinum nomen, quod in illius locum successit, eo usque pertinuit; hinc vero qui per Campaniam et reliquam Italiam inferiorem habitarunt, passim Ausonum nomen servarunt; unde apud Festum, in *Ausonia*, ea pars Italiæ, in qua sunt Cales et Beneventum, prima Ausonum sedes fuisse traditur. Ad Lirim urbs Ausona adhuc sub Romanis fuit, nam U. C. 440 ea cum Minturnis et Vescia ab iis capta, 'deletaque Ausonum gens:' Liv. IX, 25. Ex eodem genere homines fuisse necesse est, qui loca intra Lametinum et Scylacium sinum tenuere, antequam Pelasgi Œnotrii ea occuparunt. Pars eorum alia *Opicorum*, vel *Oscorum*, ex Opscis, nomen habuit, quorum superstes ad seriora tempora fuit numerus per loca Campaniæ proxima Atellis, unde et *linguæ Oscæ* nomen mansit, quam Aboriginibus et Ausonibus communem fuisse adeoque Latinæ ortum dedisse necesse est. Pars Ausonum in *Sabinos* abiit, pars in *Aurunco*s, cultu illa horridior; facta scilicet magna vitæ et morum mutatione, alii veterem asperitatem retinuere; aliis Græcarum coloniarum artes et instituta asciscentibus. Consentiunt cum his loca Aristot. de Rep. VII, 10 ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυῤῥηνίαν Ὀπικοὶ, καὶ πρότερον, καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες, et Dionys. I, 72 ex Aristotele, Ὀπικὴ, *in qua Latium*. Et Thucyd. VI, 1, cum Dionys. I, 22 'Siculos, dum Opicos fugerent, in Siciliam trajecisse:' etsi Thucydides Siculos in inferiore Italia quæsivisse videtur: quia Italia ab Græcis antiquioribus de extrema parte dici solenne erat. Omnino autem mirum non est, in tanta populorum cognatione nomina sæpenumero promiscue poni.

Ab hac communi *Ausonum stirpe* ortum duxere tot nominibus *diversi Italiæ populi:* permixti quidem illi passim cum Pelasgis, alibi cum Siculorum et Umbrorum reliquiis, forte etiam cum aliis, qui a Gallis, Liguribus, Liburnis aliisque Illyrici generis populis orti erant; Ausonium tamen nomen

Digitized by Google

ubique fuit superius et Ausoniæ originis vestigia mansere ubique non obscura. *Sabini* quidem, qui ea loca inhabitabant, in quibus Ausones seu Aborigines Umbris expulsis successerant (Dionys. I, 14. II, 48. 49), pro vetustissimis ejus stirpis fuerunt habiti: ad eos originem referebant *Picentes, Peligni, Marrucini, Vestini, Marsi, Æqui, Hernici, Samnites.* A Samnitibus *Frentani, Hirpini, Lucani,* et ab his *Bruttii* provenerant; a Samnitibus etiam *Campani,* qui priscos locorum incolas, Ausonum et Auruncorum nominis, cum Etruscis, agris passim ejecerant. Accuratius hæc exponere tanto opportunius fuit, quo multa, quæ in sequentibus ad poëtæ interpretationem afferentur, sine his vix intelligi possunt.

Habemus jam communem Ausonii generis stirpem, de cujus remotiore origine inquirendi locus nunc non est; etsi proclive est a Celticis populis eam repetere. Ad Ligures, Ibericum genus, olim eam retulere scriptores apud Dionys. I, 10. Verum nec definiri quicquam in agrestium gentium originibus tam antiquis potest, nec ad unum sed ad plures e septentrione et occidente adventantes barbaros populos prima Italorum origo referenda esse videtur.

Progredimur nunc ad alterum, quod posuimus: novum in carmine nostro fabularum ordinem, quas *Italicos mythos* appelles, ab iisdem priscis populis, inprimisque ab Ausonibus et Aboriginibus, procedere: modo adolescentum, qui hæc legent, animos eo adhuc intenderimus, ut Romanorum originem linguæque Latinæ causas suo ipsi judicio ex superioribus intelligant: cum Romani Albanorum coloni fuerint, ex Aboriginum, hoc est Ausonum, genere, sed cum Pelasgis, et, si famæ fundus vere fuit, cum Trojanis ac Græcis mixto, ad intelligendum in promtu est, sermonem Romanum a Latinis inprimisque ab Albanis profectum, communem eundemque cum sermone Ausonum, hujusque nonnisi dialectum fuisse, excultam temporum successu, cum ceterorum Ausoniæ stirpis populorum sermo antiquam asperitatem retinuisset. Habuere igitur populi Italici, primo ritus ac religiones, in multis quidem haud abludentes a Græcis, cetera

Digitized by Google

proprias ac domesticas; habuere a Pelasgis Jovem, Junonem, Minervam, Vestam, Martem, cum aliis; habuere ritus sacrorum cum antiquioribus Græcis fere communes; etiam mythos nonnullos Græcanicis similes; habuere alios ritus ac mythos variatos, mutatos, alios proprios ac domesticos a Græcis abhorrentes; barbariem et horridam vetustatem in iis facile agnoscas, inprimisque superstitiosum Deorum metum, quem sane injicere animis poterant magnæ ac crebræ naturæ conversiones et perturbationes in his locis ex tremoribus soli, ex ignibus subterraneis, eorumque eruptione, ex aquarum stagnatione sylvarumque vastitie. Necyomanteum Cimmeriorum erat in finibus anthropophagorum Læstrygonum; sacra humana in locis ad Tiberim, Fauni oracula incubatione in victimarum cæsarum pellibus accepta. Habebant iidem fabulas et narrationes suas a majoribus acceptas super origine sua ac primo vitæ cultu, symbolis fere ac symbolicis personis expressas, ad quas magna pars Italicarum fabularum redit, tum super illustrioribus aliquot viris vel heroibus, et nonnullis naturæ eventis insignioribus, sed fabuloso illo sermonis et narrationis genere exponi solitas; neque poëtarum ingeniis, ut inter Græcos factum, expolitas et ornatas; sed ipsa argumenti tristitia aut fœditate notabiles, ut de Caco latrone. Itaque Italici mythi longe a Græcæ fabulæ suavitate absunt; nec varietas grata inest, et major ornatus pars ab ineptis verborum lusibus aut veteris sermonis ad recentiora verba interpretatione vel inflexione ducta: cum enim veteres ritus, ut fit, et essent admodum mutati et causa eorum ignoraretur: ariolatione incerta multi ritus et sacra interpretari conati ad verborum lusum et originem confugerunt, et inde fabularum causas deduxerunt. Passim tamen Græcanicæ quoque fabulæ aspersa sunt vestigia aliqua.

Ea quidem, quæ VII, 45 sqq. exposita sunt, de quibus Exc. V videndus, haud dubie *Aboriginum* vel *Latinorum* habendi sunt *mythi*, qui mox inter Albanos servati, tandem ab his ad Romanos pervenerunt. Latinus a Fauno ortus Pici nepos et Saturni abnepos proditur; quod ita intelligen-

Digitized by Google

dum, ut illos inter majores, stirpis vero auctorem ultimum Saturnum habuerit. Sic inf. 219 'Jove Dardana pubes Gaudet avo.' Aboriginum alii mythi fuere de *Jano*, de *Camenis*, de *Anna Perenna*, de *Angerona*, de *Carna*, de *Ope*, symbolicæ fere naturæ, sed plerique obscuriores, cum ipsis nominibus, quæ apud Varronem, Festum, Macrobium, Augustinum, Arnobium et alios sunt videnda; ut adeo vix sit operæ pretium, in illis otium consumere: inprimis, cum pauca integra ac sana, pleraque commentis et interpretamentis fœde contaminata ad nos pervenerint. Certatim enim ab historicis, grammaticis, et multo magis a doctoribus Christianis allaboratum est, ut antiquitatem obscurarent ac tandem penitus extinguerent. Rara itaque fortuna vix unam et alteram veteris Italiæ religionum interpretationem servavit; etsi sunt in iis nonnullæ, quibus priscorum hominum sermo symbolicus egregie illustratur. Sic Vulcani, qui ignis est, uxor apud Macrob. Sat. I, 12 editur *Maia*, hoc est Terra, Mater magna, sed cum notione auctus: unde eadem *Majesta* dicta fuit. Apud Tusculanos *Maius* erat Jupiter. Eadem cum Maia *Ops*, *Bona Dea*, *Fauna*, *Fatua*, habita: vid. Macrob. ibid. *Vertumni* et *Pomonæ* fabula ex ipso nomine lucem habet: eam v. apud Ovidium et Propert. IV, 2.

Sed in his fabulis magna facta esse videtur perturbatio, *quatuor* potissimum, si recte judico, *modis*. *Primum*, cum, communi licet stirpe oriundi, diversi tamen et per varias Italiæ partes dispersi, populi proprios quisque quosdam suos haberent mythos: ad Aborigines seu Latinos eos trahere serior cœpit ætas, inprimisque e Romanis quisquis veteres historias conscripserat. Videndus in hanc rem inprimis Sext. Aurel. Victor; add. locus Tzetzæ ad Lycophr. 1232, quem ad Dionem retraxit Valesius. Ita factum ab iis, quos Virgilius alio loco sequitur. Nam, quod modo eum vidimus Latini majores edere Faunum, Picum, et Saturnum atavum, id paulo post v. 177 sqq. deserit. In Latini regia: 'Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum Antiqua ex cedro; Italusque paterque Sabinus Vitisator,

Digitized by Google

curvam servans sub imagine falcem, Saturnusque senex Janique bifrontis imago Vestibulo astabant.' Hic *Sabitus* ad Sabinos, qui inter vetustissimos ex Ausonibus fuere, referendus est, gentis a nonnullis, ut a Catone, auctor habitus; etsi alii aliter de populi origine et nomine argutati sunt. Silius VIII, 424 *Sabum* vocat: conf. Pompon. Sab. ad h. l. VII, 178. *Italus* autem ad Œnotrios spectat, quos Ausonum sedes in extrema Italia occupasse et, quod probabile est, cum iisdem promiscue habitasse, supra vidimus. Namque in his locis primum Italiæ nomen auditum est, sive ab Italo rege sive ab alia causa ductum. Conf. Excurs. XXI ad lib. I. Italum Œnotrios, qui dispersi habitabant (κωμήδας), ad agriculturam adduxisse, leges scripsisse et, inter alia, sodalitia conviviaque publica (συσσίτια) ad suum usque tempus frequentata constituisse narrat Aristoteles de Rep. VII, 10, quod frustra conantur ad Saturnum revocare. Quidni Œnotriis suas fabulas relinquimus?

Altera mythorum Latinorum interpolandorum ratio ab allegoricis narrationibus profecta, quas in historiarum ordinem et numerum seriores retulerunt: quod idem inter Græcos et omnes omnino terrarum populos factum esse modo in multis modo in paucis manifestum est. Ita Saturnus, Faunus, Janus, inter Latini majores relati sunt, qui tamen symbolica fuerunt nomina ac signa, quibus varias res physicas et ethicas declarabat vetus Italia; ut Excursu V videbimus.

Sed majorem mutandi et ad peregrinam indolem inflectendi mythos Latinos licentiam, *tertio* quidem loco, attulit insanum Græcanicæ doctrinæ in patrias historias et religiones inferendæ studium inter Romanos, quod a pluribus causis profectum est. Partim enim domesticæ historiæ antiquioris ignorantia, et plenior expeditiorque Græcarum rerum cognitio, partim Græcorum historicorum exemplum in originibus veteris Italiæ e Græcia arcessendis, eorumque de veterum Pelasgorum communibus cum Ausonum vel Aboriginum gente sedibus narratio et disputatio, partim denique animadversa in nonnullis Græcanicæ originis et

Digitized by Google

linguæ vestigia eo adduxerant multos, ut omnia, quæ in antiquitate Italiæ obscura et parum explorata essent, ad Græcos referre, ex Græcis moribus, institutis, et opinionibus illustrare, et ea, quæ a Græcis discreparent, ad eorum verba et res accommodare studerent. Est ea studii historici inter omnes populos infantia, ut suarum rerum origines aptas et nexas esse velint ex illustri aliquo sui seu prisci temporis populo. Majores nostri regum stirpes ad Trojanos vel Græcos referebant. Similiter Romani omnium fere Italicarum urbium nomina et origines a Græcis repetebant, quandoquidem colonias Græcas in multis Italiæ passim locis consedisse acceperant.

Hujus generis mythologiis pleni sunt Grammatici, inprimisque Macrobius: in quibus tempus consumere sigillatim exponendis nolim quenquam; satis est rem omnino tenere. Sed, quod gravius est, antiqui isti scriptores, quos illi adhuc integros versabant manibus et exscribebant, iisdem opinionibus erant imbuti. Ex qua secta *Cato* inprimis fuit, qui sero litterarum Græcarum studio ad pravam eam rationem deductus esse videtur. Eidem adjungit P. *Sempronium Asellionem* Dionysius I, c. 11. *Cæcilium*, qui Græcam urbis Romæ originem ediderat, Strabo memorat lib. V, p. 352 C; qui tamen forte est *Cincius*, cujus nomen apud Dionysium quoque lib. I, 74, p. 59 Huds. *Καίκιος* in Cod. Vatic. scriptum esse video, vel *C. Acilius*, cujus annales græce scripti a Claudio aliquo conversi legebantur. Eos, qui græce res patrias conscripserunt, Romanos Græcas quoque fabulas esse amplexos, nemo mirabitur; ut *Q. Fabium* in Annalibus et *L. Cincium* in Annalibus Græcis (ap. Dionys. lib. I, c. 6), *A. Albinum, qui Græce scripsit historiam*, Cic. Brut. 21, et *Cn. Augidium*, Tusc. V, 38. Enimvero necdum alium quenquam scriptorem veterem, quantum quidem ex fragmentis intelligi potest (inspiciat aliquis v. c. librum de Orig. G. R.), reperi, qui non Græcas fabulas sectaretur. Varro quoque eidem studio nimium indulsit, ut vel ex uno loco de R. R. III, 1, 6 satis intelligi potest. Inprimis autem in urbium Italicarum originibus e Græcis

Digitized by Google

fabulis repetendis laborarunt tantum non omnes, ut nec modum nec rationem servarent; nam levissima quaque rerum nominumve similitudine arrepta originem, causam, et conditorem in Græcia reperisse sibi videri solebant. Hoc idem tot virorum doctorum exemplum obfuerat Dionysio Halicarnassensi, viro acutissimo, ut urbem Romam jam inde ab initio ad Græcæ coloniæ morem descriptam, opibus inter Regem, Senatum, et Populum, sapienter ad trutinam exæquatis, reique publicæ partibus subtiliter constitutis egregie fundatam, tanquam in tabula picta exhiberet.

Pravo hoc Græcæ doctrinæ studio doctissimos ex Romanis si quis imbutos fuisse audierit, non amplius mirabitur Etruscos a Tyrrhenis, Sabinos a Lacedæmoniis, deductos ferri; Tibur esse Argivorum coloniam (VII, 672); Halesum, Agamemnonis filium, Auruncos e Campania ducere (ibid. 723 sq.); Ariciam Dianæ amasium Hippolytum excepisse (761 sq.). Comparet aliquis Fastos Ovidii v. c. lib. IV, 63 sq. et ad sacrorum rituum festorumque causas et origines ibi traditas attendat, aut ad Quæstiones Romanas Plutarchi. Innumera hujus generis sunt alia apud Servium, Plutarch. Romul., Justin. XX, 1 pr., Solinum c. 8 et apud Grammaticos. De instituto talia persecuti esse videntur Alexander Polyhistor et Avianus aliquis 'qui iambis totum Livium scripsit,' ut Servius ait ad lib. X, 388, item Hyginus de urbium Italicarum origine. Si forte mireris, quomodo his somniis tantum tribuere potuerit antiquitas, recordandum est similis vanitatis, qua viri docti superiore ætate omnem veterem Italiam ex Hebraicis Lexicis (Phœnicia verba se tenere putabant) repetiere.

Ita tandem factum est, ut pauci Latini mythi propriam suam naturam retinerent. Ita Saturno ea tribuerunt, quæ Græci de *Κρόνῳ* suo narrabant, etiam auream ætatem (v. c. Æn. VI, 793—795) et Jovis impia consilia. Faunos, qui Latio et Etruriæ proprii sunt, cum Panibus, Satyris, et Silenis miscuerunt, adjuncto etiam Baccho; Camœnas Nymphas cum Musis: et sic porro. Leucotheam fecerunt ex Albunea, Portumnum ex Melicerta, qui Phœnicum

Digitized by Google

utique navigationibus ad Græcos pervenerat, forte is jam a Cadmo illatus et Palæmonis nomine insignitus. Asciverunt quoque passim religiones et nomina Deorum græca, quæ obliterarunt antiqua; ita Venerem receperunt et Dioscuros. Res tandem eo adducta, *ut pessimi fabularum suarum interpretes essent Romani.* Nec quicquam fuit Italis adeo domesticum ac proprium, quin a Græcis repeterent. Ipsum Janum ex Perrhæbia Thessaliæ qui adducerent, fuisse video apud Plutarchum Qu. Rom. p. 269 A, alios, qui ex Creusa, Erechthei Athenarum regis filia, natum, apud Victor. O. G. R. 2. Quid? quod Janiculum ab Ione, Creusæ filio, ex Euripidis fabula noto, fuere qui conditum traderent ap. Aurel. Vict. O. G. R. 2. Maia, quæ, ut supra vidimus, mater Terra erat, ad Maiam Mercurii matrem revocata est. Nerienes, Virtus vel Fortitudo inter Sabinos, in Nereidem est depravata. Gell. conf. XIII, 22. Corrupere quoque sacra sua Romani admixtis alienis opinionibus, ut Lupercalium ritus arreptis fabulis de Pane Græcorum.

Tandem, *quarto* loco, ineptis et pravis etymologiis turbatæ sunt historiæ antiquæ Italiæ plus quam credi potest. Hoc quidem studium veteres res ac ritus ex nominum origine interpretandi, ipsamque adeo verborum originem investigandi, jam inter Græcos parum ad sermonis indolem et grammaticam rationem fuit tractatum, inter Romanos autem intra meros sonorum lusus substitit; quod e Varrone, Catone, Cicerone et aliis infinita exemplorum copia docet, ut Grammaticorum volumina taceam. Eadem res ipsis historiis et fabulis noxæ fuit, dum eas ex nominum originibus interpretati variis modis interpolarunt veteres scriptores. Ut Umbros quasi Ombrios dictos, Thuscos a sacrifico ritu dictos, et similia omittam: de Aboriginibus quam multa illi commenti sunt ex vocis sono! Latium a latendo cum duxissent, quæ non excogitarunt in eam rem! Hinc fuga Saturni in Italiam et latebræ. Anna Perenna in Didonis sororem mutata et Nympha Numicii illa facta, cum Dea esset ex indigetum numero, et haud dubie anni initia fausta designaret: conf. Macrob. I Sat. 12 Januario—' et publice

Digitized by Google

et privatim ad Annam Perennam sacrificatum itur; ut annare perennareque commode liceat.' Ardea, Rutulorum urbs, nomen habens cum ave ardea commune, fabulam absurdam peperit avis ex urbis incensæ cineribus enatæ: vid. Ovid. Met. XIV, 574. 580. Virbius heros in Hippolytum deflexus quasi bis vir et vitæ redditus ib. XV, 497 sqq.

Fuisse jam inter Græcos scriptores Dioclem Peparethium et alios, qui Italicarum urbium origines hunc in modum interpretarentur, docent exempla apud Dionys. lib. I, 34 sq. 49 sqq. 72 sqq. In Parallelis Plutarcho tributis magnus eorum numerus laudatur, qui Italica scripsere, Aristides Milesius, Theotimus, Alexarchus, Cleonymus, Theophilus, Dorotheus, Aristocles, Meryllius, Chrysippus, Agesilaus, Aristobulus, Alexander Polyhistor; cum his Xenion apud Macrob. I Sat. 9. Adde his eos, qui Tyrrhenica scripserant, ut Sostratus. Omnes hos Græcas fabulas in Italiam transtulisse apparet, seu opinione falsa deceptos, seu pravo studio ductos. Omnino serius ad Græcos Italicarum rerum notitia paulo luculentior pervenit. Nam etiam illo tempore, quo Græci navibus Italiæ littora frequentabant aut Græcia Magna civitatibus Græcis potentibus florebat, interiores tamen terras pauci adiisse videntur. Itaque fragmenta, quæ ex priscis Græcis scriptoribus nova super Roma et vetere Italia affert primis in libris Dionysius, miram prodere videntur inscitiam doctisque hominibus prorsus indignam.

Fabulas autem super Italicis rebus procudendi facultatem et materiam Græcis ingeniis præbuit inprimis primo Herculis profectio cum Geryonis armentis per Italiam facta (conf. Apollod. II, 5, 10), tum Homerica narratio multis mirisque fabulis de maris terrarumque facie variata, de Ulyssis erroribus et ad Italiæ littora accessu. De Hercule quidem fabulas innumeras, magnum inprimis urbium numerum Italiæ ab eo vel ab ejus filiis conditarum, narraverunt, Ulyssis autem progenie aut sociorum stirpibus omnem passim Italiam frequentarunt. Ipsi adeo Ausones ab Ausone, seu Circes filio ex Ulysse seu Calypsus, ortum habuisse

Digitized by Google

narrantur. Festus: 'Ausoniam appellavit Auson Ulyssis et Calypsus filius eam primam partem Italiæ, in qua sunt urbes Beneventum et Cales' (hoc quidem, ut supra vidimus, recte; nam ea Italiæ pars Ausoniæ nomine proprie insignis fuit); 'deinde paulatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur, dicta est Ausonia' (hactenus vere; sed reliqua fabulose) 'ab eodem duce, a quo etiam conditam fuisse Aruncam urbem ferunt' (Suessa Aurunca, ab Auruncis habitata). Ab Ulyssis et Circes tribus filiis, Romo, Antia, et Ardea, tres urbes conditas et nominatas Xenagoras tradiderat ap. Dionys. I, 72 (p. 58): cf. viros doctos ad Stephan. in Ἄρδεα et Cluver. pag. 976. Latinum Circes et Ulyssis filium jam Hesiodus prodidit Theog. 1011. 1013, Telemachi et Circes filium alii, forte ipse Telegoniæ auctor, carminis cyclici: v. Hygin. f. 127, ubi v. Intpp. add. Geopon. XI, 2, ubi v. Niclas. Corruperant Telemachi nomen et tradiderant Telephi filium alii, quos Cedrenus secutus est p. 135 D. Hujus generis multa in primo statim libro Dionysii et Solin. cap. 2 cognosci possunt. Traducta quoque res ad alios a Troja seu reduces seu profugos. Ita Capys Campaniam tenuit. Alia v. ap. Serv. ad Æn. I, 246. Quæ omnia si semel animadversa et perspecta habueris, ducta illa ex prava opinione, sed cum ratione certa, multarum obscuritatum et difficultatum nubem ex vetere historia facile dispulsam esse intelliges.

Quid quod satis probabile mihi fit, etsi aliquid pro liquido et explorato in his, quorum nulla fides historica est, tradere velle ineptum sit, ipsam fabulam de Romulo et Remo a lupa lactatis a nominis interpretatione esse profectam: nam a *ruma*, seu *rumi*, quod vetus mammæ nomen est, Romæ nomen deduxisse nonnullos videmus; ut alios a *virtute* ac *robore* ad Græcam vocem ῥώμην. Ignoratio originis, a qua nomen urbis ductum esset, hominum animos ad conjecturas convertit, quæ postea in narrationes abierant. Quod si verum est et ex antiquioribus sumtum, quod Servius ad lib. VIII, 90 et alibi habet, ut Tiberis priscum nomen *Rumon* fuerit (neque illud adeo abhorrens ab antiquissimo aquarum

Digitized by Google

et amnium nomine per Celtas et Græcos vulgato: *Rha, Rho, Rhu, Rhiu, Rhiw, Rhei* [ῥέω, ῥόος],) non improbabile fit, urbis nomen a flumine esse ductum, et omnia alia, quæ narrantur, pro commentis seriorum ætatum esse habenda.

Sed de his nolim cum quoquam, cui aliter videatur, contendere. Mihi satis est dilucide satis exposuisse naturam et causas corruptarum fabularum veteris Italiæ, ut mihi via ac ratio expeditior sit ad ea, quæ in sequentibus erunt tradenda.

EXCURSUS V.

HISTORIÆ VETERIS MYTHICÆ ITALIÆ CAPITA POTIORA DE SATURNO, JANO, PICO, FAUNO, LATINO.

VII, 45 sqq. 'Rex arva Latinus et urbes Jam senior longa placidas in pace regebat. Hunc Fauno et Nympha genitum Laurente Marica Accipimus; Fauno Picus pater; isque parentem Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.' Cum hæc sint quasi potissima historiæ veteris mythicæ Italicæ capita, disquirendum de iis esse videtur paulo accuratius. Multo magis, quoniam vulgari opinione vera facta, homines, et res antiquæ tanquam vere gestæ, in his tradi credantur, ita ut tanquam fide historica accepta regum antiquorum res et facta exponi a scriptoribus putentur.

Ad *Saturnum* videmus Latini genus simulque fabulas veteris Italiæ tanquam ad caput et originem deductas subsistere, nec ulterius procedere. Est autem de *Saturno* mythus proprius Aboriginibus ac domesticus, nec quicquam aliud, si recte judico, quam symbolicum nomen melioris vitæ, cujus initia a frugibus inventis, satione et messe repeti solent: non quasi cum philosophica aliqua subtilitate hæc excogitaverint aut arte aliqua expresserint; sed quia animi

Digitized by Google

sensa aliter quam per rerum sensibilium formas ac species eloqui nequeunt rudes populi, deficientibus verbis; et mala fraude mecum ageret, qui hæc cum allegoriæ, rei prorsus diversæ, studio confundere, meque in antiquis rebus eam amplecti pronuntiaret. Itaque falx Saturno addi cœpit; eoque narratum, ad cultum vitæ eum Aborigines adduxisse: 'Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo—Is genus indocile ac dispersum montibus altis Composuit legesque dedit.' Æn. VIII, 319 sqq. Addita quoque conjux Ops, h. e. Terra. Commenta seriorum apud Macrob. I, 7. 8. 10 non moror.

Cum a Græcis tractari cœpissent fabulæ Italicæ, ad *Cronum* illi suum referre cœperunt *Saturnum*. Factum id jam ab Ennio in Annal. Nam fragm. p. 30 'Saturnus, quem Cœlu' genit,' et a L. Accio in Annalibus apud Macrob. I, 7 extr. legitur, versibus inde ascriptis; etsi de illo nomine dubitare licet. Inde turbatus et interpolatus est antiquus ille mythus, et narrata de Saturno ea quoque sunt, quæ Græci a Phœnicibus accepta de Belo ad suum Cronon transtulerant: ut jam supra monitum (Excurs. IV, p. 135). Falcem, messis symbolum, modo ad ἅρπην Κρόνου et rescissa Cœli pudenda, modo ad tempus, quod omnia demetit, revocarunt.

Ut autem Græci Cronum in Italiam transferrent, etiam situs Italiæ versus Græciæ occidentem eos impulisse videtur; *Occidentem* enim locis inferis, adeoque Tartaro, quo Cronus detrusus delitescit, finitimum credidit antiquitas. Hinc Ionium et Adriaticum mare Κρονίην ἅλα appellatum videas v. c. apud Apollon. IV, 510. 548 et al., et Κόλπος Ῥέας apud Æschyl. Prometh. 836. Juvabat quoque in partem nomen *Latii* a latendo ductum, quod ad Cronum trahi poterat, qui Jovem fugiens eo venerat. VIII, 320 'Arma Jovis fugiens et regnis exul ademtis.' Ex his manifestum fit, quo tot doctorum virorum somnia ex etymo vocis ducta recidant, etiam suavis illa interpretatio vocis *Chittim* cum Latio comparatæ.

Receptus inde est Saturnus in Annales tanquam *gentis*

Digitized by Google

conditor et legum vitæque mitioris auctor rexque Latii vetustissimus; uti nullus facile est populus, qui non idem symbolica nomina pro stirpis suæ auctoribus habuerit. Difficultatem ac molestiam fecit mox scriptoribus *Janus*, quem et ipsum mitioris vitæ inter veteres Italos auctorem traditum videbant.

Est *Janus* hic et ipse inter mythos Latinos referendus Deusque eorum domesticus. 'Nam tibi par nullum Græcia numen habet,' ait Ovid. I Fast. 90; nec dubito, eum ab initio nihil aliud quam almæ naturæ, excultæque ejus dotibus vitæ, symbolum aliquod fuisse. Itaque in Saliaribus carminibus 'Deorum Deus' audiebat (Macrob. I, 9) tanquam principium rerum adeoque etiam Deorum. Traductum postea symbolum ad alia cognata, ut designaret omnium rerum initia et origines, mox rerum vices, tempora, annum ejusque vertentis se nova exordia, mundi quoque seu cœli ortum et occasum, et sic porro: ita enim, ut in varios significatus symbola detorquerentur, ipsa res ac necessitas ferebat. Ita ipsum complexum siderum et cœlum designasse dicendus secundum Messalam apud Macrob. l. c., ipsum chaos et ex eo orta rerum facies apud Ovidium in Fast. I pr. Plura alia, etiam multarum rerum inventa, ad Janum retulere seriores non modo Grammatici sed et scriptores Romani, ut ex Ovidii Fast. lib. I intelligi potest, partim rerum similitudine partim nominis origine ab *eundo* repetita inducti. Cf. Macrob. Sat. I, 9. Serv. ad Æn. VII, 610 et al. Quod belli pacisque habebatur arbiter, ortum forte non aliunde habuit, quam quod ejus religio erat antiquissima: unde invaluerat, ut bello indicto templum ejus ad supplicationes pateret. Distinguenda ab iis alia a serioribus ascita; ut prudentiæ opinio a duplici facie; nec pro mundi anima Janum dictum esse antiqua auctoritas firmat, aut inter sidera Jani numen ortum, ita ut navicula inter Booten et Virginem ab initio dictus et habitus Janus esset: quæ nuper fuit ingeniosa v. c. Dupuis opinio: Critolai enim fides nulla est, Grammatici in phænomena Arati ludentis, in libro supposititio Plutarchi, Parall. p. 307. 308.

Digitized by Google

Cum hoc nomen symbolicum mox et ipsum inter vetustissimos *Italiæ heroës* seu *Deos* esset relatum, dubitatum est *inter Janum et Saturnum*, uter altero esset antiquior. Plerique tamen Janum priorem Italiam obtinuisse narrant, et advenam Saturnum ab eo esse exceptum: cf. Ovid. Fast. I, 233 sqq. et Macrob. Sat. I, 7. Cum itaque Maro noster lib. VIII, 319 *primum* Saturnum in Italiam venisse dicat, multa argutati sunt etiam veteres, ut hanc difficultatem expedirent. Talis disputatio apud Aurel. Victorem O. G. R. c. 1 legitur: quam inanem esse, ex superioribus facile intelligitur. Nec vero Janum excludit Virgilius, sed *primus* nihil aliud est, quam primis h. e. antiquis temporibus, prima hominum ætate. Sed forte tota illa de Saturni, et quidem navi vecti, Jano regnante in Italiam adventu narratio nullam graviorem causam ac fundum veri habet, quam quod antiqui numi altera parte navis rostrum, altera Janum bifrontem habebant; etsi his de signis dici vix potest quam multa veteres argutentur. Cf. Ovid. Fast. l. c. et Plutarch. Quæst. Rom. p. 274 D. E. Neque absimilis, suspicor, ratio induxit, ut Janum Saturnumque in regni societate vixisse traderent: quandoquidem vicinis collibus nomina eorum erant imposita; 'Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen' lib. VIII, 358.

Secundus a Saturno apud poëtam nostrum *Picus* memoratur l. c. VII, 48. 49 'Picus—isque parentem Te, Saturne, refert.' Primum omnino sanguinis auctorem per parentis vocem sæpe declarari, et notus est loquendi mos, ut Burmannus ad h. l. monuit. Jani utique ex Venilia filiam, *Canentem*, uxorem habuisse narratur. Multa sunt in hac historiæ antiquæ parte nomina ab initio symbolica, etsi obscuræ nunc fere interpretationis, quæ in viros ac fœminas abiisse videntur. Janus quidem secundum alios *Camesen*, sororem ac conjugem, secundum alios *Veniliam* in matrimonio habuit. Camese vix alia fuit quam Camesna et Camena, ut Casmilus, Camillus (v. Æn. XI, 543. cf. Varro de L. L. VI, 3); vetus Italiæ numen, ad plures Deas, *Camenas* dictas, traductum, quas cum Musis aliquando confuderunt Romani. Lucum iis cum fonte Numa dicaverat: ad eas enim pleraque

Digitized by Google

carmina sua, hoc est vaticinia, referebat (Plut. in Numa p. 65 A.). Camesene nomen fuit antiquissimum montis ac loci, cui Janiculum oppidum impositum erat. Hyginus illud nomen a Camese duxerat, qui cum Jano eas terras tenuisset: sed narraverat hoc ex Græco homine, Protarcho Tralliano: apud Macrob. Sat. I, 7; at cf. Athen. XV, 13, p. 692 E. Venilia autem inter Deas marinas videtur fuisse; confusa illa quoque cum Salacia. Sed Varro de L. L. IV, 10 disjungit eas: 'Salacia, Neptuni, a salo, Venilia a veniendo' etc. Salaciæ quoque nomen in Sexti Pompeii numis legi probabile fit, in quibus SAL. legitur: de Salacia itaque docte disputantem videbis Eckhelium in Doctrina num. vet. Tom. VI, p. 27. 28.

Ex hac igitur Venilia susceptam Jano filiam *Canentem* in matrimonium accepisse narratur Picus, v. Ovid. Met. XIV, 333 sqq., qui copiose fabulam persequitur, qua a Circe in venatione conspectus, cum ejus amorem sprevisset, in picum mutatus fertur. Eandem fabulam attigit Virgilius lib. VII, 189 sq. 'Picus—quem capta cupidine conjux Aurea percussum virga versumque venenis Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas.' Picus vel picumnus priscis Italis inter sacras fuit aves inprimisque auguriis probatus, idem Marti sacer: v. Serv. ad lib. VII, 190. Nisi itaque nominis interpretatio fabulam istam mutatæ formæ peperit, nata illa esse potuit ex antiquo signo juvenis cum pico in capite. Tale signum memorat Ovidius in Circes ædibus Met. XIV, 313 sq., ut augurandi peritia in Pico expressa fuisse videatur. Quo ipso declaratur id, quod apud Virgilium lituum manu tenet ejus signum in Latini regia positum: v. 187 'Ipse Quirinali lituo—sedebat—Picus equum domitor.' Servius quoque ad e. l. ex Pontificalibus libris probare vult, Picum augurio clarum fuisse. Apud Valer. Fl. VII, 232 Circe, etsi simulate, profitetur se Pici matrimonio haberi.

Pici filium prodidit *Faunum* Virgilius: 'Fauno Picus pater;' et lib. XII, 766. 769 est Faunus 'Laurens Deus.' Martis filium ediderant alii: Dionys. I, 31. Appian. fragm. lib. I. Cum in ejus ætatem Evandri et Herculis accessus

Digitized by Google

ad Italiam a Græcis relati essent, frequentior ejus ab iis facta mentio. Ex tot inaniter plerumque de hoc Fauno dictis hæc tenebimus: Primum numen fuisse antiqui Latii, idque fatidicum, Faunum; fuere autem priscæ Italiæ, et priscarum fere ac barbararum gentium omnium, Dii fatidici tantum non omnes: hæc enim futura prænoscendi ac prædicendi facultas in numine inprimis hominum rudium animos movebat: nec aliter barbari Americæ et Africæ populi de Diis suis statuunt; et interdum omnem religionem, cultum et notionem numinis, ad opinionem et spem comperiendi futura e Diis et sacerdotibus redire videmus. Faunus tamen inter fatidicos Deos inprimis eminuit: eratque ejus celebre oraculum in luco Albuneæ apud Tibur; de quo v. lib. VII, 82 sqq.; ab eo enim acceptum nobile illud responsum de Lavinia. Symbolicum quoque nomen est *Fatuæ* pro uxore Fauni habitæ futura præmonentis; v. Justin. XLIII, 1. Videntur autem oracula illa aliquando, serius forte, versibus rudibus fuisse reddita, quod versuum genus *Saturnios* appellarunt veteres: cf. Varro L. L. VI, 3. Inconditos versus poëtarum superiorum Ennius vellicabat hoc nomine; 'scripsere alii rem Versibus, quos olim Faunei Vateisque canebant.' (Redigi versus illos horridos ad metrum aliquod in summa asperitate posse docuit nuper Hermannus in docto libro de metris Græcorum.)

Hoc numen Romani de Pane Græcorum interpretati sunt: inde etiam Faunos (v. Æn. VIII, 34) ad morem Panum et Satyrorum produxerunt. Grammaticorum commenta non attingimus: v. Victor O. G. R. c. 4. Habiti Fauni inter comites Bacchi et orgia celebrantes, etiam in artis operibus: qua de re egimus in Antiquar. Abhandl. c. II, p. 53 sqq.

Inde inter priscos Italiæ seu Latii reges idem Faunus relatus est, modo Martis modo Pici habitus filius, quod Virgilius amplexus est l. c. Eo regnante Evander ex Arcadia in Italiam venisse ferebatur: v. Dionys. I, 31, Justin. XLIII, 1, O. G. R. 5. Constituerunt adeo inepti homines annorum numerum, quos regnaverit Faunus cum ceteris regibus. Syncell. p. 171.

Digitized by Google

Ex Fauno et Marica Nympha *Latinus* natus est, quo regnante Æneas ad hæc loca venit. 'Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica Accipimus.' Fuit autem *Marica* Dea Minturnensium ad fluvium Lirin, cujus lucus in eo littore fuit non ignotus, pro Venere male apud Servium habita; nam ea Murcia erat. An a Virgilio pro eadem cum Circe habita fuerit, disputatum est in Notis ad lib. XII, 164 'Solis avi.' Sed Latini genus diversimode traditum fuit; nec modo per Græcos scriptores, jam inde ab Hesiodo Theog. 1011. 1013, et a Telegoniæ auctore: cf. sup. Excurs. IV ad h. l. sub f.; verum in ipsis Italicis mythis. Herculis filium ex Hyperborea puella fuere qui narrarent, uti Pallantem ex Lavinia Evandri filia ab eodem Hercule susceptum fabulati erant: Dionys. I, 43. Alii ex filia Fauni et Hercule natum Latinum, ap. Justin. XLIII, 1. Sed omnino multis hoc nomen celebratum fabulis, quas nunc disponere non vacat, adeoque nec colligere. Hoc unum monebimus: esse nunc ejus nomen proprium, ut Latinus rex fuerit; quod apud vetustiores tantum appellativum fuisse probabile est, ut unum aliquem ex regibus Latinorum, cujus verum nomen ignorabatur, designaret. Apud Servium ad lib. VII, 47, quem pleniorem dedit Julius Sabinus, 'Hyginus ait plures in Latio reges appellatos Latinos.' Vulgo tamen narrantur Latini ab eo nomen accepisse; quod vix ita se habere potuit, cum Latii vox antiquior ipso rege fuerit, unde Latini dicti. Mirum est, quod apud Cononem Narrat. 3 occurrit, ubi Latinus in inferiorem Italiam, ad veteres Pelasgorum ab Œnotro adductorum sedes, revocatur: filiam ille suam Λαυρίνην Locro Alcinoi fratri Italiam extremam insidenti despondet; occiditur uterque ab Hercule hospite. Scilicet omnino Græci mythographi, quoties regem Italici soli nominare volunt, Latini nomine utuntur. Pro Latino, ad quem Æneas venit, Faunum Martis f. memorat Appian. lib. I in Excerpt. ex Photio. Antiquior Latii rex Dercennius ab ipso Virgilio commemoratur lib. XI, 850. Sive tamen fuit Latinus aliquis, seu non fuit, intelligendus utique est rex urbis et exigui tractus Laurentis, qui partem tantum Latii constituebat; to-

Digitized by Google

tius Latii nondum illo tempore erat regnum, nec unquam fuit, nisi Romanorum.

EXCURSUS VI.

DE ORACULO FAUNI IN LUCO ALBUNEÆ IN AGRO TIBURTINO.

VII, 81 sqq. 'At rex solicitus monstris, oracula Fauni, Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta Consulit Albunea.' Sententiam verborum et vim in notis declaravimus. In agro Tiburtino ab occidente lucus erat, in quo aquæ Albulæ, medicatæ et sulfureæ; ex earum fontibus unus est *Albunea*, fons et Nympha, forte et Sibylla: cf. ad Tibull. II, 5, 69. In hoc luco, Albuneæ dicto, oraculum fuit Fauni: de quo accurate agit poëta. Nostra adhuc ætate imminent Anienis catarractis ruinæ templi, quod Sibyllæ Tiburtinæ esse volunt viri docti, nullo graviore, quam quod vetere fama ita traditum est, argumento. Hoc idem templum nonnulli a poëta spectari et versibus his describi contendunt. Copiose hanc opinionem astruxit Vulpius in Vet. Latio, T. X, c. 5. Sed, ut solent ex Italis multi, modo patriæ suæ, modo locorum vel antiquitatis amore, plerumque etiam rerum ac sermonis ignoratione, multarum urbium sedes et ruinas prave interpretari, ita vir doctus in poëta usum loquendi, orationis vim et rationem, sententiam, communem sensum, omnia evertere maluit, quam veritati concedere. Ut Sibyllæ templum ad hos Albuneæ lucos revocare possit, interpungit v. 82 post: 'oracula Fauni, Fatidici genitoris, adit. Lucosque,' ut scilicet Fauni templum res a Sibyllæ oraculo diversa sit. Fauni autem templum in Laurentum finibus collocat, ubi Inui Castrum fuit (sup. VI, 776). Opinionis tamen auctoritatem nullam affert hic et alio loco T. V. Lib. IX, cf. c. 7, quam oleastrum Fauno sacrum ex Æn. XII, 766. Sed hæc et reliqua omnia contortissima sunt, ut in his hærere necesse non sit. Sibyllæ Albuneæ nomine signum marmoreum in villa Atestina habetur, quod etiam in Vulpio ære expressum est; de quo tamen, nisi accuratius exploratum fuerit, nihil cum fide pronunties.

Digitized by Google

EXCURSUS VII.

DE FABULARUM GRÆCARUM USU, ET DE ITALICARUM IN ILLARUM NATURAM DEFLEXARUM HABITU; TUM DE TURNO.

VII, 371. 372 ' Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.'

Pravum inter Romanos scriptores, inprimis veteres, fuisse studium deflectendi veterés Italorum mythos ad Græcas fabulas et repetendi origines rerum urbiumque Italicarum e Græcia, supra Excurs. IV diserte expositum est.

Quod tum inter causas corruptæ historiæ memoriæque omnis veterum Italorum obscuratæ retuli: hoc Virgilius, summus poëta, seu communem opinionem secutus, seu, si acriore judicio verum perspexit, utilitatem tamen amplexus, pro adjumento præclaro ad expediendam carminis sui materiem ascivit, erroremque, rerum veritati historiarumque fidei infestissimum, poëticis rationibus accommodavit solertissime.

Cum enim *Italicas fabulas*, ut novitate rei placeret, carmini intexere constituisset, statim occurrisse necesse est hoc: eas quidem, quæ carmine tractari possint, fabulas esse paucas, plerasque asperas et inficetas nominibus: cujus modi Salacia est, quæ Neptuno conjux data, Nerienes, quæ Virtus erat ac Fortitudo, eadem fere, quæ Græcorum Minerva. Una est egregie ad poëticum usum informata fabula de Ora, Juventutis Dea, Quirino Deo pro conjuge data, ut Herculi Hebe: vid. Gell. XIII, 22 et ibi Not. Sed hæc quoque ad Græcum exemplar procusa est, et ipsum videtur nomen Græcum esse, Ὥρα. Esse eam Hersiliam, sed Deam factam narravit Ovid. XIV Met. sub fin. Vidit igitur Maro fabulas Italicas tanto tractabiliores et carmini accommodatiores fore, quo magis ad Græcam illæ rationem attemperarentur, nominibus aut inflexis aut mutatis aut translatis. Inde etiam totius carminis æquabilis tenor ac color, faciesque

Digitized by Google

elegantior ac doctior proveniebat. Cum autem, quod sup. Excurs. IV vidimus, tot diversorum populorum Italiæ, quos ejusdem stirpis quasi surculos ac propagines aut populi ejusdem tribus appelles, tam multæ, et diversæ quidem nominibus, re tamen ad idem fere redeuntes, essent narrationes de auctoribus ac primis heroibus regibusque: selegit quidem ex iis poëta nonnullas, quas carmine tractari posse videbat; ex earum tamen ipsarum indole intelligitur, quanta cautione in iis transferendis opus fuerit: cum non modo obscuriores pleræque essent doctisque viris multo minus notæ ac Græcanicæ, verum et horridi aliquid et agrestis, aut jejuni inconditique haberent, quod ne Virgiliana quidem elegantia iis ubique abstergere potuit. Ex hoc genere sunt: bellum inter Laurentes Trojanosque cerva cæsa, quæ Sylviæ in deliciis erat, concitatum; Cæculus scintilla ab Laribus foco impositis desiliente a matre conceptus (cui similis fabula de Romuli et Remi ortu apud Plutarch. Romul. p. 18 D. E. occurrit); Cacus, qui ignem ore vomebat; mutatæ in Nymphas naves; Ocnus, Mantuæ conditor; Camilla infans hastæ illigata et trans amnem jacta; strix Turni os circumvolans mortemque portendens. Quæ fabulæ cum poëtæ summi arte et ingenio expolitæ vix nitescant; prorsus omittendæ fuere aliæ. Nec vero hoc mirabitur, qui meminerit, Græciæ veteris fabulas ab initio forte non minus a poëtica elegantia, suavitate et dignitate, alienas, magno plurium poëtarum sibi invicem succedentium studio fuisse expolitas; Italicis autem fabulis similem fortunam nunquam contigisse, uti nec artium maturum cultum. Itaque in his videas nonnulla, quæ ne definita quidem et constituta satis sunt, ut attributa Deorum, quæ apud Græcos artificum opera egregie sunt disposita et descripta. Inde factum arbitror, ut falx, quæ Saturno proprie erat tribuenda, Sabino adjecta sit lib. VII, 178. 179 'paterque Sabinus Vitisator, curvam servans sub imagine falcem.' Clavis proprium est insigne Jani. At apud Festum in *Claudere* Portumnus clavim manu tenere dicitur, ut Deus portuum. Qua re adduci se passus erat Heinsius ad Ovid. Met. XIV, 334, ut Janum aliquem Portumnum sibi fingeret.

Digitized by Google

Hæc cum ita se haberent, deligendæ fuere Maroni fabulæ ex multis paucæ, eæque non modo succo et sanguine, verum etiam habitu ac specie, ut ita dicam, Græcanicæ fabulæ vestiendæ. Quo ipso et novitatis aliud genus consecutus est poëta, et permixtis inter se illigatisque fabulis Græcis Italicisque ornamenta habuit in promtu, quæ pro lubitu aut consilio adhibere posset. Originibus autem populorum et urbium Italiæ a Græcis repetitis, non modo contextus rerum et carminis æquabili, nec a se abhorrente, facie habituque procedit: verum etiam fabulas Homericas, quæ carmini omnium maxime accommodatæ esse solent, ut adjungere posset Italicis, adeoque narrationum copias haberet paratissimas, effectum est. Ceterum in hoc genere imitatorem habuit perpetuum Silium Italicum, perdoctum poëtam.

Dardanum quidem ex Corytho Etruriæ urbe ortum habuisse, absurda est narratio, si de historica ratione quæritur (v. Excurs. VI ad lib. III). Poëta tamen oraculorum ambages in ea egregie fundavit (vid. Disq. II, p. LXXXI, conf. VII, 205 sqq.).

Herculis reditus per Italiam, abductis Geryonis armentis, de quo tam jucunda instituitur libro VIII narratio, Græca est fabula, diverse a diversis ornata; vide v. c. Conon. Narrat. 3 post Dionys. I, 34. 39 sqq. et Victorem O. G. R. c. 6.

Missa ad Diomedem a Latinis legatio ad petenda adversus Trojanos auxilia, et narratio legatorum de Diomedis rebus, præclari episodii laudem habet. Eo autem careremus, nisi vetus fabula Diomedeas insulas huic heroi consecrasset, Dauniæque vicinia poëtæ locum fecisset, quo commode intexi posset.

Pulcherrimum locum de Amata, furore Bacchico correpta, lib. VII, 376 sqq., tractare poëta non potuisset, nisi cum aliis Græcis ritibus ac religionibus etiam sacra Bacchica in Italiam illata esse ex tot Græcarum rerum originibus probabile fieret: inter Etruscos quidem, et hinc per reliquam Italiam, jam satis antiquis temporibus ea sacra recepta fuisse ex Etruscis Græcisque monumentis probatum alio

Digitized by Google

loco dedimus. Reprehensus est a priscis Criticis apud Servium locus lib. XII, 83 de Turni equis, 'Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia.' Excusationem tamen poëtæ, qui Græcam nympham heroi Italo junxit, habemus in tota fabulæ, quam instituit, ratione.

Inter Trojanos, a quibus gentium Romanarum illustrium originem repetit poëta, est etiam Capys lib. X, 145 'Et Capys; hinc nomen Campanæ ducitur urbi.' Capuam a Capy dictam credidit antiquitas: v. c. Liv. IV, 37. conf. Silius XI, 30. 299. Jam autem nomen erat illustre inter Æneæ majores Capyis, et inter reges Albanos alius: v. lib. VI, 868; et inter eos, quos adduxerat Æneas in Italiam, Capys non extremo erat loco: conf. lib. I, 187. II, 35. IX, 576.

Recensus populorum, qui Latinis tanquam auxiliares copiæ ascripti sunt, inter elaboratissimos poëtæ locos est. Suavitatis tamen, quam habet, maxima pars a fabulis Græcis ducta est. Verum nec ejus omnino ulla ratio reddi potest, nisi teneas hoc, omnes *populos, qui cum Turno in Latini partibus sunt, Græca origine ortos* ferri; *Æneæ* contra *socios* addi *prisca origine Italica*. Qua de re seq. Excurs. VIII agetur.

Est scilicet ejus artificii, quod modo exposuimus, argumentum vix aliud illustrius quam de *Turno* narratio, quando quidem is inter primarios Æneidis heroës est, adeoque magnam carminis partem ad ejus nomen et personam accommodari necesse fuit. Fuisse de eo fabulas domesticas conjicere licet; et multo magis liceret ex pateræ, vulgo pro Etrusca habitæ, in Museo Venuti Cortonenti, argumento; Hercules enim clava virum prosternit, ascriptis vocibus: HERCLE. THVRN. modo litteræ non essent obscuræ et extritæ. Verum his relictis omne Turni nomen ad Græcas, quæ de eo ferebantur, fabulas revocavit Maro. Dumque adeo Græcæ fabulæ semel in Turnum essent translatæ, ad multas alias patefacta est hoc ipso via et aditus.

Turni itaque originem poëta a *Danaë*, Acrisii regis Argivorum filia, Persei matre, repetiit: fabulam vulgarem se

Digitized by Google

cutus, qua 'Ardea a Danaë, Persei matre, condita' credebatur: Plin. III s. 9. Danaë enim vitio a Jove accepto intra arcam a patre inclusa inque mare præcipitata, inde ad Seriphum, unam ex Cycladibus, delata, a piscatore reti extrahitur. Vide Pherecydis narrationem apud Schol. Apollonii IV, 1091. Alii a prædonibus repertam narrasse videntur. Inde Plinium XXXV, 40 s. 32 illustrandum arbitror: 'Artemon' pinxit 'Danaën, mirantibus eam prædonibus.' Accessit hinc alia fabula: Danaën fuisse ad Italiam delatam, ibique eam Ardeam condidisse. Navi quidem cum sociis advectam poëta noster tradere maluit: nam lib. VII, 409 'Audacis,' inquit, 'Rutuli ad muros, quam dicitur urbem Acrisioneis Danaë fundasse colonis Præcipiti delata noto.' Inque eo adeo a vulgari narratione recedit Maro, quam Servius malo ad loci hujus interpretationem admovet, ad v. 372, cujus nota apud Pompon. Sab. plenior extat. Qua Italiæ parte Danaës appulsus factus esset, non constante satis fide traditum videtur: aliis ad Apuliæ littus, aliis ad Ardeatem agrum, escensum factum prodentibus. Tota tamen fabula nugatorio, quantum quidem video, verborum lusui originem debet, ac si Daunia, quæ Apuliæ pars est, a Danaë Acrisii filia nomen et colonos acceperit. A Daunis autem cum Rutulos ortum traxisse vetus fides esset, Danaës fabula etiam ad Rutulos tracta et revocata est.

Itaque Turni quoque genus ab eadem Danaë repetitum a poëta in versibus supra ascriptis: Turno 'Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.' Generis splendorem egregie ornavit poëta, etiam nominum vetustate, pro eo quod dicere poterat, ab Argivis regibus Turnum genus suum duxisse. Acrisius, Danaës pater, Argivorum rex, ab Inacho erat oriundus (hinc: 'Inachus Acrisiusque patres'), Perseus autem, Danaës f., Mycenas condiderat regnique sedem fecerat, relictis Argis Megapenthi Prœti filio (hinc: 'mediæque Mycenæ' pro media Græcia).

Ex Servii ad lib. VII, 372 narratione Danaë ad Italiam delata, 'regi' (addunt alii Pilumni nomen, Rutulorum regem Pompon. Sab. edit) 'oblata fuit: qui eam sibi fecit uxorem;

Digitized by Google

cum qua etiam Ardeam condidit: a quibus Turnum vult' (poëta) 'originem ducere.' Nihil de his diserte Virgilius: sed is Turni genus alia arte ad summam nobilitatem evexit, dum ei majores assignavit veteris Italiæ heroës ac Deos creditos; cumque in his a communibus fabulis aliquantum recedat, dispiciemus hæc paulo curiosius. Alia narratio apud Serv. ad VIII, 345 occurrit: 'alii Danaën cum duobus filiis Argo et Argeo, quos de Phineo habuit, venisse in Italiam, et locum, ubi nunc Roma est, tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco' (Argileto) 'nomen dedisse.'

Turni quidem patrem edidit *Daunum*, nomine antiqui illius Dauni, de quo modo memoratum est, a quo tamen diversum eum statuere necesse est. Ab hoc designantur Rutuli: 'Daunia gens,' 'Daunia plebes:' agitque de eo poëta sic, ac si ille ea loca ante Turnum tenuisset, senex tamen adhucdum viveret: lib. X, 615. 616 'quin et pugnæ subducere Turnum Et Dauno possem incolumem servare parenti;' v. 688 'Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem,' h. Ardeam. Lib. XII, 22 'Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta Multa manu;' v. 43. 44 'miserere parentis Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longe Dividit;' et XII, 934 ipse Turnus ad Æneam: 'Dauni miserere senectæ.'

Mater porro Turni *Venilia* est: lib. X, 76 'cui Diva Venilia mater;' illustre nomen a Venilia Dea ductum, de qua sup. Exc. V egimus. Sed Turni mater soror erat Amatæ, Latino nuptæ: unde lib. VII, 366 ei 'consanguineus Turnus,' et XII, 29 'cognatus sanguis,' qua cognatione victum se profitetur Latinus, ut Laviniam Turno desponderet. Apud Victorem O. G. R. c. 13 'Piso quidem Turnum matruelem Amatæ fuisse tradit.' Paulo ante 'consobrinum Amatæ' dixerat. Itaque et hæc poëta non invenit, sed in suam rem transtulit.

Porro inter Turni progenitores *Pilumnus*: ibid. 'Cui Pilumnus avus.' Non subtiliter cum poëta agendum, qui Pilumnum modo avum, modo parentem (lib. IX, 4), etiam

Digitized by Google

abavum Turni facit (x, 619 'Pilumnusque illi quartus pater'); utitur enim communibus vocabulis parentis, avi, latiore sensu. Valere autem et hoc nomen ad dignitatem generis augendam debet. Fuit enim Pilumnus nomen Dei Indigetis, quem varie interpretantur veteres, modo qui cum Picumno inter Deos conjugales sit, atque infantiæ mala propellat, modo qui e Diis agrestibus sit, pilo invento rusticis gratus, idem qui Stercutius: conf. Serv. ad lib. IX, 3. 4, lib. X, 76, et Non. Marc. XII, 36. Arguit hæc ipsa interpretationis diversitas vetustatem religionis. Per Pilumnum autem genus suum Turnus ad ipsos Deos Saturnios et ad ipsam Junonem referre debuit, etsi, qua ratione id factum, obscurum sit; nam Juno lib. X, 618 'Ille tamen nostra deducit origine nomen, Pilumnusque ipsi quartus pater.'

De *Juturna*, Turni sorore, Nympha Latii, supra Excurs. III extr. disputatum est.

Etsi igitur Turnus Græcam originem referre videri potuit, ex altera tamen parte inter Latinos populares habitus est. Inde exclusus est conjugio Laviniæ ab oraculo, quod advenam ei destinaverat, non aliquem e popularibus, lib. VII, 96. In his iisdem vertitur argumentatio Amatæ VII, 365 sqq. cf. Not. ad 599. 600.

Quod Turnum Herdonium appellavit Victor O. G. R. 13, gravis est lapsus ex permutatione Turni Herdonii Latinorum principis, quem Tarquinii Superbi fraus evertit. Ceterum de Turno et Ardea post Cluverium egit copiose Vulpius in Vet. Lat. Tom. V, sed doctrinæ subtilitatem in plerisque desideres, copiam facile concedas.

Digitized by Google

EXCURSUS VIII.

AD RECENSUM POPULORUM, QUI CUM LATINO ARMORUM SOCIETATEM INIERANT.

VII, 640 sqq. Cum Virgilii eruditio inprimis mirationem faciat in veteris Italiæ originibus, quas et accurate investigasse et commode atque ingeniose carminis sui indoli accommodasse videtur; non pigebit, in hanc carminis partem excurrere, et, quæ singulis locis veteres fabulæ ei ante oculos versatæ sint, sub unum obtutum exponere.

Primum quidem illud, quod jam diximus, observatione dignum inprimis est, quod *in Turni partes*, quem a Græca origine genus ducere memoraverat, adduxit eos *populos, quibus Græcæ origines vulgo tribuebantur:* quo ipso rationem aliquam invenit, qua excitos varios Italiæ populos Trojanis objiceret adversa acie pugnantes. Vetus Græcorum odium adversus Trojanos, nupera Trojæ clade nondum expletum, sed eo magis in eos, qui clade superstites profugerant, inflammatum, causas auxilii ferendi præbet idoneas. Quo illud idem, quod toties monuimus, firmatur, epici carminis Virgiliani fructum satis jucundum vix esse posse illi homini, qui non fabulis illis antiquis, inprimisque Homericis Italicisque, imbutum habeat ingenium. Hoc est, quo summa rerum redit.

Ii igitur, quos hic enumerat populos auxilia Latino et Turno adducentes, ex genere sunt eorum, qui *urbium* suarum *conditores Græcos* habuisse ferebantur, uti in singulis mox videbimus. Græca origo eosdem movet, ut Diomedis auxilia petant inf. VIII pr. Latinos populos ac civitates ordine certo seu situs seu vetustatis memoratas expectabat forte aliquis a poëta. Verum lubrico ille insistebat vestigio: ab Alba Longa, quæ hoc tempore erat nulla, ortum habere omne nomen Latinum, et ab ea deductas esse colonias XXX Latii civitates, vulgo tum constabat: v. Dionys. III, 31 et I,

Digitized by Google

15. Quid? quod superiore libro, VI, 773—777 aliquot harum urbium ipse excitaverat, quæ tunc adhuc essent 'sine nomine terræ.' Sapienter itaque ab hac enumeratione abstinuit, et vetustissimarum tantum urbium nomina apposuit, nullo certo ordine disposita: quarum etsi magna pars inter colonias Albæ Longæ numerata est, tamen eæ his ipsis coloniis, quibus iterum frequentatæ seu suppletæ fuerant, antiquiores creditæ sunt. Ordine autem geographico relicto, poëticis rationibus melius consuluit poëta; varietatem enim et libertatem in dilectu sibi ita reliquit. Varietatem etiam in hoc secutus est, quod *Trojanorum socios Arcades* et *Etruscos* alio loco commemorandos distulit, illosque navibus advectos narravit inf. X, 166 sqq., ubi cf. Serv.

De *Mezentio* alio Excursu (III ad lib. VIII) dictum est: tyrannus ille fuerat Agyllæ, urbis Etruscorum, quæ Pelasgicæ originis vestigia manifesta retinuerat: vid. Dionys. I, 21. Qui sequitur, *Aventinus*, Herculis filius, Græcam stirpem patris nomine satis prodit. De eo v. ad v. 655.

670—677. In iis, quæ de *Tibure* memorat Virgilius, aperte rationem sequitur, quam supra attigimus, et morem illum, qui veteri historiæ plurimum labis aspersit, ut urbium Italicarum origines a Græcis repeterent. Itaque Tiburis originem e Græcia media nonnulli petierunt. Locus classicus post Plinium XVI, 44 s. 87 apud Solinum, ubi c. 2 plures hujusmodi urbium per Italiam origines exponuntur, tum: 'Tibur, sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade, præfecto classis Evandri; sicut Sextius' (Sextius Niger esse videtur, Plinio memoratus, qui græce de medicina scripsit. Nisi Sextus Gellius est, cujus liber fuit, Origo gentis Romanæ.) 'ab Argiva juventute' (et hoc plures alii secuti sunt, unde Horatio: 'Tibur Argeo positum colono'). 'Catillus enim Amphiarai filius post prodigialem patris' (sc. terra hausti) 'apud Thebas interitum, Œclei avi jussu cum omni fœtu ver sacrum missus, tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido Siciliæ' (delenda hæc vox ab indocto homine inserta) 'veteribus Sicanis' (*Siculos* debebat dicere: conf.

Digitized by Google

Dionys. lib. I, c. 16) 'a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt.' Cum in condenda urbe consociasse operas suas ferantur fratres, hinc modo *Tiburti* modo *Catilli* solius nomen in urbis origine memorari solet, uti 'mœnia Catili' ex Horatio nota sunt, et Silius VIII, 366 'Hinc Tibur, Catille, tuum;' cf. eund. IV, 225. *Tiburtus* heros etiam *Tiburs* et *Tiburnus* appellatus fuisse videtur. Variant fere libri in nomine, ut apud nostrum VII, 671, XI, 519. 'Tiburni lucum' certe apud Horatium vindicarunt viri docti. Et *Tiburnum* agnovit haud dubie Statius I Sylv. 3, 74, ubi scriptura tantum inter *Tiberinus* et *Tiburnus* variat; et idem 'Tiburnam domum' dixit III Sylv. I, 183. Virgilius, fratre Tiburto ad urbis novæ præsidium relicto, ceteros duo fratres ad belli societatem mittit. De Tiburte egerunt inprimis Cluver. in Ital. ant., Franc. Martius in Histor. Tiburtina, et Ant. del Rè in Antiqq. Tiburt. (Tom. VIII P. IV Thes. Antiqq. Ital.), et nuper Vulpius in Vet. Latio profano Tom. X.

De *Præneste* v. 678 sqq. fabulam poëta domesticam prætulit, de Cæculo, cum tamen de ejus urbis originibus non minus fabula Græcanica esset tradita, qua Prænestes, Ulyssis nepos, Latini filius, ejus urbis auctor ferebatur. A Telegono conditum Præneste nomenque ab ilice (πρῖνος) ductum, memoratur in personato Plutarcho Parall. extr. Ita enim ludebant hi homines in nominibus. Addit tamen Solin. c. 2 'ut Prænestini sonant libri, a Cæculo.' Plura de Præneste vid. apud Cluverium, Suaresium in Præneste ant. et Vulpium Tom. IX Latii prof. Hoc unum nescio an ab aliis observatum sit, quod Prænestinis h. l. Gabinos, Anienis accolas, Hernicos et Amaseni accolas, seu socios seu ditioni subjectos adjungit Maro.

De *Junone Gabina* v. 682 in notis ad e. l. dictum est. Quod 'arva Junonis Gabinæ' memorat, etsi ea nota est poëtarum in designandis urbibus ratio, tamen id proride fecisse videri potest, quoniam lib. VI, 773 (ubi vid. Not.) *Gabios* inter urbes, quæ illo tempore nondum erant, memoraverat. Ceterum etiam Gabiis origo Græca ascripta, nar-

Digitized by Google

ratumque est, eam adeo Græcis litteris floruisse, ut etiam Romulus et Remus liberali disciplina imbuendi eo mitterentur: vid. Plutarch. in Romulo p. 20 D. Tom. I. ed. Frf. et Par. Dionys. lib. I, c. 84 et Festum in *Roma*, ex Diocle Peparethio. Quod etsi fabulose traditum videtur, *Junonis* tamen *Argivæ* in eam urbem recepta sacra Pelasgos aliquando cum Aboriginibus, hoc est, cum Ausonum stirpe, eam inhabitasse arguere possunt; nisi alterum sequi malis, serius numen aliquod patrium in Junonis nomen fuisse translatum.

Prænestinis, ut jam monuimus, Virgilius adjungit præter Gabinos et Anienis accolas, *Hernicos*, et addit: 'quos, dives Anagnia, pascis, Quosque, Amasene pater,' pascis. Anagnia caput Hernicorum adhuc notum oppidum est. Enimvero in Amaseno fluvio, qui paulo ultra Setiam exortus Privernum prætergressus, per Volscorum fines apud Circæum in mare exit, hæret Cluverius Ital. ant. p. 981, dum ad Hernicos designandos eum a poëta memorari arbitratur: inter Anagniam enim, Hernicorum urbem, et Amasenum interjectos esse Signinos et Setinos. Sed sumit vir doctus, quod poëta non dat; non enim ille Amaseni accolas Hernicis annumerat, sed una cum Hernicis eos Prænestinis tanquam belli socios sub iisdem signis incedentes adjungit.

Alii annotationi locum facit Macrobius Sat. v, 18, qui in verss. 689. 690, ubi Hernici cum sociis 'vestigia nuda sinistri Instituere pedis; crudus tegit altera pero,' Euripidem in Meleagro, unde versus quoque ascripsit,—*Τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδὸς, Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡφ ἐλαφρίζον γόνυ Ἔχοιεν*— Virgilio ante oculos fuisse contendit, et poëtæ hujus *occultissimam diligentiam* inde arguit, quod ab Ætolis hoc ad Hernicos transtulit, qui Pelasgica stirpe orti ab Hygino tradantur, a qua etiam Ætoli originem habebant. Locus est satis copiosus; sed totum Macrobii acumen, ut ex animo dicam, ineptum est, et idoneo fundo caret. Virgilium cum Julio Hygino Hernicos ab Hernico, duce Pelasgo, ducere, nusquam apparet. Si tamen duxisset, nimis longe petita res erat, propterea quod ab Pelasgis Ætoli quoque oriundi

Digitized by Google

erant, transferre ad Hernicos, qui nihil cum Ætolis commune habent, ea, quæ de Ætolis narrata sunt. Sed nec Virgilius Hernicis id præcipue tribuit, ut uno pede calceato, altero nudo, incedant, verum omnino Prænestinorum et sociorum agmini: neque ille habitus adeo insolens et ad excogitandum difficilis erat, ut poëtæ in animum venire non posset; tandem et in eo fallitur Macrobius, quod 'hunc morem in Italia fuisse, ut uno pede calceato, altero nudo, iretur ad bellum, nusquam repererat.' Nam occurrit ille passim, ut in Græcis sic in Etruscis monumentis, inprimis in vasis, ut apud Dempsterum in Etruria regali. t. 90 in f. Porro, ut Silii imitationem omittam, qui dat lib. VIII, 421 Sabinis 'lævo tegmina crure' (nam gentem Libycam nil moramur lib. III, 279 cui sunt 'lævo tegmina crure'), apud Livium quoque IX, 40 Samnitium armatura ejusmodi narratur, ut 'sinistrum crus ocrea tectum haberent.' Qui locus Aristotelis censuræ robur addere videtur, qui Euripidem reprehenderat, quod lævum pedem nudum, dextrum ocreatum, tribuerat Thestii liberis Ætolorum more; nam apud hos contrarium morem obtinuisse (ita enim Aristotelis verba ab Euripideis sejungo), et id quidem merito; non enim lævum, sed dextrum pedem, tanquam anteriorem et prægredientem, nudum et expeditum esse debere. Contrarium tamen secutus est Virgilius, nec minus recte. Nam Euripidis reprehensio proprie ad rationem adjectam ὡς ἐλαφρίζοι γόνυ ἔχοιεν spectat: et sinistrum crus recte nudari potuit, quandoquidem scuto tegebatur. Ita de prisca Romanorum militia Vegetius lib. I, c. 20 'Pedites scutati, præter cataphractas et galeas, etiam ferreas ocreas *in dextris cruribus* cogerentur accipere.' Cf. Lips. de Militia Romanor. III, 7. Utraque adeo ratio usu et consilio defenditur. Nam nec minus *lævus pes*, qui in 'gradu militari jaculantis vel sagittam emittentis anterior' est, cum scuto tegi non posset, ocrea muniri potuit ac debuit. Verum etiam si scuto tegeretur, vel sic tamen ille ocrea muniri potuit, dexter nudari, quando in gradu militari hic retro ferebatur, lævus anterior erat; ut v. c. in gladiatore in opere figlino (*terra cotta*) expresso ap.

Digitized by Google

Eminent. Card. Steph. Borgia in Museo Veliterno, (Guattani Monum. ant. ined. a. 1787. M. Maio tab. III et p. 43. 45. An anaglyphum No. 132 apud Winckelman. Mon. ant. huc vocari possit, dubito: Achilli armis sumtis alteram ocream cruri circumdat nescio quis.) Alio sensu, (contra quam statuebat Toup. Emendat. in Suidam Tom. I, p. 310. 311 in Καρδοῦχοι) τῷ ἀριστερῷ ποδὶ προβαίνειν accipiendum erat apud Xenoph. in Cyri exped. IV, 2 extr., ubi de barbaris grandiore arcus genere utentibus: εἵλκον δὲ τὰς νευρὰς, ὁπότε τοξεύοιεν (adeoque dum arcum intendere volebant), πρὸς τὸ κάτω τοῦ τόξου τῷ ἀριστερῷ ποδὶ προβαίνοντες, 'sinistro pede in imum arcum' (sc. humi impositum) 'immisso,' virium colligendarum causa. Illustrat rem Arrian. Indic. 16 ἀλλ' οἱ μὲν πεζοὶ αὐτοῖσι τόξον τε ἔχουσιν ἰσόμηκες τῷ φορέοντι τὸ τόξον, καὶ τοῦτο κάτω ἐπὶ τὴν γῆν θέντες, καὶ τῷ ποδὶ τῷ ἀριστερῷ ἀντιβάντες, οὕτως ἐκτοξεύουσι, τὴν νευρὴν ἐπὶ μέγα ὀπίσω ἀπαγαγόντες. Ceterum Euripideum fragmentum ex Meleagro post Schraderum illustravit Valkenar. ad Phœniss. p. 623 et in Diatribe de fragm. Eurip. p. 145. Laudat Ætolorum morem etiam Schol. Pindari Pyth. IV, 133, sed nihil inde novæ lucis expectandum. In carmine Anthol. Steph. p. 315. Analect. Tom. III, p. 213, 297 Lycurgi Thracis est signum, quod μονοκρήπιδα eum exhibebat: h. e. uno tantum crure ocreato: ut adeo falcem alteri facile infligere posset.

Copiæ, quas *Messapus* adducit, v. 691 sqq., ex *Etruriæ* veniunt *urbibus* iis, quæ *Græcam originem* habere credebantur; eaque de causa ipsæ diversas a ceteris partes sequi existimandæ sunt. De Faleriis; Fescennia, Soracte et Capena ex Dionysio, qui adeundus est lib. I, 21, tum ex Plinio et aliis, nolo enim nota repetere, pro certo id constat. Sed Messapum, cum in his commune aliquod aut fictum inventumque nomen ponere non liceret, unde poëta arcessiverit aut in Etruriam transtulerit, non video. Sane in extrema Italia *Messapia* est, Græco nomine, ut Strabo ait lib. VI, p. 425 B, eadem *Iapygia* dicta. Eam oram variis temporibus varios accepisse cum ex Illyrico tum e Græcia colonos mirum non est. Ex Illyriis utique fuere Apuli. Antiquis

Digitized by Google

jam temporibus Pelasgi circa ea loca consederant, *Peucetii* dicti a Peucetio, quem Œnotri fratrem ediderunt. *Peucetium*, *Iapygem*, et *Daunum* fratres memoraverat Nicander apud Anton. Lib. 31. Sane Daunii non nisi pars Peucetiorum fuerunt, ut ex Strab. VI, p. 437 B., et Anton. Lib. 31 colligo. *Sallentinos* ab Idomeneo deductos, lib. III, 400 vidimus. Cf. Strabo VI, p. 430 A. Herodotus lib. VII, c. 170 *Cretenses*, qui cum Minoë in Siciliam venerant, postquam inde discesserant, ad Iapygiam appulisse, Hyriamque condidisse narrat: *καὶ μεταβαλόντας, ἀντὶ μὲν Κρητῶν Ἰήπυγας Μεσσαπίους γενέσθαι.* Scilicet consederant inter barbaros, Messapygas vel Messapios dictos, quorum nomine ipsi deinde censi sunt. Illyricos hos barbaros fuisse credere licet, et hoc inter cetera fabulose narrata recte tradit Nicander apud Antonin. Liber. c. 31. Pars ex iis in Thraciam trajecit, ubi Bottiæi sunt appellati, v. Conon. c. 25, Strab. l. c. VI, p. 427 B, et ibi Not., et mansit adeo nominis memoria in monte Messapio Macedoniæ apud Aristotelem Hist. Anim. IX, 45. Supra memoratam ex Herodoto famam respicit Strabo lib. VI, p. 427 B. et p. 431. 432. At ubi ille de Messapio monte agit, lib. IX, p. 621 A. B., cui Anthedon urbs subjecta est, 'montem hunc Bœotiæ' ait 'nomen a Messapo habuisse, qui ad Iapygiam accesserit eamque Messapiam appellaverit:' vid. ibid. Casaub. Conf. Serv. ad Æn. VIII, 9. Fallitur vero Stephanus Byz., qui Messapum Euboeæ montem edidit. Num vero Messapus e Bœotia homines deduxerit, et quo tempore hi Bœoti ad Italiam appulerint, et an nominis Bottiæorum similitudo narrationi effingendæ licentiam fecerit, equidem non dicam. Saltem Messapus aliquis conditor et rex Messapiorum inter veteres celebratus fuit: Plinius III, 11 s. 16 'Calabria—Græci *Messapiam a duce* appellavere:' conf. Solin. c. 2, p. 10 B. Apud Silium lib. XII, 398 'Ennius antiqua Messapi ab origine regum' editur; et Servius ad nostrum locum v. 691 'Ab hoc Ennius dicit se originem ducere.' Rudiæ enim in Iapygia seu Messapia sitæ erant.

Quæ cum ita se habeant, ad assequendum difficile est,

Digitized by Google

quomodo hoc uno in loco Virgilius veterem famam deserere et Messapum, cui in extrema Italia sedem constanter assignavit vetustas, Fescenninis, Faliscis, ceterisque enarratis Etruriæ populis ducem dare maluerit. Videtur certe poëta secutus esse aliquid, quod nunc ignoratur: nam exornat hunc Messapum ejusque copias et singulari ritu illustrat, quod cum rhythmo et cantu incesserint. An Servio aliquid tribuendum sit dubito, dum ait: 'Ab hoc' (Messapo) 'Ennius dicit se originem ducere: unde nunc et cantantes inducit ejus socios et eos comparat cycnis.' Incessum quidem talem cum cantu, et saltationi numerosæ similem, multis barbaris usitatum fuisse satis constat: cf. Cerda ad h. l. Ad Fescenninorum carminum licentiam et jocos vero respicere poëtam non credo. Quod Neptuni filium facit Messapum Virgilius, recte ex vetere more loquendi explicat Servius: 'Hic Messapus per mare ad Italiam venit: unde Neptuni dictus est filius.' Ita enim multi passim Neptuni aut filii aut amasii appellati fuere, quoniam mari advenerant: v. c. Pelops apud Pindarum Ol. I. Unde autem in mentem venerit poëtæ, ut hunc Messapum indomitum igni et ferro faceret, ita fere assequi mihi videor, quod inter eos, quos ducit, Soractis montis accolæ sunt, Hirpi illi suo nomine dicti, qui sacrificio annuo, quod ad eum montem fiebat Apollini, 'super ambustam ligni struem ambulantes non adurebantur.' Plin. VII, 2. cf. Æn. XI, 587 sqq.

v. 706—717. 'Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus—Una ingens Amiterna cohors' etc. Fines agri Sabini poëta paulo latius constituit quam ad sequentium ætatum rationes, quas Strabo et Plinius ante oculos habuerunt. Saltem latus septentrionale usque ad montem Fiscellum extendit, sub quem Nursia posita erat, et ab occidente Hortam, ultra Narem Tiberi immissum, memorat. *Amiternum*, quinque circiter millia ab *Aquila* versus Aterni fontem in loco situm, qui *S. Vittorino* vulgo appellatur, non infrequens prisca ætate oppidum esse debuit, si quidem poëta 'ingens Amiterna cohors' dicere potuit. *Prisci Quirites* respectu Romanorum, qui et ipsi Quirites

Digitized by Google

dicti, ex quo Sabini *Curibus* oriundi cum T. Tatio Romam venerant. *Cures* autem, antiquissimum Aboriginum oppidum, pronuntiari debuit *Quires* vel *Quiris*, *Κύρις*, unde *Quirites* dicti, pro *Curensibus*. Situs Curium fuit in Sabina regione, non, quod Cluverius p. 675 putavit, in loco *Vescovio* nunc dicto, sed paulo inferius ad sinistram ripam amnis *Corese*, in agri *Farensis* loco *Monte maggiore* dicto, id quod docte declaravit Capmartin de Chaupy (Decouverte de la Maison de Campagne d'Horace, Tom. III, pag. 75 sqq.), qui in hoc eodem loco villam sibi redemit et instruxit. Idem pag. 67 sqq. totum poëtæ locum egregie illustrat; unde transferemus nonnulla in h. l., quandoquidem nusquam alibi tam accurate hæc tractata vidimus. *Eretum* vulgo in colle haud procul Tiberis ripa, *Monte Ritondo*, quæsiverunt: idem vir doctus situm aliquanto propius ad Tiberim in colliculo exploravit; appellatur locus *Rimane;* v. p. 85. 91. *Mutusca* est *Trebula Mutusca*, situ ex marmoribus et ruinis deprehenso, circa templum S. Victoriæ fuit, mille passibus a vico *Monte Leone*, XIV millibus supra Reate, nunc *Rieti* ibid. p. 93. Nec longe abest vicus *Oliveto* dictus, quod ipsum nomen epitheton *oliviferæ Mutuscæ* declarat. 712. *Nomentum*, quod inter colonias Latinas sup. VI, 773 commemoratum vidimus, sed in agro Sabino situm oppidum, vestigia habet satis certa viæ Nomentanæ et nominis in vico *Mentana*. *Rosea rura Velini*. Rosea, seu campi Roseæ, in agro Reatino ad lacum Velinum, summæ olim fertilitatis, ex Plinio, Varrone aliisque satis noti sunt: vid. Cluver. p. 679 et Capmartinus l. l. 99 sqq. Magna pars horum camporum lacu demum Velino emisso emersisse videtur: aquarum autem sulphurearum limus ad fertilitatem soli haud dubie profuit. 713. 'Tetricæ horrentis rupes montemque Severum' in montium jugis fuisse, qui ad orientem Nursiæ in Piceno erant, dubitari nequit: cf. Cluver. p. 692. 693. Ultra oppidum *Leonessa* in *Abruzzo ultra* eos constituit Capmartinus p. 120. 714. *Casperiam* versus Himellæ fluvii, qui nunc *Aia* est, fontem sitam, eam esse, quæ nunc *Aspra*, satis constat: abfuisse tamen aliquantum ab hac urbe, et in valle *Presen-*

Digitized by Google

xano ruinas conspici tradit Capmartinus pag. 122 sq. *Forulos* in loco inter vetus Amiternum et recentiorem civitatem *Aquila* sitos, nunc *Civita Tomassa* dictos, satis exploratum est. Quod tamen poëta Forulos inter *Casperiam* et *flumen Himellæ* memoravit, transversum egit virum doctissimum modo laudatum, ut *Forum novum*, quod circa Himellam situm fuit, et *Forum Decii* poëtam respexisse putaret. Sed poëtæ hoc condonandum est, ut in regionum situ geographicam subtilitatem deserat. 715. *Tiberim* sc. qua patet inter Narem et Anienem. *Fabaris*, aliis *Farfarus*, nunc *Farfa*, ad Tiberim descendit. 716. *Nursia*, nunc *Norcia*, versus fontes Naris inter montium frigora, et *Horta*, ad ostia Naris, qua Tiberi immittitur, a Plinio oppidis Etruriæ annumerata, nihil difficultatis habent. *Populi Latini* intelligendi sive de coloniis Latinis in agrum Sabinum deductis, sive de oppidis a Latinis conditis et habitatis, quæ temporum successu in Sabinorum ditionem cesserunt. Hoc Cluver. pag. 651 statuit: conf. Capmartin. pag. 136 sqq. 717. *Allia*, exiguum flumen, Romanorum clade a Gallis accepta satis notum, dubitatur, quo loco defluxerit. Cluverius esse credidit amnem *Rio de mosso*, Capmartinus amnem *S. Giovanni della Torre*, qui infra *Castel Giubileo* Tiberi jungitur: vid. ibid. pag. 148 sq. Ceterum in *Sabinis* abstinuit poëta ab *origine Spartana* commemoranda, cui comminiscendæ morum severitas opportunitatem fecerat. Vide vel Serv. ad VIII, 638.

722 seqq. *Halesus*, vel *Alesus*, adducit populos e priscis *Auruncorum* et *Oscorum* sedibus. Fuerunt isti veterum Ausonum reliquiæ, tandemque a Romanis deleti sunt. Halesus, *Agamemnonius* dictus v. 723, quod accipiunt ut sit Agamemnonis filius. Id vero alienum a poëta. Nam inf. lib. X, 417 pater ipsi fuisse traditur *vates*, qui senex obiit et filium, cujus fata præviderat, in sylva educavit. *Agamemnonius* igitur ad originem generis referri necesse est: id quod commentis, super Græca Italicarum urbium origine, quæ sæpe commemoravimus, debetur. Ab Argivis autem repetitum est genus: 'Agamemnone cæso, Et scelus et patrias fugit Halesus opes:' Ovidius Amor. III, 13, 31. 32, ut adeo inter

Digitized by Google

Agamemnonis copias et comites Mycenas reduces Halesus fuisse credendus sit. Sed discedit ab aliis Maro in hoc, quod Campanorum ducem facit Halesum. Nam alii Faliscorum originem et nomen ab eo repetunt: Ovidius Fast. IV, 73. 74, et Amor. III, 13, 31 seq., in qua elegia Junonis Faliscæ sacrum et pompam narrat. Solin. c. 8, Servius ad VII, 695, Alsium autem Etruriæ ei tribuit tanquam conditori Silius VIII, 476. Facilius tamen ad assequendum est, quomodo ad Halesum Falisci revocari potuerint; fuere enim Faliscorum Falerii, oppidum; *F*, Æolicum digamma, aspirationis vicem subire, tot exemplis constat; itaque ex *Halesus, Halesii, Falesii, Falerii, Falisci* facti. Mox *Aurunci* v. 726 intelligendi, qui ultra Lirim habitarunt, quorum Suessa Aurunca fuit. Nam alia Auruncorum pars cis Lirim Latii partem coluit: ex his sunt *Auruncæ manus*, quæ Turnum sequuntur inf. VII, 795. Potest Auruncorum pars ab eo perdomita fuisse videri; sic enim lib. XII, 93. 94 Turnus hastam gestabat 'Actoris Aurunci spolium:' et 'oppida capta Multa manu' jam ante v. 22 commemoraverat. Quid quod etiam Auruncos Rutulosque versus Sicanorum fines non longe a Tiberi collocat poëta lib. XI, 316. 318; quo factum, ut inter eos adeo, qui Turnum sequuntur, lib. VII, 795 *Sicani* ponantur: 'Aurunceæque manus, Rutuli veteresque Sicani.' Inter Oscorum populos etiam *Sidicini* fuerunt: vid. Strabo lib. V, pag. 237 C., a quibus Teanum Sidicinum nomen retinuit. At *Cales* vetus Ausonum, tum Campaniæ urbs Liv. VIII, 16. Etiam hujus urbis originem Græcam effinxit Silius VIII, 514 sqq. v. 729. *vadosi Volturni*, qui aliis poëtis *rapax, celer, sonorus*, quam fluvii naturam ipsum nomen, a vulture ductum, respicere videtur. Sed idem fluvius pro diversis locis, per quæ cursum facit, diversam alvei et cursus naturam habere potest. Conf. Burmannus ad h. l. 'vadosus est prope mare,' ait etiam Pomponius: sed falso adjicitur: *ubi est Linternum. Saticula;* Campaniæ urbs, unde Saticulani; priscis temporibus Saticulos, ab Ausonum stirpe, colonos habuisse videtur. Epitheton, *asper*, ad locorum situm Tifatis subjectum spectare arbitror. Iidem colles,

Digitized by Google

Tifata, Capuæ imminebant Liv. VII, 29, Silius XII, 487. 'Oscorum manus.' Opici, Opsci, et Osci, vetus Ausonum gens, quæ tamen temporis successu, ut fit, a communi stirpe ita abalienata fuit, ut pro diversis populis haberi possent Ausones et Osci, conf. Strabo v, pag. 242 c, antiquitus cis et ultra Lirim habitarunt. Sed in Latio mature nomen defecit, serius permansit in Campania. Primi in eorum terris advenæ Cumas condidere Chalcidenses ex Eubœa, mox Etruscorum vires in iis locis increbuere, tandem a Samnitibus et Romanis vestigia quoque gentis excisa sunt, quæ supererant maxime circa Atellas.

733—743. Iterum aliæ de Græca Italicarum urbium origine fabulæ. *Teleboæ* Taphum, unam ex Echinadibus, incoluerunt, in quam ex opposita Acarnania transierant. Relicta Tapho, Capreas insulam, Surrentino promontorio Campaniæ objectam, eos adiisse, hoc ex loco constat. Rex eorum Telon ex Sebethide nympha, Sebethi fluvii ad Neapolim filia, suscepit Œbalum, qui in continente Italiæ, ex adverso opposito, occupasse narratur loca circa Sarnum, in Hirpinis et in extrema Campania. Fabulam ex nostris petierunt Silius et Statius; quis Virgilio præiverit, non constat. *Sarrastibus*, Sarni fl. accolis, Græcam olim originem tributam a nonnullis fuisse, ex Servio constat: 'Conon' (videtur fabulosarum narrationum auctor fuisse) 'in eo libro, quem de Italia scripsit, quosdam Pelasgos aliosque ex Peloponneso convenas, ad eum locum Italiæ venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit; et flumini, quem incolerent' (l. quod accolerent), 'Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis' (de quo nescio an aliunde constet) 'et se Sarrhastes appellasse. Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.' Scilicet *Sarnum* olim *Sarrum* pronuntiatum esse necesse est. Neque aliud quicquam super Sarrastibus et eorum origine affert Camillus Peregrinius de Campan. felice Diss. II, n. 24. Qui somnia requirit, adeat Euboici abitatori di Napoli p. 263 sqq., qui liber Neapoli sub Ducis Michele Vargas Macciucca nomine vulgatus est. *Rufræ* vel *Rufrium* in Hirpinorum finibus, in Samnitium potestate

Digitized by Google

habitum, nunc *Ruvo* in *Terra di Bari;* circa eadem loca *Batulum* et *Celenna* sita fuisse videntur. At *Abella* notum Campaniæ oppidum, inter Chalcidensium colonias numeratum a Justino XX, 1, 13. Quod *malifera* appellatur, etiam *nucis Avellanæ* nomine firmatur.

744 sqq. *Æqui, Æquani* vel *Æquiculi,* vel *Æquiculani,* exiguum ad utramque Anienis ripam tractum inter Marsos, Pelignos, et Sabellos montes inhabitarunt, agrestis et fera gens, a Romanis victa et extincta; unde poëta: 'horrida gens assuetaque multo Venatu nemorum duris Æquicula glebis.' *Nersas* a nemine alio memoratas vidi. *Ufentis* nomen ab amne, qui per Volscorum fines juxta Tarracinam mare inferum intrat, ductum videtur. Fluvium eodem nomine in Æquiculis fuisse, tradit Pompon.

750. *Marruvia de gente.* Varia sunt veterum et recentiorum commenta. Res ita in ordinem redigenda. Videntur *Marsi* ab initio fuisse *Marri,* unde urbs eorum *Marrubium.* Tradit quoque gentis et nominis auctorem Marrum Silius VIII, 507 sq. Sed pro more, quem toties attigimus, etiam Marsis e Græca fabula originem circumspexerunt Romani scriptores, partim a Marsya, Phryge, partim a Marso, Circes et Ulyssis filio: in quod commentum ut inciderent, locum fecit partim fama vetus de Marsorum veneficiis, partim promontorium Circæum, quod Circe insedisse narrata fuit. Ejus soror *Anguitia,* cujus nemus paulo post v. 759 occurrit. Uti autem Circe veneficiis celebrata fuit, ita Marsi nobiles serpentum incantationibus: vid. Plin. VII, 2. XXV, 1 s. 5. Silius VIII, 497 seqq. conf. Cluver., ubi de Marsis pag. 759. Incredibilis est superstitiosæ credulitatis veterum circa venena eorumque medicamina varietas. Videat aliquis vel Indicem Plinii in *Venenorum Medelis.* *Archippi* regis nomen poëta ex historiis accepit. Plin. III, 12 'Gellianus auctor est, lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippe, conditum a Marsya, duce Lydorum.' Similia Solin. c. 2 pr.

761. Inter urbes Italiæ, quibus Græca origo tributa fuit, *Aricia* quoque est, Latii haud ignobile oppidum. In proxi-

Digitized by Google

mo nemore Diana peregrino more fuit culta: cum sacris præesset fugitivus servus, cui gladio depugnandum erat adversus quemcumque alium servum, qui ei victo in sacerdotium succedere poterat; ἀγῶνα μονομαχίας appellat Paus. II, 27, p. 173. Videtur religio ludos gladiatorios constituisse, sed inter fugitivos, ut victor pro rege Nemorali esset. Quæ religio cum Scythicum ritum referre videretur, narrari vulgo cœptum, Scythicæ Dianæ simulacrum ab Oreste de Taurica deportatum in eo loco esse consecratum. Vid. Solin. 2 pag. 13 c, et alios apud Cluverium pag. 921 seqq. conf. sup. Tom. I Vit. Virgil. §. 85. Egit de Aricia diligenter post Cluverium Vulpius Vet. Latii lib. XIII, Tom. VII, pag. 179 seqq. In eodem Dianæ templo heros indigena Virbius (a quo et collis Virbius nomen duxit, de quo v. Capmartin de Chaupy Maison de Campagne d'Horace, Tom. II, pag. 117 seqq.) domestica religione cultus fuisse videtur, quem ex aliqua seu formæ et attributorum seu forte fabularum similitudine Hippolytum seriores interpretati sunt: nisi ad commentum illud nomen Virbii, *bis viri*, παλιμβίου, ritusque religiosus arcendi equos a luco (v. inf. 778) duxit: ut veteris cladis memoriam renovari heroi nollent. Addita hinc narratio de Hippolyto e mortuis reducto et in nemus Aricinum a Diana abducto: v. Ovid. Met. XV, 532 seqq. Eam fabulam Aricinorum domesticam fuisse, ex Pausania intelligitur lib. II, c. 27. Nunc poëta Ariciam nympham facit (quod magis placet, quam ut Aricia urbs sit, etsi sic lib. X, 172 'Populonia mater'), quæ ex Hippolyto peperit Virbium. Multis modis tractata est fabula ab aliis: unde diversæ illæ Grammaticorum rationes.

783 seqq. De *Turno* ejusque origine dictum est Excursu VII. Tribuit ei poëta v. 793 seqq. regnum in *Rutulos*, quorum caput Ardea. Accensi hi Latinis; etsi interdum de iis ita traditur, ut eos aliunde immigrasse putes: nisi hoc ad Daunum tantum spectat, Turni patrem, qui cum Daunii terram insedisse videtur. Saltem XII, 22 'Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta Multa manu.' In Excerptis Appiani lib. I *Rutuli Tyrrheni* memorantur; sed

Digitized by Google

vitiose; quod etiam monuit nuper cl. Editor. Copiis a Turno adductis accenset poëta etiam *Auruncos*, cis Lirim scilicet habitantes, aliosque a Tiberi inde ad Ufentem usque incolentes populos: quos tamen nunc sub imperio habere videri debet, quoniam Latini, bellum recusantis, partes et munia ipse susceperat: conf. inf. not. ad XI, 317. Et inter hos quidem *Sicani* ad Tiberim videntur a poëta collocari lib. XI, 317 in finibus Rutulorum: seu quod poëta Sicanos pro Siculis posuit. Conf. Excurs. II ad VIII, 314. 328; seu quod alios auctores, qui nunc interiere, secutus est. Inter populos quoque Latinos memorat *Sicanos* Plinius III, 9. Forte fuere ex priscorum Sicanorum reliquiis, qui hic priscas sedes retinuerant. *Sacranæ acies* pro Ardeatibus dictæ videntur, quoniam sacra magnæ Deum Matris a Sacranis suscepta habebant. Certe hoc *Sacranorum* nomine Sacerdotum fuit collegium in ea urbe, qui Matris magnæ Deum sacra curarent. Marmora bina in eam rem jam laudavit Burmannus e Gudio pag. XX, 8. 9. Vide eadem illustrata a Vulpio Tom. V vet. Latii pag. 209 sqq. Festi locum jam laudarunt intpp. 'Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex septimontio Ligures Siculosque exegerunt: nam vere sacro orti erant;' ex quo loco Serviana lacinia petita ad Æn. XI, 317 f. 'Illi' (Siculi) 'a Liguribus pulsi sunt, Ligures a Sacranis; Sacrani ab Aboriginibus.' Si tamen Silii versum recordamur VIII, 417 'magnæque Reate dicatum Cœlicolum Matri,' ad ver sacrum ne recurrendum quidem esse videtur. Servius: 'Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam, et tenuisse loca quæ nunc urbi vicina sunt: et ex eo populos ducentes originem *Sacranos* esse appellatos; nam sacrati sunt matri Deum Corybantes.' Sunt hæc commentis similiora: ad sacra tamen Cybeles nomen *Sacranorum* ea ipsa referunt. Propius ad Festum spectant ea, quæ sequuntur in Servio: 'Alii *Sacranas acies* Ardeatium volunt, qui aliquando, cum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt' (immo: quos parentes—voverunt), 'unde *Sacrani* dicti sunt.' Julius Sabinus Silii verba eo trahit (lib. VIII, 359) 'Sacra manus Rutuli.' *Labici*, pro oppido Labico,

Digitized by Google

seu pro oppidanis Labicanis, quod *picta scuta* habent, non apparet, poëtæne ingenio an veteri famæ debeatur. Ager Labicanus contiguus fuit Algidensi, Gabino, Tusculano, ac Prænestino. Labici situm non longe ab oppidulo La Colonna Holstenius constituit, melius quam Cluverius in agro oppidi Zagarolo: ut docet Vulpius in Vet. Latio Tom. VIII, p. 286 sqq. (lib. XV, cap. 5). Erat autem inter Latii oppida antiquissima, Albanorum colonia eo deducta. Quæ Servius ad h. l. habet, inepti Grammatici commenta sunt. *Numici sacrum Littus:* de hoc vid. sup. Excurs. III ad h. lib. Reliqua in Notis ad e. l. persecuti sumus.

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. VIII.

EVANDER ARCAS, EJUSQUE SEDES IN MONTE PALATINO.

LIB. VIII, 51 sqq. 'Arcades his oris, genus a Pallante profectum, Qui regem Evandrum comites' etc. Evander inter fabulosos heroës est, de quibus tamen certior et liquidior aliqua fama erat: nec dubitare licet eum auctorem fuisse coloniæ Pelasgicæ ex Arcadia in Italiam seu casu seu consilio profectæ. Ut enim superioribus sæculis in Americam, sic Græciæ prisci incolæ migrabant in Italiam, terrarum notarum tum extremam. A gente, quæ humanitatis cultum aliquem haberet, ad rudem et incultam eum venisse, ex eo intelligitur, quod litteras secum attulisse ferebatur; cf. Liv. I, 7. Musicam, artes et vitæ humanioris instituta alia addit Dionys. I, 33. Forte tamen hæc omnia ad sola carmina seu vaticinia rediere; nam vaticinandi artem idem intulisse memoratus est: etsi nec ignotam Italiæ, nec barbaris ac rudibus populis adeo insolentem: sed tractus ille,

Digitized by Google

ad quem accessit, circa Tiberim, a feris hominibus per sylvas errantibus tum habitatus esse narratur. Vaticinia seu carmina ad *matrem* ejus inter vates habitam referri solebant; erat ea incerto nomine, nam, quæ vulgo feruntur nomina, ab arte petita sunt; ut *Carmentis*, puto a *Carmens*, et *Carmentæ* et *Themidis*, forte et *Nicostratæ*; uti comites ei additæ *Porrima* et *Postuorta*, quia vatibus et præterita et futura sunt nota: Serv. ad VIII, 336. Nympham quoque eam ediderant nonnulli, unde et pater Evandro *Mercurius* datus fuit a poëtis, quem scriptores *Echemum* Arcadem consignarunt. Poëta noster hinc ingeniose *cognationem* elicuit aliam cum *Atridis* v. 130, aliam cum *Ænea* 134. Cum Atridis quidem hoc modo: Ex Sterope, Atlantis filia, Œnomaus, Elidis rex, susceperat Hippodamiam, Pelopi nuptam, a quo Atridæ oriundi. Steropes soror erat Maia, Mercurii mater, quem Evandri patrem celebrabant Arcades. Fuit etiam Tyndarei genus a Taygete, tertia Atlantidum, ductum. Conf. Apollod. III, 14, 3. 4. 5. Altera ex parte Echemus Timandram duxerat, Clytæmnestræ et Helenæ sororem, quibus Atridæ juncti erant matrimonio. Conf. Serv. et Pompon. Sab. Sufficit, vaticinia per Italiam habita fuisse antiquissima, ad eam referri solita; id quod ad priscæ Italiæ statum et indolem declarandam valet. Illud tamen dubito, a Romanisne narratio de Evandro venerit, an, quod magis fit probabile, a Græcis: ut adeo et hæc ipsa forte inter Græcas Italicæ historiæ interpolationes referenda esse videatur. Certe his deberi videntur, quæ de Evandri origine Arcadica narrata sunt, et de causis profectionis susceptæ: vid. Dionys. I, 31 seqq. Strabo V, pag. 352. Paus. VIII, 43; adde 44 med. Sext. Aurel. Victor O. G. R. 5.

Pallanteum, mox *Palantium* et *Palatium*, Evander condidit, oppidum, ut tum res erant, seu arcem in monte Palatino inde dicto. Nomen a proavo Pallante ducit poëta VIII, 54 'Pallantis proavi de nomine Pallanteum:' qui inter majores Evandri a Pelasgo genus ducentis non occurrit. Potest hoc poëta de suo finxisse, uti Evandri filio idem nomen indidit, potuit et alium auctorem sequi. Nam Pa-

Digitized by Google

lantem inter Lycaonis filios ediderat Hesiodus, apud Steph. Byz. in *Παλάντιον*. Alias etymologias, multo minus probandas, habet Varro L. L. IV, p. 16. Dordr. Solin. cap. 1, pag. 2 B, ubi vid. Salmas. pag. 10. Festus in voc. *Palatium*. Serv. ad Æn. VII, 51. A Palantio, Arcadica urbe, nomen melius deduxit Dionys. l. c. qui idem cap. 32 etymologiam aliam, sed quam ipse improbat, ab Herculis et Laviniæ, Evandri filiæ, prole, Pallante, ex Polybio memorat. Sed prior fama vero magis consentanea, etiam Antonino Pio probata; namque is urbem Arcadiæ Pallantium ex pago fecit, et in originis memoriam libertatem cum immunitate a tributis tribuit. Pausan. VIII, 43. Habitus fuit *Evander* a Romanis inter heroës Indigetes: ejus aram sub Aventino Dionysius viderat, ibid. cap. 32. Paulo notior est *Carmentæ* ara, quæ sub Capitolio fuit juxta portam Carmentalem: vid. Dionys. ibid. Solin. 1. *Lupercalium* religio ad Arcades hos cum Evandro Palantium insidentes vulgo referri solita fuit; alia sacra et instituta græca ab eodem profecta recitat Dionys. I, 33.

De *tempore* accessus Evandri ad Italiam satis inter scriptores convenit, factum eum esse LX annos, adeoque altera ætate, ante Trojam captam, sub Fauno Latinorum rege. Ornarunt fabulam de Evandro egregie poëtæ; præter Virgilium Ovid. Fast. I, 469 seqq., faciem autem locorum, quæ Evander tenuit, Propert. IV, Eleg. 1, quæ una ex nobilissimis est: cum qua comparanda est Tibulli lib. II Eleg. 5.

EXCURSUS II.

DE PRISCIS ITALIÆ INCOLIS ET NOMINIBUS.

VIII, 314—329 ‘ Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant—Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo, Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademtis. Is genus in-

Digitized by Google

docile ac dispersum montibus altis Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris. Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt Sæcula —Deterior donec paulatim ac decolor ætas Et belli rabies et amor successit habendi. Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ; Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.' Locus clarissimus, cujus etiam in historicis auctoritas esse solet; illustratus quoque a Sext. Aurel. Vict. O. G. R. 3. Videamus itaque paulo curiosius, quæ a poëta in eo tradantur.

Antequam Saturnus; sive verum id, seu, quod probabilius fit, symbolicum est nomen, sationis forte ac melioris vitæ cultus; in eam terram, quæ mox Latii nomen obtinuit, veniret, vasta sylvarum solitudo, lacus et aquarum colluvies, passim ignes subterranei, late omnia tenebant, nec homines in iis, nisi rari et palantes ac feri. Sallustius in Catil. cap. 6 'Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.' Aborigines hos fuisse manifestum est, non quasi hoc hominum vel gentis nomen proprium sit habendum; sed communi hoc verbo appellati sunt a scriptoribus primi illi homines ignotæ quidem originis, ad Ausonium tamen nomen ac genus, ut probabile fit (vid. sup. Excurs. IV lib. VII), referendi, qui ab origine incoluere loca citra Tiberim. *Βορεαγόνους* interpretatus est Lycophron v. 1253. Cum temporis successu mores legesque illi accepere advenarum opera. Eas Pelasgos primos Dionysius, Trojanos Sallustius, intulisse aiunt; sed communiore fama, victum primi homines in his locis cultumque meliorem a *Saturno* auctore accepisse traduntur, in cujus personam Romani transtulere aureum sæculum et alia plura, quæ Græcorum *Κρόνος* hominum animis subjiciebat, cum semel utrumque esse eundem putarent, non meliore jure, quam cum Pœnorum Baal vel Molochus pro Saturno habitus est. Ab hoc Saturni profugi et latentis in his terris adventu *Latii* nomen repetit poëta, communi popularium errore ex inepta etymologia: vid. sup. Excurs. IV ad lib. VII. In partem beneficii cultus melioris allati advocatur ab aliis

Digitized by Google

Janus, qui Saturnum hospitio excepisse dicitur: conf. Macrob. Sat. I, 7. Cum semel *aurea ætas* in Saturni ævum esset rejecta, etiam ferream ætatem ab ejus excessu successisse probabile videri debuit. Itaque poëta v. 326 'Deterior donec paulatim ac decolor ætas Et belli rabies et amor successit habendi.' Et ad has temporum vices præclare refert poëta varias fortunas, quibus partes hæ Italiæ fuere jactatæ. Ad historicam tamen subtilitatem parum accommodate dixisse videri debet: 'Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ.' Nam *Sicani*, etsi poëta eos aliis quoque locis (VII, 795 et XI, 317) nominat, nullas in Italia sedes habuere, sed ex Hispania a Liguribus pulsi in Siciliam trajecerunt, ubi temporis successu Siculos nacti sunt accolas, qui ex Italia profugerant. Pro *Siculis* itaque, seu, ut equidem mihi persuadeo, quod auctores haberet qui ita traderent, seu, quod Servius statuisse videtur ad XI, 317, poëticum morem secutus, Sicanos dixit Maro, ut jam Cluverio observatum lib. III, c. I, p. 788, etsi etiam alii scriptores eundem errorem admiserunt, v. c. Gell. I, 10, cum Macrob. I Sat. 5. Maronis exemplo *Sicanos* Rutulis socios adjecit lib. VIII, 358 Silius. Tenuerant autem Siculi loca inter Tiberim et Lirim (cf. Dionys. I, 9 et al. Inprimis id testatur vetus oraculum Pelasgis datum: *Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατούρνιον αἶαν, ἠδ' Ἀβοριγινίων*, sive vere antiquum illud fuit, sive serius fictum). Sane alii Siculos ad inferiorem Italiam et ad sedes Œnotriorum revocant, quibus relictis illi in Siciliam trajecisse narrantur: et habet utique hoc probabilitatem ex eo, quod e propioribus locis facilior esse debuit trajectus in insulam, quam ex locis circa Tiberim. Enimvero non nisi incerta de his fama ex antiquitate superfuit, quam ad certam aliquam probabilitatem refingere studuerunt scriptores, pro suo quisque ingenio ac sensu. Modi autem erant plures, quibus fama illa vetus digeri et constitui posset. Itaque alii, ut Antiochus Syracusanus et Thucydides (Polybium quoque in ea sententia fuisse apparet ex iis quæ de Locris narrat Excerpt. lib. XII, T. III, p. 328), in extrema Italia Siculos fuisse aiunt, qui Opicis

Digitized by Google

cesserint; pro Siculis alii laudant Elymos, Ausones, vel Ligures; alii ex media Italia arcessivere Siculos; ex suis sedibus ab Aboriginibus et Pelasgis exturbatos, et usque ad Rhegium per tot barbaras gentes erroribus actos: vid. Excurs. IV ad lib. VII pr. *Veteres Sicanos* inter adductas a Turno copias recitat poëta lib. VII, 795, adeoque reliquias Siculorum (quos Sicanos appellat) etiamnum, Æneæ ætate, in Italia superfuisse necesse est. Licuit poëtæ ita opinari; etsi antiquissimorum scriptorum auctoritate apud Dionysium binis trinisve ante bellum Trojanum ætatibus tota Italia cessisse narrantur Siculi. At illud alterum magis probabiliter factum, quod XI, 316—319 agrum Latinum ad Tiberim 'fines super usque Sicanos,' h. usque ad Siculorum confinia, *ab Auruncis Rutulisque* coli ait. Potuerunt enim fines Siculorum etiam iis expulsis memoria hominum frequentari. Disjungit porro poëta *Ausones* ab *Aboriginibus*, h. ab iis hominibus feris et sylvestribus, qui primi Italiam coluerunt. Seriores enim, et aurea jam ætate Saturnoque rege sublato, eos Italiam ingressos dicit v. 328 'Tum manus Ausonia.' Potuit et hoc, tanquam poëta, ponere, etiam cum ratione aliqua. Etsi enim communi stirpe procederent et vetus illud ferorum hominum genus et aliæ gentes Ausoniæ, tamen suis nominibus discretæ erant; adeoque mitius ac mansuetius genus per Ausonium nomen declarare licuit. Domestica autem fuisse et civilia bella inter varias gentes Ausoniæ stirpis, adeoque etiam Aborigines bello vexatos esse a ceteris populis communi cum iisdem genere ortis, satis probabile videtur.

Tandem poëta subjicit: 'Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.' Attigi hæc jam supra Exc. XXI, ad lib. I. Declaranda nunc res est paulo uberius, et videndum, an certa sint principia, causæ, ac rationes, ad quas revocari possit. Varia utique Italiæ nomina tradita sunt; si tamen rem paulo accuratius inspicias, parum subtiliter. Omnino frustra hoc expectatur, ut magni terrarum tractus sub uno nomine veniant, antequam sub communem imperii ac regni compagem venerint. Orbis vero terrarum partes nomine

Digitized by Google

proprio designari vix potuerunt ante Geographorum studia. Primis temporibus, ut quæque gens per stirpes aut per familias sedes sibi proprias cepisset, ita singularum stirpium aut familiarum nomina frequentabantur, neque earum in unum collectarum, aut communis stirpis, sedis, ac loci, nomen in notitiam venire potuit, nisi apud alios homines, qui novos advenas certo nomine declarare vellent. Non igitur nisi necessitate suborta, ut alter populus ab altero discerni posset, nomina generica reperta esse probabile fit. Locorum autem ac terrarum nomina, non nisi ab exteris, qui eas terras adeunt, aut a vicinis populis, in quorum finibus consederunt advenæ, imponi solent. Nomina itaque populorum et terrarum per commercia hominum ortum et causas habent; autochthones, seu primi incolæ, nomina vix creant aut curant. Secundum hæc, tractum illum ab Alpibus ad fretum Siculum porrectum nomine aliquo proprio antiquis temporibus innotuisse frustra sumitur. Sed tractus hujus, ut in aliis terris factum, eæ partes, quæ primæ inter reliquas a cultioribus populis, Græciæ inprimis, frequentari cœperant, primæ quoque nomine aliquo insignitæ sunt; non tam eo, quo indigenæ ad suam stirpem aut suas sedes declarandas inter se utebantur, quam plerumque novo ab advenis his vel mercatoribus invento, et fere ab attributo aliquo locorum vel populi, vel a casu vel a primo terræ aditu, urbe, promontorio, a nova re, quam vident, accipiunt, petito, interdum etiam ex voce aliqua indigenarum accepta et ad suos sonos deflexa. De talibus itaque populorum aut terrarum nominibus docte quidem multa aliquis argutari potest, sed plerumque inaniter; multo magis si Phœnicia nomina expiscari et enodare volumus; quo quidem genere nihil vidi, quod magis esset lubricum. Multo magis desideres judicium severius, si nomina a poëtis adhiberi solita inter nomina populorum ac terrarum propria referunt viri docti: quippe quæ creata sunt ab ipsis poëtis novitatis, varietatis, doctrinæ aut copiæ ostentandæ causa. Quid quod nec nominibus ab historicis prodi solitis multum est tribuendum: quippe quæ a primis auctoribus annalium,

Digitized by Google

parum subtilibus ac doctis, accepta propagari solent usu, et, etiamsi, re diligentius explorata, falsa sint, antiqua tamen superstitione aut vanæ opinionis auctoritate, retinentur: ut factum videbimus in Tyrrhenis.

Nomina varia, quæ Italiæ olim indita memorantur, principio ad singulos tantum diversis in partibus tractus et agros spectasse probabile fit, quos quidem Græci primum adierunt vel coloniis frequentarunt. Commune nomen ne Scylacis quidem ævo frequentatum fuit; nam is in Periplo Ligures, Tyrrhenos, Latinos, Volscos, Campanos, Samnites, Lucanos, Iapyges, Daunitas, Umbros, Tyrrhenos ad Adriam memorat; nullam Italiam meminit. *Dauniæ* nomen, quo Græci poëtæ, et eorum exemplo Horatius, totam Italiam designant, poëta noster simili usu non commemoravit; at Lycophron v. 1254 Romam conditam ait *ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' οἰκισμένην*. Quam omnium primam adierunt Pelasgi et Græci, *Italiæ* fuit *ora inferior*. In hac quoque parte Italiæ nomen primum auditum, et quidem a Græcis illud impositum ex causa incerta; eidem soli tractui per multum tempus nomen adhæsit, donec ad vicinas alias aliasque terras proferretur. *Œnotriam*, si proprie dicas, ad sola loca sinui Lametico adjacentia esse revocandam, et *Italiam* mox in ejus nominis vicem successisse, alio loco vidimus: vid. Excurs. XXI ad lib. I; adde Thucyd. VI, 2. Aristot. de rep. VII, 10. Italiæ nomen adhuc ab Herodoto ad inferiorem partem revocatur; reliqua per Tyrrheniam declarantur (lib. I, 167), quam antea Umbri tenebant (I, 98). At Aristoteles (eod. c. 10, lib. VII, p. 584 A) *τὸ μὲν πρὸς Τυρρηνίαν* et *τὸ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον* cum Œnotria seu Italia proprie dicta, tanquam partes constituit, in quarum priore Ausones seu Opicos, in altera Chones, qui ex Œnotriis oriundi loca circa Sirin occuparant, in postrema Œnotros collocat. Scymnus Chius, qui sub Attalo II vixit, in Periegesi sua, antiquiores potius quam sui temporis rationem secutus, post Ligures, Pelasgos cum Tyrrhenis, Umbros, Ausones, Samnites, Lucanos, Campanos, Œnotrios enumerat: 218 sq. Omnem Italiam mediam aut oram

Digitized by Google

Adriatici maris per Umbriam declarasse videntur interdum antiquiores, ut in illis, quæ de Umbrorum luxu narrantur ibid. v. 366 sq., quæ alii ad Etruscos retulere. Ita vagatur quoque narratio de fertilitate agri inter Umbros et Adrianos: de Mirab. Audit. 21; nam multo latius olim Umbri habitarunt usque ad terras postea Adrianas dictas. *Ausonia* Ausonum sedes declarare debuit, quæ a Circeiis inde per totum maris inferi littus passim sparsæ fuerunt. Eadem et Ὀπικὴ dicta, quia Opici seu Osci ex Ausonibus fuere, modo confusi cum iis, modo distincti: v. Strab. v, p. 371 A. B, et Aristot. de Rep. VII, 10, p. 581 A. *Hesperia* Græcum nomen est omnium terrarum ab occidente sitarum. *Latio* igitur nulla nominis varietas manet, quam quod *Saturnia* dicta est. Vides jam, quantopere poëtæ sermo ab historici subtilitate discrepet.

Nomen autem *terræ Saturniæ* proprie ad locum aliquem circa Tiberim, saltem ad clivum mox Capitolinum dictum pertinuit, qui ab initio *Saturnius* appellatus est (v. Dionys. I, 34. Varro L. L. IV, 7; adde Aurel. Vict. O. G. R. 3, ubi v. Annam et Arnzen.). In eo consedisse dicti sunt socii Herculis ex Iberia reducis; uti alterum montem Palatinum tenuere Evandri socii et comites ex Arcadia: cf. Macrob. I Sat. 7, p. 239 ed. Lips.; inde vicina regio Saturnia; ἡ Σατουρνία jam in oraculo Dodonæ Pelasgis dato memoratur: v. Dionys. I, 34 (p. 27). 38 (p. 30): cf. Justin. XLIII, 1; add. alios ap. Cerdam ad VIII, 358. Quando autem tota Italia eo nomine declaratur, ad poëtarum hoc morem referendum erat, non, ut Dionysius aliique faciunt, historicis rerum argumentis annumerandum. Virgilius itaque praeclare VIII, 357. 358 de duobus montibus Janiculo et Capitolino: 'Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem. Janiculum huic, illi fuerat *Saturnia* nomen.'

Digitized by Google

EXCURSUS III.

SUPER ETRUSCIS ET MEZENTIO.

VIII, 478 sqq. 'Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto Urbis Agyllinæ sedes; ubi Lydia quondam Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis. Hanc multos florentem annos rex deinde superbo Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.'

Si quid de suo fingere recte potuit poëta, erat hæc Etruscorum cum Trojanis societas, cum semel populos citra Tiberim Latinis et Rutulis socios addidisset. Etruscis autem antiquitas stirpis et imperii tribui solet ea, quæ non improbabile faciat, jam Trojanis temporibus eos opibus et copiis satis valuisse. Erat præterea antiqua illa utriusque populi consanguinitas, quam sup. Exc. VI ad lib. III vidimus, cum Dardanus originem ex Corytho Etruriæ duxisse ferretur. Habuit tamen et hic poëta famæ veterumque fabularum auctoritatem, quam sequeretur; eamque ita secutus est, ut nulla in re ab eo deflecteret, quod constante fide traditum acceperat. Scilicet Etruscos, Mezentiumque eorum regem, seu verius Lucumonem (στρατηγὸν Plutarchus appellat Qu. Rom. pag. 275 D. ed. Frf.), cum Latino et Turno Trojanis advenis arma infesta intulisse, constans erat accepta a majoribus fama, etsi diversis modis narrata. Alii victum Turnum Etruscorum auxilia implorasse tradiderant, quos Livius I, 2 sequi maluit: alii Turno jam occiso Etruscos adversus Trojanos arma sumsisse; factum esse hoc, cum Æneas aliquot jam annos regnum Latinorum tenuisset; commissam pugnam sub Lavinii mœnibus, Æneaque in Numicio submerso urbem obsessam tandemque Ascanii consilio et virtute liberatam; Lausum cæsum patremque Mezentium in Etruriam dimissum. Ita rem exposuerant L. Cæsar et A. Postumius in libro de adventu Æneæ,

Digitized by Google

laudati ab auctore de Orig. Gent. Rom. cap. 14. 15. Eosdem aut alios auctores, nam Catonem potissimum sequitur, idem tradentes expressit Dionys. Halic. I, 64. 65. Nec discrepant Justin. XLIII, 1 f., Festus in voc. *Oscillum* ex Cornificio, et Servius ex Catone, ad Æn. I, 271. IV, 620. At poëta aut diversos auctores habuit, aut eo fabulam deflexit, ut Mezentius a suis civibus regno dejectus ad Turnum confugeret lib. VIII, 489 sqq.

Inter hæc tenendum est id, in quo plerique consentiunt, *Mezentium* fuisse *Agyllæ* seu *Cæretanorum* regem; ut felix poëta etiam in hac argumenti parte fuerit, ut probabilia, quæ sequeretur, in manibus haberet, non ei comminiscenda essent. Convenit enim hoc cum reliqua historiarum fide, primos opibus inter Etruscos floruisse, saltem exteris innotuisse Agyllæos, maritimis copiis, et navigationis commerciis, insigniter auctos. *Hanc* (Agyllam) *multos florentem annos* appellat Maro VIII, 481. Vide Dionys. lib. III, 58. Strabon. V, 337. Hinc quoque Agylla ex omni Etruria una nota fuit Græcis: et Lycophron v. 1353 totam terram ab hac urbe designat. Fuere porro Cæretani ex iis Etruscis urbibus, quæ vestigia Pelasgici moris plurima et clariora retinuerant. Itaque bene lib. VIII, 600. 602 apud eos *Pelasgi veteres* sacrum constituisse memorantur Sylvano, antiquo numini, quod Pana aut aliud simile numen referebat.

Illud vero mirari soleo, unde ex hoc prisco tempore res tam exiles et parum memorabiles acceperint veteres scriptores, quale hoc est, quod Plinius lib. XIV, s. 14 habet: ‘M. Varro auctor est Mezentium, Etruriæ regem, auxilium Rutulis contra Latinos tulisse, *vini mercede*, quod tum *in Latino agro* fuisset.’ Varie, ut in tanta rerum antiquitate, traditum fuit hoc idem. Nam L. Cæsar et A. Postumius supra laudati inter conditiones, quibus in deditionem accipere vellet Latinos Lavinii obsessos Mezentius, memoraverant hanc, ‘ut omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur.’ At Ascanii consilio et auctoritate,—‘vino ex omni vindemia Jovi publice voto consecratoque,’ Latini urbe eruperunt, fusoque præsidio interfectoque Lauso, Me-

Digitized by Google

zentium fugam facere coëgerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetravit. Ita Victor O. G. R. 15 et similia apud Dionys. I, 65. Etiam Plutarch. Qu. Rom. p. 275 D. ed. Fr. rei tanquam vulgo narratæ meminit, sed sic ut ad Æneam transferat, quæ alii de Ascanio narrarunt. *Rustica vinalia* a Romanis in hujus rei memoriam (XII Kal. Maii) fuisse instituta Festus notavit, Anna Fabri ad e. l. observante. Quæ res saltem hoc docet, antiquam satis et a majoribus acceptam ejus rei famam apud Romanos fuisse; veritate enim et historiæ fide hujusmodi narrationes non nituntur. Etiam de ejus festi origine varia fuit inter Romanos narratio: v. Varr. de L. L. V, p. 48 ed. Dordr. et ipsum Festum e. l. Exornavit narrationem suo more Ovidius Fast. IV, 877 sqq., ut tamen Varronem potissimum ante oculos habuisse videatur.

Quæri nunc potest, quid Virgilium adduxerit, ut Mezentio tam atrocem personam indueret, eumque *Deum contemtorem et sacrilegum* exhiberet. Poëtæ ingenium quo tramite progressum sit, facile ex modo memorata narratione intelligi potest, et a Macrobio quoque explicatum satis est Sat. III, 5 'Sed veram hujus contumacissimi nominis' (quod contemtor Divum dictus est) 'causam in primo libro Origg. Catonis diligens lector inveniet. Ait enim Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant: et Latinos omnes, similis imperii metu, ita vocasse' (l. vovisse): 'Jupiter, si tibi magis cordi est, nos ea tibi dare potius, quam Mezentio: ut ei nos victores facias! Ergo quod divinos honores sibi exegerat, merito dictus est a Virgilio contemtor Deorum.' Cum impietatis nota, inussit deinde poëta sævitiæ omnisque crudelitatis infamiam, ut et viva corpora alligaret cadaveribus. V. lib. VIII, 483 sqq. Hoc postremum ex antiquis Tuscorum fabulis mutuare potuit. Nam Servius ibi ad 479. 485 ex Ciceronis Hortensio memorat Tyrrhenos diu piraticam exercuisse, 'cum captivos novis pœnis affligerent, occisorum eos religantes cadaveribus.' Locus ex Hortensio, quod Cerda quoque notavit, servatus est ab Augustino contra

Digitized by Google

Julian. Pelag. lib. IV, 78. Hinc ea immanitas tributa est Etruscis a nonnullis, ut a Valer. Max. IX, 2, exter. 10, ut eos 'vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata atque astricta—tabescere simul' passos esse narrarent.

Priscas fabulas non modo, verum etiam Catonis plerorumque Romanorum miros errores super originibus Italiæ a Græcis repetendis, poëtam in rem suam ingeniose vertere passim vidimus. Alius fuit communis Romanorum, a Græcis acceptus error, ut Etruscos, Græcis Tyrrhenos dictos, e Lydia repeterent. Errorem dixi, cujus causas alio loco exposui (Nov. Commentar. Soc. Gotting. Tom. III, Parte histor. pag. 36 sqq. in Comment. de fabb. relig. Græc. ab Etrusca arte frequentat.): inter quas præcipua fuisse videtur ipsa nominis antiqui Rasenarum vel Turasenarum, depravatio per Græcos in vocem *Τυρσηνῶν*, *Τυῤῥηνῶν*, quod modo a *τύρσεσι* turribus ducebant, modo a Tyrrheno aliquo, qui coloniæ auctor fuisset. Jam in priscis Lydorum fabulis occurrebat Tyrrhenus Atyos filius et Manis nepos; hunc itaque Tyrrhenis seu Etruscis nomen impertiisse deducta ex Lydia colonia mature traditum fuit a nonnullis, quos Herodotus sequitur lib. I, 94, et ex eo Strabo V, p. 335. 336, et Dionys. I, 27. Vellei. I, 1, 4. Tacit. Ann. IV, 55, inprimis Lycophr. 1351. 1359. Dionysius et illud addit, variasse alios et tempora et homines, et vero etiam sapienter monet: a Xantho Lydo, qui patriam historiam conscripserat, a quo adeo unice hac in re standum erat, nec Tyrrhenum usquam memorari, nec Mæonum coloniam in Italiam deductam: Atyos vero filios Lydum et *Torrhebum*, vel forte *Tyrrhebum*, depravata forte scriptura, quam aliquis in vetere Xanthi codice offenderat, *Τύῤῥηβον* vel *Τόῤῥηβον* pro *Τύῤῥηνον*. Ex prisca Pelasgorum stirpe populum fuisse Tyrrhenos, qui usque ad seriora tempora Lemnum, Imbrum aliaque vicina continentis quoque loca insederant, dubitari nequit. Etiam hos ad Tyrrhenos Italiæ retulerunt scriptores, nominis similitudine decepti, sed Dionys. I, 25 eam rationem iniit, ut eos ex iis ipsis Pelasgis fuisse diceret, qui Italiam insederant antiquitus moxque in communi gentis clade inde

Digitized by Google

discesserant: accepisse nomen, quod in Tyrrhenorum finibus consederant. Verum hæc Dionysii conjectatio, non narratio antiqui scriptoris fide accepta, est, quæ adeo pro fundo historiæ a viris doctis haberi non debebat, uti multa alia, quæ in hoc primo libro Dionysius manifeste *non ut narrata* verum *opinata* apponit. Myrsilus Lesbius et ipse Tyrrhenos Italia relicta erroribus jactatos tradiderat (apud Dionys. I, 28), sed ineptam narrationem de suo assuit, ab his ipsis erroribus eos tum *Πελαργοὺς, ciconias*, dici cœpisse. Contra Anticlides, non ignobilis scriptor, Pelasgos, Lemno et Imbro prius constituta, cum Tyrrheno, Atyis f., in Italiam contendisse tradiderat ap. Strab. lib. V, p. 339 A, quæ variæ sunt veterum scriptorum periclitationes in vetere fama cum rerum aliarum rationibus componenda. Hellanicus in Phoronide, antiquissimus scriptor, Pelasgos, postquam in sinum Adriaticum appulsi in interiora Italiæ immigrarant, narraverat Tyrrheniam condidisse (Dionys. I, 28); qui ex parte verum tradidisse videri debet: item Scymnus Chius in Perieg. 218 *Κοινὴν δὲ Τυρρηνοῖσι χώραν νεμόμενοι*: sc. Pelasgi, qui tamen subjicit alia, quæ erronea sunt. Etsi enim, Etruscorum origines ultra Alpes quærendas esse, dubitari vix potest; quod alio quoque loco accurate disputatum est; Pelasgos tamen in has easdem ab occidente Tiberis sitas terras immigrasse, multa arguunt: quos communi gentis nomine fuisse comprehensos nemo mirabitur, ut tamen inde nec contendat quis, Etruscos fuisse Pelasgos. Poëta tamen hæc omnia, etsi subductis accuratius historiæ calculis recte explosa, erudite et sapienter inter ornamenta carminis ascivit. Itaque VIII, 479. 480 de Agylla seu Cære, 'ubi Lydia quondam Gens bello præclara jugis insedit Etruscis.' IX, 11. X, 155 *Lydi* pro Etruscis; et lib. II, 781 *Lydius Tybris* a duce Tyrrheno e Lydorum gente. Et quoniam Mæones veteres Lydiæ coloni fuerunt, hinc Etrusci *Mæonia juventus* VIII, 499. cf. XI, 759. Nova nominis inflexione apud Rutilium Itiner. I, 596 *Tyrrhigenæ* dicti sunt.

Tarcontis seu *Tarchontis* nomen, quo poëta inf. v. 603 Lucumonem Agyllæorum impertiit, non minus ex vetere

Digitized by Google

memoria repetitum est. Fuit enim Tarcon aliquis, qui Tarquinios in Etruria condidisse ferebatur. Eum statim cum Tyrrheno e Lydia in Italiam venisse, Strabo traditum acceperat lib. v, p. 336 A, vulgoque narratum, fuisse eum canum a puero: qua fabula viri sapientiam declarare voluere homines. Repetit eam Eustath. ad Dionys. Perieg. 347 et ad Iliad. B. p. 167, l. 23. Discedit ab his Silius, lib. VIII, 474, a quo 'Cortona superbi Tarcontis domus' edita est: et secundum alios, quos Cato Origg. 1 sequebatur, apud Servium ad lib. x Æn. 179 Pisarum ille conditor habitus est, ab aliis Mantuæ ap. Serv. ad x, 198, quibus saltem hoc constat, fuisse Tarcontem inter auctores populi habitum, multasque ad eum urbes originem retulisse. Aliter ornavit fabulam Lycophron v. 1245. 1249, ubi, præter Ulyssem, *Tarchon* et *Tyrrhenus*, Telephi Mysorum regis filii, occurrunt Æneæ in Italia societatemque cum eo jungunt (qui ibi memoratur οἰκουρὸς θέοινος, Bacchus est: cf. Schol. ad 209, de quo non bene dubitaveram). Totus ille locus a v. 1239 memorabilis est ad declarandas veterum Græcorum de his locis notitias: dicitur Æneam erronem excepisse Tyrrhenia, quo nomine poëta bene Italiam omnino et inprimis loca ad Tiberim declarare potuit, sed, nomine Tyrrheniæ seu Etruriæ semel posito, alia loca ejus maritima recenset, *Lynceum* fluvium, *Pisam et Agyllam*. Cum Lynceum *calidas aquas ebullire* dicat, Cluverius Ital. ant. pag. 472 parvum amnem nunc *Cornia* dictum ad Vetulonios, ultra promontorium Populonium, probabiliter interpretatur Lynceum, quandoquidem ille calidas aquas paludosas transmeat: cf. sup. Exc. I ad lib. VII, p. 515.

Digitized by Google

EXCURSUS IV.

DE ÆNEÆ CLYPEO.

VIII, 625 'clypei non enarrabile textum.' Inventi laudem in splendido hoc loco Virgilio non magis, quam in tot aliis, quæ in Æneide merito miramur, deberi, nota res est. Præiverat Homerus clypeo Achillis Iliad. Σ, et Hesiodus, aut quisquis ille fuit, clypeo Herculis. Sed ingenii vim tanto acriorem adhibuit poëta ornando et expoliendo eo, quod ab aliis jam occupatum fuerat. Atqui nec ea ingenii infima laus est. Quæ autem in hoc episodio inprimis probanda sunt, hæc esse arbitror: primum, quod argumentum elegit argumento et consilio carminis lectorumque Romanorum ingeniis inprimis accommodatum, cum Homerus tantum mirabilia vel aspectu aut varietate grata sectatus esset: fecit id porro summa cum majestate verborum, sententiarum et phantasmatum: consecutus etiam est novas mirationis causas per expositionem rerum futurarum, quarum cognoscendarum animus humanus avidissimus est: cumque adeo res Romanas tanquam vaticinii aliquo genere narraret, ad graviorem spiritum assurgere, res ad miraculum evehere, augere, et amplificare tuto potuit. Sane quidem Æneæ omnia ista, quæ in clypeo expressa videbat, prorsus obscura esse debuerunt; 'rerumque ignarus imagine gaudet;' verum in his lectorum potius voluptati, quam herois personæ, consulere licuit.

Ex *artificii veteris descriptione* passim poëtæ carminum suorum ornamenta petierunt, quo veteres fabulas in eo expressas narrare liceret. Inter varia inventa nullum tamen aliud genus opportunius esse videtur clypeo, si priscum clypeos sculpto opere ornandi morem reputes. Multo minus commode v. c. Apollonius I, 721 sqq. fabulas Jasonis pallæ intextas enarrat, Europæ calatho Moschus Idyll. II, 37 sqq., in veste stragula Catull. LXIV, 50 sqq., in cratere expressas

Digitized by Google

fabulas Met. XIII, 681 et in foribus regiæ Solis lib. II, 5 sqq. Ovidius. In palla Harmoniæ orbem terrarum acu pictum exhibet Nonnus Dionys. XLI, p. 1070, et sic alii alia. Conf. Excurs. IV ad lib. V, ubi add. vestem Sybaritæ in Aristot. Mirab. Audit. c. 99 et ibi not. Non ea in his materia, non is arti exercendæ locus, ut magnam rerum varietatem expressam satis recte commemoret aliquis.

Acumen autem Virgilii in rerum dilectu et summum ornatum cognoscere qui volet, non modo Homericum illum et Hesiodeum clypeum comparet necesse est, verum eos quoque, qui ad ejus exemplum idem argumentum retractare voluerunt: Silium lib. II, 395 sq. Quintum Cal. V pr. Nonnum lib. XXV, p. 664.

Prærepta erant Virgilio, ut in tot aliis, ea, quæ in quaque re, in quoque phantasmate, primus ingenii impetus, ipsa naturæ vis, primo loco offerre solet animo. Hæc occupare liberum erat Homero, tanquam in vacuam possessionem venienti: adeoque eum omnes post se victuros poëtas superare in multis necesse erat, sic ut ipse nunquam ab ipsis vinci posset. Cum tamen exponeret omnia cum simplicitate summa, reliquit hoc ipso ingeniis aliis laudem saltem ex eorum, quæ pertractasset, exornatione et expolitione.

Homericus clypeus haud dubie plus habebat veritatis, majoremque faciebat operis, tam affabre facti, ut Dei manus haberetur, mirationem, quod ad vitæ priscæ morem, sensum, opinionem, quam totum ejus opus spirat, hæc erant narrata. Phantasmata, quæ oculorum animique sensui objicit, ἐνάργειαν habent maximam; sunt grandia, pulchra, suavia. Itaque Miltonus in divino loco de Adami viso ex colle Paradisi lib. XI, 639 Homerum in multis, quam nostrum poëtam, exprimere maluit. In *Virgilio* contra captatam occasionem, imitationis studium, argutias varietatis agnoscas facile. Dum autem artis et ingenii expectationem his ipsis facit, excutit ille animis nostris antiquæ heroum vitæ, in qua versari debebat narratio, morem speciemque, quæ tam jucundum errorem in Homero objicit, ut ea, quæ fabulose tradita, præter rei naturam in ipso clypeo narrata, occurrunt,

Digitized by Google

credi tamen ab iis hominibus et recte credi potuisse arbitremur. Virgilium autem apparet multa non credidisse, quæ alios credere voluit: et hoc voluptatis vim omnem imminuit. Utinam saltem graviorem et probabiliorem *causam* reperisset, cur Æneæ clypeus divina arte factus afferendus erat! Achillis clypeus Patroclo spoliato in Hectoris potestatem venerat: eodem ille mox tectus in pugna muneris præstantiam commendat: Iliad. *τ*, 264 sq. In Æneæ strenue factis clypei præcipuus usus non occurrit nisi forte in pugna cum Turno lib. XII, 739. Desiderare licet pari modo graviorem causam clypei ab Hesiodo tam copiose descripti.

Inferior Homero in hoc Maro est, quod, ut jam a Servio observatum, 'illic singula, dum fiunt, narrantur: hic vero perfecto opere noscuntur. Nam et hic arma prius accepit Æneas quam spectaret; ibi, postquam omnia narrata sunt, sic a Thetide deferuntur ad Achillem.' Quæ his subjicit alia Servius, non probanda censeo: verum, cum ab Homero alteram rationem occupatam videret, quid faceret Maro, nisi, ut, si quid novare volebat, quod utique debebat, ad alteram vel invitus descenderet, narraretque adeo ac potius describeret, quæ jam facta erant. Sed hæc jam veteribus observata, ut in Servio vidimus, docte ac subtiliter exposuit Lessingius in *Laocoonte* p. 184 sqq.

Est tamen aliud non æque observatum, quod tamen magnum inter Homerum et Virgilium et utriusque clypei descriptionem discrimen constituit. Ab Homero argumenta ita descripta sunt, *ut oculorum sensui objecta, et ante oculos posita esse videantur*; at Virgilius aliam viam ingressus *menti et animo*, ea, quæ expressa in clypeo fuerint, *cogitanda, non videnda*, proponit. Nam exorsus erat: 'Illic res Italas fecerat' v. 626 nec vero eas deinceps enarrat, sed potiora tantum nonnulla ex iis attingit, alia disertius quidem exponit, ita tamen, ut in mentem potius revocet, et, quomodo expressa sint aut esse potuerint, judicanda lectori relinquat. Nec nisi in rebus Augusti ad clypei ipsam speciem animum nostrum revocat et anaglyphum opus aliquod describit: 671 'Hæc inter tumidi late maris ibat imago' sqq.

Digitized by Google

Pugnam in clypeo exsculptam Romanus poëta egregie variavit, si cum Homerico et Hesiodeo clypeo compares. Græci poëtæ illo antiquo sermone præclare in hoc usi erant, ut *Ἔριδα, Κῆρα, Φόβον*, in acie constituerent. Reddita hæc ipsa aut similia sculptoris arte fuerunt in Cypseli arca apud Pausaniam, quæ sigillatim olim accuratius a me exposita sunt: Virgilius *pugnam navalem* substituit et ab Apolline Actiaco propria rerum argumenta petivit verss. 677 sqq.

Cum in his Virgilium vel defendam vel excusem: est aliud, quod ab aliis non reprehensum video, ipse ægre fero. In *rerum* scilicet *dilectu*, quas in clypeo exsculptas dedit, certum judicium vix secutus videri potest. Omissis enim multo clarioribus factis intexuit nonnulla, quæ quomodo inter insigniora Romanorum facta vel fata referri potuerint non assequor: ut Meti Fuffetii supplicium, quod quomodo defendam non habeo; etiamsi dixero, Alba diruta Romam insignia consecutam esse incrementa, et fœditatem spectaculi, ad nostrum sensum intolerabilem, asperis et gladiatoriæ pugnæ assuetis Romanorum animis minus displicere potuisse. Religionum majestas excusare forte potest Saliorum tripudia, Lupercorum discursationes, matronarum pompam; in iis tamen nimis presse et anguste Homerum æmulatus esse videtur, qui v. 590 chorum elegantissime effinxerat. Anserem volitantem si omisisset, argumenti majestati ad nostrum sensum melius consuluisset. Intercipitur porro totus argumenti Romani tenor rebus inferis interpositis, etsi video, quid in his sequi potuerit poëta. Voluit forte Catilinæ et Catonis meminisse, quorum alterum in Inferis scelerum pœnas luere par est credere; et oratione docte variata loca commemorat, in quibus illi detinentur. Habet speciem aliquam, nec tamen multum probabilem, hoc, ut dicas, delegisse poëtam ea, quorum illo tempore signa passim et sculpta ære vel marmore opera Romæ cernebantur. De Lupa, de Sabinis raptis, de Coclite, de Cloelia, Manlio, et ansere verum hoc esse forte potest. Fit quoque probabile, fuisse Augusti tropæa in Capitolio, quæ Actiacam pugnam exhiberent.

Digitized by Google

Inserta est Virgilio in Anglicum sermonem a Wartono aliisque converso sub Tom. III finem disputatio elegans Viri docti, W. Whitehead, super hoc clypeo, in quo ille argumenti dilectum et rationem ita tuetur, ut civitatis Romanæ statum et conditionem inde ab origine per singulas ætates, simulque summum opum fastigium, quo ab Augusto illa adducta est, describi dicat; omissis tamen iis, quæ jam alibi poëta attigerat, v. c. Æn. VI, 756 sq. Expressa itaque esse urbis primordia, raptas Sabinas, fœdusque factum, quo Curibus in urbem receptis incrementum jam insignius Roma accepit: mox fœderis rupti pœnam Meti supplicio inflictam: libertatem partam regibus ejectis: bellum Gallicum et Romam reparatam; religiones per Salios, Lupercos, et Matronas declaratas: præmia et pœnas apud Inferos: tandem Actiacam victoriam, qua terrarum orbi pax et tranquillitas parta, receptaque ex fluctibus civilibus civitas mox læte effloruit, Augusto principe: ut illud Propertii lib. III, 11, 50 acclamaretur: 'cape Roma triumphum Et longum Augusto salva precare diem.'

Ingeniosam hanc esse clypei enarrationem non nego: vereor, ne illa sit nimis ingeniosa, nec idoneis rerum argumentis declarata: non enim delectum rerum in clypeo sculptarum ita institutum videmus, ut civitatis Romanæ fata potiora in iis comprehensa sint. Hoc igitur primo loco erat docendum, civitatis Romanæ fortunam per hæc maxime facta et eventa esse constitutam.[1]

NOTA.

[1] Simili fere ratione autumabat vir doctus literis ad me datis *seriem quandam fatorum* in Romanorum *opibus augendis* exhibere voluisse poëtam; 'hoc eum ipsum innuere partim ab initio: v. 626 'Illic res Italas Romanorumque triumphos—illic genus omne futuræ Stirpis ab Ascanio, pugnatsque in ordine bella,' tum in fine 731 'Attollens humero famamque et fata nepotum' (de *serie* tamen nihil in his). Ducta serie a partu gemellorum, sequi incrementa urbis ex novis civibus Sabinis ascriptis v. 635, novos auctus per Albanos Romam traductos (declaratosne per supplicium Meti? 642), redditam inde et firmatam libertatem Porsenna ab urbe depulso 646, et urbem a Gallis liberatam 652. Omissam esse victoriam de Pyrrho et Pœnis, quippe quam jam libro VI Anchises memoraverat (satis obscure). Jam subjici a poëta causas incrementorum tanto-

Digitized by Google

De *artis* respectu judicioque, quod multi in poëta nostro agnoscunt, omnino mihi quidem adhuc parum liquet, nec, si dicendum est quod sentio, magnum aliquod seu picturæ seu sculpturæ studium poëtam nostrum tenuisse arbitror. Nam primum, quæ ille exposuit, nihil tale produnt, et ejusmodi sunt, ut etiam vulgariter quisque artium peritus ea carmine comprehendere possit. Tum vero, ut poëta ab eo consilio longissime abfuit, ut artis subtilitatem sequeretur, ita occurrunt non pauca, 'quæ a sculpturæ natura recedunt,' nec facile nec commode ea arte tractari possunt. Qui mare una cum pugna navali expressum et tamen in eo innatantes delphines reddidit (vss. 671. 674), nae is non adeo magnam graphices peritiam habere potuit. Omnino de arte nec cogitavit Virgilius, nec debuit cogitare, quandoquidem ipse diversum rei consilium exponit: 'illic genus omne futuræ Stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.' Atque ex iis decerpturus nonnulla subjicit: 'Fecerat et viridi' etc. At enim cum Homero certamen iniit, ejusque exemplo plures anaglyphorum areas constituit; hoc sibi propositum habuit primo loco; altero ut Romanis suis placeret. Si artis rationem habere voluisset, non dividere clypeum in tantum parvarum arearum numerum, sed, omissis et abjectis ceteris, revocare omnia ad unum magnum ac nobile argumentum, et aream saltem *una pugna Actiaca* exornare debebat, qui totius clypei haud dubie splendidissimus locus est. Quo facto poëta, censeo, probabilitati non modo artis, verum et poëticæ probabilitati melius consulturus fuisset.

Sunt tamen *nonnulla ad exprimendum artifice manu egregie accommodata,* multisque passim operibus expressa: ut Ro-

NOTA.

rum, pietatem in Deos et cerimoniarum religionem v. 663, secundum illa Horatii III, 6, 5 'Dis te minorem quod geris, imperas.' Quod autem sequitur: 'Di multa neglecti dederunt Hesperiæ mala luctuosæ,' a Virgilio subjungi scelerum in patriam commissorum et natorum inde bellorum civilium declaratione (666 memoratur Catilina in Tartaro, Cato in sedibus piorum). Tandem in Romani imperii majestate ab Augusto vindicata et per terrarum orbem propagata poëtam subsistere.' Sagacitatem et acumen in rerum similium comparatione nemo desideret.

Digitized by Google

mulus et Remus lactentes, raptus Sabinarum, mox bellum et tandem fœdus ictum. Meti Fuffetii supplicium, etsi ad sensum nostrum nimis fœdum et aversandum, ut jam diximus, duris Romanorum ingeniis forte minus displicuit. Urbs a Porsenna obsessa, revulsus ab Horatio Coclite pons, Capitolium a Gallis obsessum, et a Manlio propugnatum; Saliorum saltatio, Lupercorum discursus, matronarum invectio: sunt hæc talia, quæ opere exsculpto expressa placere potuerunt.

Enimvero, dices, sunt *alia, quæ ab artifice reddi nequierunt* in his illa: 'Incedunt victæ longo ordine gentes, Quam variæ linguis, habitu tam vestis et auro'—et paulo ante: 'Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ' etc. 'arcum intendebat Apollo Desuper, omnis eo terrore Ægyptus et Indi; Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.' Talis vero reprehensio hominem, artis forte notitia imbutum, poëtices utique imperitum argueret. Est enim hoc in poëta nostro magno ingenio et arte factum, quod ornatum injecit tanquam vestem narrationis nuditati, nec satis esse putavit, describere opus toreuticum, in cujus veritate servanda nullam sibi videbat religionem esse impositam. Nec hoc ad artem pertinet, aut excusatione adjuvandum, aut inter poëticas licentias referendum, quod viri docti faciunt (Misc. Obss. Tom. I, p. 20. IV, p. 198, et Burmann. h. l. ad VIII, 634, et ad Æn. I, 487); verum poëtices lex et natura facere jubet, ut res ab arte expressas iis auxiliis et modis, quibus illa valet, poëta exprimat suis coloribus et ornamentis. Hinc tuenda illa v. 634 'Mulcere alternos,' et v. 697 'Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.' Nam poëtæ hæc sunt, nec ab artifice duæ aspides expressæ erant. Sicque tot alia ad ornatum faciunt, aut poëtica phantasmata objiciunt, quibus inflammata mens multa videt, quæ sensibus subjecta non sunt: 'Illum indignanti similem similemque minanti Aspiceres' etc. Sed in his, in quibus pro se quisque facile disertus esse potest, disertum esse nihil attinet.

Difficillima operis declarandi et commendandi pars est

Digitized by Google

pugna navalis una cum mari: qua in clypei parte illa locanda sit in operis descriptione: inprimis cum poëta id tam parum diserte exposuerit: 671 'Hæc inter,' ait, 'tumidi late maris ibat imago.' Potest adeo esse inter cetera, quæ clypeus exhibebat, argumenta, aut inter cetera, quæ poëta recensu facto memoraverat; quo sensu constituto pugna erat argumentum areæ ceteris similis. Probabilius tamen, totum mare cum pugna in umbonem ac mediam partem fuisse rejectum. Ita tamen superest alia difficultas, qua in parte triumphus Augusti 714 sqq. expressus esse videri debeat. Saltem in medio clypeo locum vix habere potuit. Secundum hæc, si æqui esse volumus, suum cuique æstimandi relictum esto arbitrium.

An *clypei superficies tot rerum diversarum argumenta capere potuerit*, nunc nemo facile quærat: post virorum ingeniosorum operam in clypei adumbratione stilo æreo facta collocatam. Alterum exemplum in Anglica interpretatione supra commemorata vidimus ad Whitehead judicium, L. P. Boitardi arte, sed, quod factum nollemus, ad picturæ naturam propius expressum; alterum, quod anaglyphum melius refert, arte tamen et judicio alteri posthabendum, opera Le Lorrain ad Comitis de Caylus præcepta (Tom. XXVII Hist. de l'Acad. des Inscript. t. III). Consentit uterque artifex in hoc, ut exterior clypei ora, in plures regiones distincta, comprehendat ea, quæ a v. 630 ad v. 670 commemorata sunt; reliqua autem in interiorem aream rejiciunt. Exterioris illius oræ regiones constituunt uterque duodecim. Sunt tamen alia, in quibus in diversa abeunt; in aliis uterque veritatem argumenti et moris Romani deserunt. Sed singula persequi velle, inprimis nulla clypei delineatione adjecta, fastidium faceret. Interiorem aream ab exteriore separat circumductus in orbem, sed tenui limbo, Oceanus, innatant, quod rideas, delphines. Apud Homerum et Hesiodum, Oceanus extremam clypei oram ambit. At Virgilius Oceanum omnino non memorat, sed 671 'tumidum mare,' scil. Ionium: quod nostri artifices in area interiore ponunt; hanc enim, seu umbonem clypei (ut adeo 'In medio' v. 675 sit,

Digitized by Google

in medio clypeo), artifex Gallus in tres areas, quæ pugnam in mari Actiaco, fugam, triumphum exhibent, Britannus autem, rejectis locis inferis in novissimam inter XII areas, in quatuor regiones divisit: ut prima sit inita pugna v. 676—688, tum pugna commissa vss. 689—703, tertio fuga 704—713, tandemque triumphus 714. Spectant ex his tres ad mare ad Actium. Equidem bene perspecta non habeo, nisi forte hæc: inesse clypeo argumenta, quæ ab artifice non infeliciter tractari possint, et artis quoque operibus passim reddita sint, qua tamen arte, quo ordine, in clypeo exhibita ea poëta cogitaverit, non apparere; nec vero quæri debere, quandoquidem poëta non graphice, sed poëtice hæc adumbraverit, et adumbrare debuerit. Sunt argumenta illa, meo quidem judicio, non nisi undecim: I. Lupa cum Romulo et Remo. II. Sabinæ raptæ. III. Fœdus ad aram. IV. Meti Fuffetii supplicium. V. Tiberis et Porsenna minabundus. VI. Capitolium, Manlius, Anser. VII. Supplicatio. VIII. Tartarus cum Catilina. IX. Elysium cum Catone. X. Pugna ad Actium. Apollo Actius. Nilus. Cleopatræ fuga. XI. Triumphus Augusti.

Elegantiam *in disponendo argumento* clypei frustra, puto, laudibus extollunt viri docti. Interior ambitus nullo modo delectare potest aspectu, in quatuor aut, quod multo molestius est ad oculos, in tres partes discretus: inprimis tot rerum et hominum signis in tam angustum spatium coarctatis.

Ut igitur paucis complectar, quæ mihi *de artis judicio*, quod poëtæ tribuere solent, pronuntianda videantur: habuit ille forte in animo singulorum signorum singularumque rerum formas et exempla, quæ in urbe et Capitolio passim occurrere ipsi debebant: ea tamen, quæ in clypeo hoc efficta dedit, *non sculptoris, sed poëtæ ingenio* delegit et in unum locum congessit diversi argumenti res, quæ narratæ, si altera post alteram auditione accipiatur, admiratione animum movere possunt; ut eædem arte expressæ oculos tenerent, nec voluit nec curavit aut operam dare debuit. *Poëtica* itaque habenda sunt *ornamenta*, quæ tanquam in clypeo expressa, narravit, poëtico quoque more tractata, non anagly-

Digitized by Google

pha ad artis elegantiam seu inventa seu expolita. Inde splendidissimæ carminis partes vix a sculptore bene, etsi Comitem de Caylus ea de re nil dubitare video (Tableaux tirés de l'Eneide de Virgile pag. 369 seqq.), reddi possunt; inprimis prælium Deorum v. 698 sqq. 'Omnigenumque Deum monstra' etc. 'Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo Desuper—omnes vertebant terga Sabæi. Ipsa videbatur ventis regina vocatis Vela dare et laxos jamjamque immittere funes—Contra autem Nilum—Pandentemque sinus et tota veste vocantem' etc. Vides hæc locis ac temporibus esse tam diversa, ut uno argumento, seu una tabula nullo modo comprehendi possint. In triumpho autem Cæsaris plura admixta sunt, quæ poëtica phantasmata sunt præclara, sed nulla arte uno temporis momento unoque et eodem locorum spatio exhiberi queunt.

Artis notionem poëtæ non esse obversatam ultimo loco declarat *materia clypei*, mira mixtura auro, argento, ferro in idem opus conflato. Per porticus Capitolii (v. 655) *auratas* anser *argenteus* volitat: ipsi Galli *aurea* cæsarie, *aureis* virgatis vestibus et torquibus *aureis*. Non igitur ectypo modo opere hæc expressa, verum ad priscum et Homerici ævi morem etiam coloribus variata, auro saltem et argento, in ærea clypei area. Porro v. 671 mare *auro* effictum: (Melius apud Propert. l. c. IV, 6, 26 'armorum radiis picta tremebat aqua') 'sed fluctu spumabant cœrula cano.' In *cœrula* non etymon vocis cogitandum videtur: sed simpliciter mare: idque argenteos fluctus habere debuit: innatant tamen delphines, iidem quoque argentei: 'Et circum argento clari delphines in orbem Æquora verrebant caudis æstumque secabant.' Mox Mavors 'cœlatus ferro' v. 700 h. e. ferro vel chalybe exsculptus. Alia super hoc clypeo in notis passim sunt observata.

Digitized by Google

EXCURSUS I.*

AD ÆNEIDOS LIB. IX.

NARRATA DE ÆNEA ET ANCHISE ANTE BELLI TROJANI TEMPORA.

LIB. IX, 263. 264 'Bina dabo argento perfecta atque aspera signis Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba.' Ad res ante bellum Trojanum gestas, adeoque ad τὰ προομηρικὰ hoc pertinere in Notis professus sum; nam, quod in Servio ex obscuro homine Abante ἐν τοῖς Τρωϊκοῖς allatum est e fabulis inde ab excidio memoratis, poëta respicere non potuit: quippe qui Æneam statim a capta urbe discedere jussit, nec in Troade novas res moliri.

Verum rerum ante bellum Trojanum gestarum omnino obscurior est memoria, quam earum quæ urbem captam exceperunt. Nihil forte desideraremus, si *Carmen Cyprium* superesset: de quo vid. ad lib. II Exc. I, p. 368 sq. Neque igitur indigne feremus, si de capta ab Anchise Arisba nihil aliunde innotuit; adeo ut dubitari quoque possit, sitne Troadis an Lesbi urbs hoc loco intelligenda. Misso tamen hoc, quandoquidem semel in hanc quæstionem incidimus, age videamus alia, quæ de Æneа et Anchise ante belli Trojani tempora, quæ Homerus attigit, narrata forte reperiri possunt: absolvemus sic omnem rerum Æneæ memoriam in his Excursibus passim expositam.

Ut igitur omittam illa, quæ de Anchisæ stirpe a Dardano per Troëm, Assaracum, Capyn ducta (vid. Exc. VI ad lib. III) tum de Æneæ natalibus ex Veneris et Anchisæ congressu satis nota sunt: vid. Iliad. Υ, 214 sq., ibique Schol. ex Acusilao, Hymn. in Venerem, et conf. Apollod. III, 12, 2 cum Notis, et Meziriac. ad Ovid. Heroid. P. II, p. 142; commemorabo reliqua, partim minus obvia, partim ad Virgilianum carmen propius spectantia.

Æneam *Trojanum* appellatum, Trojæ quoque *domum An-*

Digitized by Google

chisæ incoluisse lib. II, 299 audivimus. Eo tamen non nisi sub belli Trojani tempus devenisse putandus est: *Dardanam* urbem ille tenebat haud longe ab Ilio dissitam; Dardanios quoque adduxerat: Iliad. *B*, 819. cf. sup. Exc. XVII ad lib. II.

Natales tamen ejus ad montem Idam, qui imminebat urbi, referuntur; quippe Anchises a Venere in monte Ida, cum armenta pasceret, amatus est: ut vel ex Iliad. *B*, 821 memineris: et ex Hesiod. *Θ*. 1007—1009, multoque magis ex Hymno Homerico: nisi carminis potius epici fragmentum illud est, ea parte, qua deficit, hymni clausula suppletum.[1] Addit Maro, ad Simoëntem genitum esse Æneam: Æn. I, 621 'Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?'

Nutritum Æneam a Nymphis, et quidem Dryadibus, suaviter narratum est in eodem Hymno 258 sqq. Educatum mox in Alcathoi domo, qui ejus sororem matrimonio habebat, docet Homerus Iliad. *N*, 465. 466. Fuit illa Hippodamia, quam e legitima conjuge Eriopide susceperat Anchises; tradente Eustathio ad e. l. Apud Xenophontem de Venat. pr. inter eos memoratur, qui a Chirone enutriti fuere, figmento historiarum rationi adversante.

Pavit tamen Æneas, more priscæ ætatis, armenta in monte Ida; et quidem sub ipsum tempus belli Trojani; nam oppressus ille in solitudine ab Achille vix fuga sibi consuluerat; cumque Lyrnessum confugisset, Achille ad eam urbem oppugnandam advolante, fugatus et inde est Æneas: Iliad. *T*, 90—96. 187—194. Latius hæc persecutus erat auctor Cypriorum: in cujus argumento apud Proclum[2] hæc habentur: *κἄπειτα ἀπελαύνει* (Achilles) *τὰς Αἰνείου βόας καὶ Λύρνησσον καὶ Πήδασον πορθεῖ*—

Idem tamen Æneas jam antea Paridi comes navigationis

NOTÆ.

[1] Doete de eo nuper egit, ejusque cum argumentum constituit tum fabulam illustravit Groddeck noster in Commentat. de Homer. Hymn. rel. pag. 40.

[2] In Bibliothek der alten Litteratur I Band pag. 26.

Digitized by Google

in Græciam additus fuerat: καὶ ἡ Ἀφροδίτη Αἰνείαν συμπλεῖν αὐτῷ κελεύει, idem Proclus secundum Carmen Cyprium.[1]

Cum Trojam accessisset, e societatis cum Priamo lege, ut auxilium ferret, simultas inter ipsum et Priamum Priamique filios inciderat; unde et irasci eum Priamo et pugnam detrectare suspicio erat: Iliad. *N*, 459 sq. Refrixisse videri possunt animi ea de causa, quod Æneas magna apud Trojanos auctoritate utebatur Iliad. *A*, 58. Αἰνείαν θ', ὃς Τρωσὶ θεὸς ὡς τίετο δήμῳ et *E*, 467. 8 et quod sublata Priami stirpe regnum sibi promittere visus erat. Eo enim alludit Iliad. *N*, 180 Ἐλπόμενον Τρώεσσιν ἀνάξειν ἱπποδάμοισι (μετὰ, διὰ) Τιμῆς τῆς Πριάμου· etsi eos versus judicio suo sustulerant Grammatici veteres. Inter Paridem maxime et Æneam odia exarsisse Menecrates Xanthius tradiderat: cf. Dionys. Hal. I, 48.

Æneæ res gestas ab Homero narratas ex Iliade enotare nihil attinet. Congressum ejus cum Diomede Iliad. *E* et alterum cum Achille Iliad. *Υ* ipse Virgilius attigit, dum bis pugnæ discrimine ereptum eum a Venere ait Æn. IV, 228. In castrorum oppugnatione unam e turmis ducebat Æneas Iliad. *M*, 98. *N*, 459. 468 sq., iterum in pugna circa Patrocli occisi corpus cum Hectore primas partes agit *P*, 484 sq. Quæ post Iliadis argumenti tempora gesta sunt, in Quinto Smyrnæo cognoscere licet. Fuerant enim Æneæ partes in omnibus fere præliis: unde sup. Æn. I, 492 dici poterat 'se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.' Ita interfuit pugnæ cum Penthesilea ap. Tzetzam Posthom. 52. 157: in pugna super Achillis corpore vulneratur Æneas ab Ajace: ap. Quintum III, 281 sq. ipse Ajacem Oilei vulnerat in pugna post Eurypyli adventum: VI, 520 sq. Eminet ejus virtus in pugna, qua Philoctetæ sagitta Paris vulneratur: X, 26. 76. 112. At eo cæso multo magis XI, 41. 129 sq. ubi et Thetis ab eo avertit Neoptolemum 240. mox e pugna eum educit Venus 289. In oppugnatione Ilii est inter propugnatores de muris, XI, 354. 393. 439. 474. Ea autem, quæ

NOTA.

[1] Eod. loc. pag. 23.

Digitized by Google

sub ipsum Trojæ excidium peregerit, narravit Maro lib. II, ad quem cf. Exc. XVII et XIII. Urbem enim videns captam de salute consilia iniit: Quintus XIII, 300 sq.

Urbe capta in montem Idam secessit. Apud Lescheum, uti nunc ex Proclo didicimus (p. 38), statim ab ostento per Laocoontem a serpentibus enectum objecto discessum in montem Idam Æneas parat. Ad Leschei ductum, quod suspicari licet, exponit nonnulla Quintus XIII, 300 sq. Reliqua post ejus discessum diversis locis illustravimus. Actum *de erroribus Æneæ* Exc. I, et *de errorum annis* Exc. II ad lib. III; *de accessu ad Siciliam* Exc. I ad lib. V; *de accessu ad Italiam* Exc. IV ad lib. VI, et Exc. II ad lib. VII; add. Disquis. II; *de fatis inde ab adventu in Italiam* Exc. III ad lib. XII; *de prædictionibus Deorum, ad quas ille rerum gerendarum cursum rexit,* Disquis. II.

EXCURSUS I.

DE DEORUM INTERVENTU IN ÆNEIDE; ET UNDE POETÆ ACCEPERINT EA SIGNA, QUÆ PRÆSENTIAM NUMINIS ARGUUNT.

IX, 638 'Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo Desuper Ausonias acies urbemque videbat.' Non placet quod in inducendis Diis Virgilius, nec de opportunitate et probabilitate, ex causa idonea aut rerum ordine ducta, nec de varietate solicitus fuit; nam quoties ad Deos redit oratio, et ad partes quas ipsi in rebus gerendis tuendas habent, fere satis habet inserere illam particulam, initio facto a vocula *interea*, v. c. X, 1 'Panditur interea,' v. 606 'Junonem interea,' XI, 582 'Velocem interea;' ad quem locum Servius quoque abruptum et vituperabilem transitum notavit. Aliam rationem poëta h. l. sequitur, verum et in hac fere eadem chorda oberrat: Apollo tum *forte* desuper pugnam ad novam Tro-

Digitized by Google

jam spectabat. Atqui nec aliter Æn. I, 227 'Et jam finis erat; cum Jupiter æthere summo Despiciens mare—Constitit et Libyæ defixit lumina regnis.' Iterum lib. VII, 286 Juno ab Argis redux *forte* prospicit Æneam ad Italiæ littus classem appellentem, et XII, 134 'At Juno e summo—Prospiciens tumulo' etc. Defendi forte possunt loca inf. lib. XI, 725 sqq. XII, 792 sqq. Et sunt alia felicius instituta, ut lib. IV, 219 sq. V, 604 sq. Apud Homerum Deos sedere et Achivorum Trojanorumque prælia prospicere non miramur, cum partes Deorum quisque suas tuendas sustineat: at Apollo hic otiosus plane sedere, nec poëta satis provide curasse videri potest, ut ejus solicitudinem de exitu rerum commodo loco commemoraret. Si tamen subtilius ac diligentius deliberes, statim animo occurrent hæc: Apollo non modo vaticiniorum de Æneæ et posteritatis in Italia sede auctor, idemque jam apud Homerum Trojanis rebus et Æneæ studens, fuit: verum ille etiam inter Deos inprimis is erat, qui gentem Juliam insigni favore, insigniter per pugnam Actiacam declarato (vid. sup. VIII, 704 seqq.), amplecteretur; idemque Palatino templo ornatus fuit. Sed et aliis locis meliorem rationem reperit Maro, ut lib. I, 128 sqq., ubi 'Neptunus magno misceri murmure pontum Emissamque hyemem sensit;' lib. IV, 219 audit Jupiter preces Iarbæ, et sic Didonem Æneamque respicit. Ut tamen h. l. Apollinis opera uteretur, inductus maxime Homericis aliquot locis videri potest, inprimis Iliad. *E*, 433. 445. *P*, 323 sq., ubi Apollo Æneæ occursat, priore loco etiam ex prælio vulneratum servat, ut h. l. Ascanium a præliando dehortatur.

Ceterum idem Apollo paulo post vss. 659. 660 agnoscitur: 'agnovere Deum proceres divinaque tela Dardanidæ, pharetramque fuga sensere sonantem.' Ergo in *fuga* h. in discessu, Butæ formam exuerat Apollo, divinam receperat. Conf. Excurs. XIII ad Æn. I, ubi poëtarum hujus phantasmatis ornamenta, tractandorumque eorum modi ac viæ a me expositæ sunt. Originem et causam hujus phantasmatis hominum mentibus subnati partim jam eodem loco pag. 4026 innueram, partim nunc disertius exponam. Scilicet

Digitized by Google

cum nec nostris animis facile sit, quoties numen cogitamus, a specie humani oris mentem avocare, tum multo magis rudium hominum animis insidet species numinis aliqua et forma humanæ similis; nec aliter id fieri potuit, antequam subtilior philosophia cogitationem de Deo ad mentem, *Νοῦν*, avocavit. Necesse adeo fuit, ut divinæ naturæ tribuerentur ea, quæ naturæ humanæ communia sunt: nisi quod majora pro naturæ humanæ modulo esse credebantur. Consentit in hoc omnis vetustas, etiam patriarcharum et Judaicæ gentis; consentit omnis barbarorum ac ferorum populorum stirps; ipsa mentis humanæ imbecillitas. Jam prouti cultu ingeniorum aut nullo, aut aliquo, aut exquisitiore imbutæ sunt gentes, Dii aut robore, aut sagacitate et prudentia, aut opibus et potentia excellentes occurrunt; ita ad suæ naturæ modulum fingit numen humana mens; quoque ea ipsa perfectior et divinæ similior aliquando erit reddita, eo veriora et digniora Numine cogitabit. Secundum hæc facile est ad intelligendum, quamdiu speciem divinæ naturæ ad humanam attemperavit antiquitas, ei debuisse opinionem de occursu, apparitione et contubernio Deorum familiarem esse; inprimis cum locis adeo, terris et urbibus, Deos suos tutelares assignarent. Imbuere ista opinione hominum animos multo magis debuit solitudo ruris ac sylvarum; raris hominum commerciis et advenarum accessibus: potueruntque credi Deorum species oculis objectæ, inprimis hominum, qui religioso metu tenerentur; cf. Odyss. *K*, 201 sqq. Opinionem illam acceptam retinuit posteritas, et vulgo narrata in miraculum auxit. Quid? quod ipse sermo hominum rudium nullam aliam, nisi ab oculorum sensu petitam, speciem Deorum admittere potuit; quodque in vulgarem loquentium usum conversum hoc fuit, ut, quicquid evenisse dicere vellent, a Deo factum et peractum esse dicerent; quod nemini non in Homeri lectione vel paucorum versuum occurrere debuit. Nihil in his esse video, quod tam mirum videri debeat, quomodo in hominum animos venerit; sed probabili aliquo judicio humanis ingeniis insidere ea opinio ubique et omni tempore debuit, et adhuc insidet barbaris populis, quotquot divinæ naturæ forma hu-

Digitized by Google

mana animos habent imbutos, modo non ab omni humanitatis cultu alieni sint, aut per hieroglypha ad animantium formas divinam speciem revocarint. Horum enim, ut olim Ægyptiorum et nunc Indorum mentibus, quæ phantasmata ac species sint objectæ, quoties Deos cogitant, facile licet assequi; scilicet non posse esse alias quam ipsas formas, quas in templis expressas viderant: quo ipso necesse est, innumera iis alia a nostro percipiendi et cogitandi more diversa et aliena occurrere, de quibus nos male ac perperam judicamus, cum easdem notiones rerum animo non circumferimus. Græci autem veteres multo magis proclives ad eam opinionem, ut Deos specie humana esse crederent, amplectendam esse debuere, quandoquidem iis hoc tanquam proprium tribuitur ab Herodoto I, 131 τοὺς θεοὺς ἀνθρωποφυεῖς esse, quem locum accurate expositum nuper vidimus ab Abb. Foucher in Mem. de l'Acad. des Inscr. Tom. XXXV pr. Firmata est ea opinio et in habitum animi deducta per signa Deorum in fanis et sacellis obvia; cumque ab eadem opinione suorum operum protypum ars accepisset, moxque docte elaborasset, Deorum species ad summæ alicujus pulchritudinis speciem est adumbrata, certo ætatis et characteris discrimine variata. Profecere iterum ex artis profectu poëtæ, ita ut v. c. Apollini et Baccho promissa coma, Jovi oris majestas, et sic porro aliis Diis alia, per omnes ætates constarent inter poëtas æque et artifices. Conf. Commentationem 'de formis Deorum Græciæ earumque auctoribus' Tom. VIII Commentatt. Soc. Gotting. Poëtis autem nihil exoptatius esse poterat, quam species Deorum humana, vires corporis majores, motus celerrimus, forma oris pulcherrima, iis illi ita usi sunt, ut ea sibi tanquam propria facerent, inprimis in poësi epica, utque in usum poëticum perpetuum transferrent, inprimis ubi iis vestigiis insistebant, ut Deorum ministeriis pleraque exequerentur: cf. Disquis. I de carmine epico. Neque vero ea opinio præsentiæ numinis inter istos quidem populos tolli potuit; nisi ex quo philosophorum subtilior disputatio, et sanctorum vatum accuratior doctrina, ab omni corporis specie ac labe segregavit divinam naturam.

Digitized by Google

EXCURSUS II.

DE INSULA INARIME ET DE ARIMIS.

IX, 715. 716 'Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile Inarime Jovis imperiis imposta Typhoëo.' Promontorio Campaniæ Miseno objectæ sunt insulæ *Prochyta* (nunc *Procida*) et altera paulo major, *Pithecusa* seu *Ænaria* (nunc *Ischia*). *Pithecusæ* fere plurali numero efferri solent, seu quoniam Prochyta sub eodem nomine fuit comprehensa, seu quod plures aliquando fuere. Sunt enim auctores, qui Pithecusas ab Ænaria discernant. Esse eas partes continentis avulsas, et constans fama obtinuit (vid. Cluver. Ital. Ant. IV, 4) et ipsa res locorumque facies probabile facit; subterraneis enim ignibus sæpe Pithecusæ exarserunt: vid. inprimis Strabon. V, pag. 379 f. sqq. Plin. II, 88. Mirab. Aud. 36. conf. Wernsdorf. Excurs. III ad Ætnam Tom. IV, p. 354 sqq. Cum autem veteris sermonis et phantasmatum, quæ inde poëtæ susceperant, ratio ita ferret, ut terrarum motus et ignium subterraneorum explosiones Gigantibus terræ inclusis tribuerent: quod cum primo narrasset de Typhoëo Hesiodus sine omni loci mentione Θ. 859 sqq. fabula haud dubie ex Oriente accepta, deductum est ad Ciliciam, Syriam, lacum Sirbonidem et Asphaltiten, ad Asiæ Catacecaumenen et Phrygiam (vid. Wessel. ad Diod. V, 71. cf. Apollod. I, 6, 3, et ibi Not. p. 77 sqq.); ita tractum est etiam ad hanc insulam, impositam eam esse Typhoëo, quod idem de *Arimis* suis narraverat Homerus Iliad. B, 783. *Arimos* hos jam inter veteres alios in Mysiæ seu Lydiæ parte, alios in Cilicia, in Syria alios reperisse; fuisse tandem etiam, qui in Pithecusis insulis collocarent, narrat Strabo lib. XIII, p. 929 C. Ex his patet, Virgilium nostrum non fuisse primum, qui errorem hunc committeret, ut Arimos ad hanc insulam transferret. Multo minus ille adversus grammaticam rationem *Inarimen* facere potuit ex *Εἰν Ἀρίμοις*,

Digitized by Google

quæ vel τὰ Ἄριμα vel οἱ Ἄριμοι fuerunt. Suspicor fuisse aliquem ex antiquis poëtis latinis, qui Iliadem latine reddiderunt, inter quos Cn. Mattius fuit, qui aut male acceperit aut male interpretatus sit *In Arima*, unde facta est *Inarima* vel *Inarime*. An unquam nomen hoc Pithecusarum communi usu frequentatum sit, dubito: videtur illud inter poëtas se continuisse. Mature tamen Typhoëus ad hæc Italica loca ignibus cæcis celebrata revocatus fuit, ut docet Pindari locus mox laudandus. Tradit quoque Schol. Apollonii ad lib. II, 1214, Pherecydem jam Typhoni Pithecusam insulam injectam narrasse. Obvia inde poëtis et facilis fuit insulæ comparatio cum Arimis Homeri et deflexio nominis in Arimen. Miro autem casu accidit, ut Etruscis *arimi* dicerentur simii, qui Græcis πίθηκοι, secundum Strabon. l. c.; quod si ita se habuit, tanto proclivior fuit permutandorum locorum error. Alium, sed indoctiorem, verborum lusum, etsi sibi probatum, Plinius memorat: *a figlinis doliariorum* dictam Pithecusam. A πίθος tamen quomodo Πιθηκοῦσσαι formari potuerint, non satis intelligitur; quod ab eo est πιθάκνη vix πιθήκνη pronuntiatum est.

Quod Plinius apposuit lib. III, 6: *Ænaria*, 'Homero Inarime dicta,' parum accurate esse pronuntiatum quilibet facile videt. Virgilium autem in insulæ nomine secuti sunt Ovidius, Silius, et alii poëtæ; etiam Livius in loco a Servio ascripto: loca ascripta nunc videbis a Wernsdorf. pag. 359.

Homeri vero, ut et hoc addam, et Hesiodi quoque Theog. 304 *Arimi* seu, quod malim, *Arima*, τὰ Ἄριμα sc. ὄρη, haud dubie in Asia quærenda sunt: sique a vetustioribus auctoribus, Æschylo in Prom. 351. Pindar. Pyth. I, 32, est standum, in Cilicia; quæ quidem, una cum magno minoris Asiæ et per Phrygiæ, Mysiæ, ac Lydiæ fines continuato tractu, ignibus subterraneis olim arsit. Vide Strabonem et aliis locis et pag. 928. 930. conf. Eustath. ad l. c. Homeri. Itaque in iis locis omnibus Typhon fulmine prostratus narrari potuit et narratus est a multis. Solent tamen scriptores unum plerumque ex ceteris locis omnibus Typhoni assig-

Digitized by Google

nare, ut Mæoniam Livius XCIV apud Servium ad h. l. Cum a Syris seu Aramæis Ciliciæ pars olim inhabitata fuerit, mirum non est, nomen eorum serius, forte ad Homerum usque, in iis locis superstes adeoque Arimos montes in Cilicia dictos fuisse. Ad Syriam autem propter nomen illud fabulam Homericam trahere ac transferre vix licet; multo minus de lacu Sirbonide aut cum Tayloro apud Woodium de lacu Asphaltite cogitare.

Cum de his Homeri et Virgilii locis tot extent virorum doctorum disputationes, apponere hic visum est ea, quæ inter innumera perperam asserta idoneis rerum argumentis, saltem probabili judicio, memorari posse videntur.

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. X.

AUXILIA ÆNEÆ EX ETRURIA.

LIB. X, 166 sqq. Non omnes veteris Etruriæ civitates memorari a poëta, cum copias inde adductas recenset, manifestum est. Ex iis quoque, duodecim numero, civitatibus, quæ rempublicam Etruscorum constituebant, *Clusium* et *Cære* tantum nomine posuit, reliquas præteriit. Habuit igitur dilectum? an temere apposuit, quæ in mentem veniebant? Si nostrum Virgilium bene novi, habuit ille haud dubie, quod cum judicio et veteris memoriæ respectu in hoc loco sequeretur: in aliis quidem, quod eæ maritimæ urbes erant, et navium copiam suppeditare poterant; in aliis amicitiam cum Romanis, in aliis fabulas priscas, ut in Mantua. *Cære* quidem summo cum dilectu primo loco posuit, quoniam Mezentium regem pulsum bello persequi decreverat ea civitas, castris in propinquo urbis positis, quibus Æneas exceptus cuncta statim ad profectionem parata reperit (sup. VIII, 478—494. 603 sq.): quod nisi opportune accidisset, ad parandas copias mora facta esset, quæ poëtæ totam narrationem

Digitized by Google

perturbasset. Mature autem cum Romanis Cæretani in amicitiam et societatem venere, sacris et sacerdotibus, cum Galli advenissent, receptis: vid. Liv. v, 40. 50. In civitatem quoque ascripti sunt, etsi sine suffragio. Cæretanis societate adjunxit poëta civitates loco vicinas, plerasque littoralem Etruriæ regionem incolentes, nam longinquis locis copias arcessere non potuit; potuit alias quoque rationes spectare, quas in tantis historiæ Etruscorum tenebris nunc ignoramus. Illud tamen vel maxime miror, quod nulla *Cortonæ*, seu *Corythi* veteris, mentio facta est, cum inde originem trahere dictus esset Dardanus, etsi Acron inde oriundus inf. x, 719 memoratur. Sed si recte conjicio, cum Agylla seu Cære vetus Pelasgorum urbs esset, in societatem ascripsit poëta alias civitates, quas Pelasgi inhabitasse dicti sunt. Dionys. I, 20, qui classicus locus est, multas eos urbes partim Siculis ereptas, partim a se extructas, habitasse ait communiter cum Aboriginibus, eo in numero esse 'Cære, Pisam, Saturniam et alias quasdam urbes, quas ipsis, temporis progressu, Etrusci eripuerunt.' Potuere ergo inter eas urbes, quas Pelasgi tenuere, et illæ esse, quas poëta recensuit. Nam Veios, Falerios, Tarquinios non bene potuit adjungere, quippe aliquando Romanis infestos futuros. Neque potuit ad urbes remotas, maxime ex interioribus terris, progredi: quomodo enim in tam brevi tempore copiæ inde duci potuissent! At navibus e maritimis civitatibus arcessi poterant.

Clusium, Camers vel Camars olim dictum, inter Æneæ auxilia bene referri potuit, quandoquidem in societatem et amicitiam a Romanis receptum Gallorum arma in Romanos avertit: Liv. v, 36 sq. Erat urbs antiquissima, qua Etrusci Umbros ejecerant; de qua et aliis, quæ sequuntur, egit nunc doctiss. Lanzi (Saggio di Lingua Etrusca Tom. II.) *Cosæ*, vel Cosa, ad mare supra Herculis portum sitæ, 'Cosa Volcientium' Plinio dictæ lib. III, 5, 8, a *Volcis* videntur esse deductæ; antiquum id fuit Etruriæ oppidum, forte ad ipsum Clusium originem retulit, aut sub Clusinorum potestatem olim fuit: certe ex his unum agmen conflatum videmus in

Digitized by Google

Virgilio. Ducit illud Massicus: sub quo adeo Clusinorum Lar esse debuit *Osinius*, qui infra v. 655 memoratur. Alterum agmen est ex *Populonia* seu Populonio et ex insula *Ilua* seu Æthalia, nunc *Elba*, ei objecta, coactum. Populonii origo incerta est: vid. Serv. ad h. l. Ilua, Etruscorum colonia (vid. Stephan. in Αἰθάλη), olim æris, mox ferri fodinis nobilissima: vid. Strabo v, p. 342. Diodor. v, 13 et al. apud Cluver. Ital. pag. 502 sqq. et Serv. ad h. l. Mille viros *Pisa* adductos videmus v. 175—180. Pisam autem inter urbes a Pelasgis et Aboriginibus habitatas paulo ante vidimus: ut adeo inter antiquissimas illam fuisse necesse sit. Lycophron ipsos Lydos advenas Pisam occupasse tradit v. 1359, quod ex opinione veterum de Etruscorum ex Lydia origine intelligendum. Fecit tamen scriptoribus fraudem et hæc nominis similitudo, ut a Pisa Elidis profectos dicerent, qui Pisam Etruriæ conderent; vid. Strabo v, pag. 340 B. Plin. III, 5. Justin. XX, 1. Solin. 8. et e nostro Rutil. Itin. I, 565 sq. Addit Strabo fuisse eos ex iis, qui Nestorem ad Ilium secuti in reditu via aberraverant. Homerus tamen Pisatas non commemorat inter eos quos Nestor adduxit. Adde Serviana ad v. 179 h. l., unde patet plura fuisse poëtarum vel historicorum commenta de Pisæ origine. Alia tamen in Servio legerat Jul. Sabin. Sequitur v. 180—184 Astur cum trecentis ex *Agylla* seu *Cære* et vicinis locis adductis, scilicet ex agris ac vicis circa *Minionem* fluvium (nunc *Mugnone*) haud longe a Centumcellis; exiguo intervallo versus occidentem fuit Gravisca vel *Graviscæ;* ultra Minionem ab oriente, versus Cære, *Pyrgi*. Egit de utrisque diligenter Cluver. Ital. p. 483. 495. Servius ad h. l. Pyrgos ait castellum fuisse 'nobilissimum eo tempore, quo Tusci piraticam exercuerint' ('nam illic metropolis fuit,' ab indocto homine fuit adjectum): 'quod postea expugnatum a Dionysio tyranno Siciliæ dicitur' (diserte narratur res a Diodoro XV, 14, ubi cf. Wesseling.), 'de quo Lucilius: *Scorta Pyrgentia.*' *Pyrgi* jam Rutilii ætate, ineunte Sæc. V: 'Nunc villæ grandes, oppida parva prius' Itin. I, 223. 224. Omnino totus ille Rutilii locus cum hac carminis parte comparandus

Digitized by Google

est. Quod Graviscas *intempestas* dixit, situm respexit in humili ac palustri planitie sub montibus Cornetanis a læva Martæ fluminis. Rutil. Itin. I, 282 Graviscæ, 'Quas premit æstivæ sæpe paludis odor.' Cato in Origg. apud Serv. ad h. l. 'Ideo Graviscæ dictæ sunt, quod gravem aërem sustinent:' quod si ita est, nomen a Romanis demum vel a Latinis inditum esse debuit.

Inde a v. 185 *Ligures* Etruscis comites dedit, vicinum populum, quicum multa bella gesserant veteres Etrusci: nunc vero addidisse eos videtur propterea, quoniam ornatum dabat carmini ea gens, quippe de qua veteres fabulæ, poëtarum carminibus decantatæ, olim fuere plures; quibus causam dedit Græcorum priscorum ἀνιστορησία in his locis, dum Padum s. Eridanum in Ligurum finibus ex monte Vesulo ortum una cum ostiis et succino, tum Phaëtontem et Cygnum ad Ligures retulere. Pherecydes primus fabularum harum auctor fuisse videtur: saltem is primus Eridanum edidit secundum Hyginum fab. 154; fabulam de Phaëtonte et Heliadum electro primi Æschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus, commenti esse videbantur Plinio XXXVII, 2 s. 11, 1. Inprimis Tragici in his fabulis sibi placuerant, unde has fabulas τραγικὴν ὕλην appellat Polyb. II, 16, 13. fuit in his quoque, quod populi ad Padum atris vestibus utebantur: μελανείμονες erant: quod a luctu propter Phaëtontis casum in morem abiisse narratum erat. De ceteris vid. Not. ad v. 185 sq. conf. sup. Excurs. I ad lib. VII. Tom. III. p. 510.

Claudunt agmen quingenti *Mantuani* duce *Ocno* v. 198—212, quem, Tiberis et Mantus filium, Mantuam condidisse et matris nomen urbi imposuisse acceperat Maro. *Mantuæ* originem antiquissimam fuisse necesse est, cum poëta ad hæc tempora eam referre ausus sit. Tiberis filius non male habitus *Ocnus*: cum ab Etruscis condita fuerit Mantua tum, cum, iis, qui tum ea loca incolebant, barbaris expulsis, loca ultra Apenninum illi tenerent. *Manto* autem Tiresiæ filia mater ei data, secundum eundem vulgarem Romanorum errorem, quo urbium Italiæ nomina et origines a Græcis re-

Digitized by Google

petebant: qua de re satis in Excurss. ad lib. VII dictum est. Ocnus autem hic, vel Aucnus, nullo modo cum Græcorum Ocno est confundendus, quem in locis inferis collocarunt nonnulli ex poëtis. Diversa de Ocno alios et de Mantuæ origine tradidisse, ex Servio ad v. 198 colligi potest; fuerunt enim qui Bononiam quoque, olim Felsinam, ab eo conditam traderent: at Mantuam a Tarchonte conditam narraverant alii, Mantuamque ideo nominatam, quod Etrusca lingua *Mantus* Dis pater est, cui urbem consecravit. Quæ sequuntur v. 201—203 ' Mantua dives avis: sed non genus omnibus unum; Gens illi triplex, populi sub gente quaterni, Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires,' plurimum habent obscuritatis. Servii nota ad v. 201 et 202 admodum corrupta et obscura est, et quantum intelligo ex binis interpretationibus diversis conflata. Altera hæc: ut ' Mantua tres habuerit tribus, quæ in quaternas curias dividebantur.' Ita dicerem sub Gallorum incursionem Etruscos ex ceteris XI civitatibus circumpadanis Mantuam confluxisse, et fuisse in tres tribus descriptos, quarum quæque quatuor demos haberet, quos Virgilius *populos* dixit. Verum sic non poterat Mantua dici *caput his populis*. Attigit locum Jo. Fr. Gronovius ad Liv. v, 34. 35 et *gentem triplicem* accipit tres regiones. Docet ille quidem eo loco copiose, *gentes* et *populos* sæpe conjungi apud scriptores, et patere gentem latius, ac posse sub se comprehendere plures populos, de quo nemo facile dubitet. Verum hæc omnia Virgilianum locum parum expediunt. Fac enim hoc ita se habere: Mantuam (aut, quod malim, agrum Mantuanum) habuisse tres regiones, quarum quæque contineret quatuor populos (h. conventus, δήμους), an de prisco Mantuæ statu sic constat melius? an in vetere historia quicquam est, quod cum ea memoratione consentiat? Nec vero versus præcedens convenit: ' Mantua dives avis;' quid enim his cum illa divisione in regiones commune est? Cluverius in Ital. ant. p. 255, etsi populos quaternos prorsus explodit, tanquam poëtæ commentum, quo diversas historias compilatas miscuerit: *gentem* tamen *triplicem* agnoscit et ad triplices colonos refert, qui Mantuam

Digitized by Google

insederunt. Fuerunt enim conditores urbis Etrusci: iis ex agris circumpadanis expulsis, Galli urbem tenuerunt aut Etruscis fuerunt admixti; tandem ex finitimis Venetis nonnulli inter cives ascripti fuere. Ea vero ratio nec illud expedit: 'dives avis;' nec reliqua, inprimis hoc: 'illa caput populis.' Servius ad v. 201 primum a Thebanis, deinde a Tuscis, novissime a Gallis, vel, ut alii dicunt, a Sarsinatibus, qui Perusiæ consederant, conditam narrat Mantuam: quæ unde acceperit, cum inepta prorsus sint, nemo facile dicat. Thebanos intulit forte propter Manto. Meo quidem judicio hæc omnia facile expedias, si memineris Etruscos antiquitus, cum trans Apenninum late omnia tenerent, regionem circumpadanam in XII civitates descripsisse, quemadmodum ipsa Etruria XII civitates principes habebat. Cf. Polyb. II, 17. Liv. V, 33. Inter has XII civitates Virgilium arbitror non modo retulisse Mantuam suam; id quod recte faciebat: nam etiam Plin. III, 19 s. 23 'Mantua Tuscorum trans Padum sola reliqua:' verum etiam principem ceteris præposuisse; etsi honorem eum ab aliis Bononiæ habitum constat. Plinius utique lib. III, 15 s. 20 'Bononia Felsina vocitata cum princeps Etruriæ esset;' etsi sententia Plinii et hæc esse potest: fuisse et ipsam Felsinam inter principes. Copias igitur adducebat Ocnus Mantuanas ex XII populis Etruscis, qui incolebant agrum circumpadanum, conflatas: itaque 'non genus omnibus unum' erat. Quod vero addit poëta, ex eo primum discimus, XII illos populos seu civitates in tres gentes fuisse divisas; id quod ad Etruscas origines notabile est. *Non* igitur poëta, quod voluere interpretes, *de Mantuanorum origine* in h. l. agit, nec de majorum diversa stirpe, nec de divisione agri Mantuani in regiones et conventus: *sed de copiis* agitur, *quas Ocnus* Mantuæ conditor *adducit ex civitatibus* XII *circumpadanis*, quibus Mantua illo tempore caput erat.

Mantuanis accensuit denique v. 208 *Aulestem*, quem inter Italos non ignobilem fuisse ex Servianis laciniis ad v. 198 colligo: fuit enim secundum nonnullos Ocni frater et *Perusiæ* conditor habitus.

Digitized by Google

Illud adhuc subjiciam: novam super loci interpretatione moveri posse difficultatem ex Silio, qui VIII, 600. 601 in recensu populorum et civitatum: 'Et quondam,' inquit, 'Teucris comes in Laurentia bella Ocni prisca domus parvique Bononia Rheni.' De Mantua eum accipi non posse, manifestum fit, quod viris doctis notatum, cum v. 594 jam eam memoraverit. Necesse igitur est, Silium verba *patriis ab oris* sup. v. 198 hujus lib. X accepisse de Bononia, tanquam prisca Ocni et patria sede, antequam ad Mantuam condendam discessisset. Diversa igitur et hæc est ab ea, quam supra ex Servio ad v. 198 attigimus, fabula de condita ab Ocno Felsina (ut cum Cluverio legendum), seu Bononia. Lux ex his affundi potest notæ Julii Sabini ad vs. 203 'Ipsa caput populis,' qui de Bononia hoc accipere voluit.

EXCURSUS II.

DE AMYCLIS TACITIS.

Lib. X, 564 'tacitis regnavit Amyclis.' Cur *tacitas Amyclas* dixerit, varia commenta affert Servius, vix digna quæ repetantur. Quæ probabiliter dici possint, hæc esse arbitror: Loca Lucilii: 'Mihi necesse est, loqui: nam scio Amyclas tacendo periisse,' Silii VIII, 529 et Pervigil. Ven. sub f. satis docent, ad illam narrationem poëtam respexisse, qua, 'cum frequenter falso nuntiarentur hostes, et inani terrore civitas quassaretur, lata lege cautum est: ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Postea cum vere hostis veniret, nullo nuntiante, ex improviso civitas capta est: unde *tacitæ Amyclæ* dictæ sunt, quod periere silentio.' Recte hæc ab Aspro, nam is auctor a Julio Sabino proditur, tradita videntur, sed falso ad has Ausonum Amyclas

Digitized by Google

revocata, quæ à serpentibus deletæ fuere; v. Notam: cum ea ad Amyclas Laconicæ spectarent, quas a Doriensibus deletas esse, proditum reperimus. Nam, Peloponneso a Doriensibus et Heraclidis occupata, oppida aliquot Laconicæ per ducentos adhuc annos tenuerant Achæi, donec, paulo ante bellum Messenium primum, regis Telecli ductu, Dorienses seu Lacedæmonii ea loca expugnata solo æquarunt. Inter quæ fuere Amyclæ, quæ acriter restiterunt, nec nisi belli diuturnitate attritæ in ditionem cesserunt. Tropæum de iis erectum pro argumento virtutis eorum, qui victi erant, habebatur: Pausan., III, 2, p. 208 et c. 12, p. 237. Amyclæ eversæ vici formam per multa tempora habuerunt, claræ inprimis Dei Amyclæi templo et throno: vid. ibid. III, 19 et 18, de quo disputatum est a nobis in Antiquar. Abhandl. I Stück. De expugnatione illa Amyclarum a priscis scriptoribus plura fuisse narrata, tum ex Pausania, tum ex Pindari locis Isthm. VII, 18—22. Pyth. I, 124. 125. 126 patet: unde intelligitur, fuisse Ægidarum, quæ Spartæ tribus erat Thebis oriunda, præcipuas in eo bello partes Amyclasque illis habitandas esse assignatas. Si veterem commentatorem in Pyth. V, 96 et 101 et Isthm. VII, 18 integriorem haberemus, plura ex Ephoro et Aristotele de hoc bello teneremus. A Strabone lib. VIII, p. 560 c. 561 D. ex Ephoro (conf. Meurs. Misc. Lac. IV, 3), Amyclæ ab Heraclidis Philonomo, qui Lacedæmonem iis prodiderat, concessæ narrantur; si vera sunt, quæ Conon Narrat. 36 apposuit, adducti ab eo coloni ex Imbro et Lemno fuere, qui tertia hinc ætate, seditione adversus Dorienses facta, ejecti Cretam adierunt et Gortynem occuparunt. Ad hoc itaque tempus referenda esse videtur Amyclarum illa a Doriensibus facta expugnatio: urbe ex improviso occupata. Ut autem hoc *ad Amyclas Italiæ* transferri posset, error ille, quem toties castigavimus, locum fecit, cum non modo Græcorum colonias per totam Italiam disseminarent veteres auctores Latini, verum etiam urbium origines ac notitias nominum similitudine corrumperent. Urbem *Amyclas* in his locis Italiæ fuisse nemo dubitet. Sed nominis

Digitized by Google

similitudo fecit, ut a nonnullis narraretur, Lacones eam urbem condidisse, et ab Amyclis suis nomen indidisse. De tempore coloniæ ductæ varie traditum. Alii comites Castoris et Pollucis huc appulisse narrarunt, alii Amyclæos cum Glauco, Minois filio, venisse (apud Servium); tandem etiam fuere, qui Lycurgi ætate coloniam ductam dicerent ab iis, qui novis legibus uti nollent: hos enim, ubi in agro Pomentino escendissent, Feroniæ fanum extruxisse, et partim inde Sabinos contendisse: v. Dionys. Halic. lib. II, 49 (p. 113). Ceterum ad istas Italiæ Amyclas, quæ a serpentibus deletæ esse narrantur, spectare creditur marmor in ædibus March. Rondinini Romæ servatum, (apud Guattani Monumenti antichi inediti per l'anno 1787. p. LXXVI. tav. I) in quo Fluvius intra ulvosum amnem ad medium corpus recubans excipit patera rivum ex alto fonte descendentem de monte, in quo ruinæ urbis visuntur; properat ad rivum serpens ingens barbatus, tanquam sitim restincturus. Manifestum utique fit, urbem in alto sitam vastatam ac desolatam deplorari.

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. XI.

DE DIOMEDIS SEDIBUS IN APULIÆ LITTORE.

LIB. XI, 243 'Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra' etc., et supra VIII, 9 'Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem, Qui petat auxilium.' Qua arte poëta septimo libro Græcas colonias et populos, quorum originem veteres fabulæ a Græcis repetebant, Latinis et Rutulis in belli societatem adjunxit, eadem nunc ad Diomedem in extrema Italiæ ora de auxiliis petendis legatos mitti narrat.

Digitized by Google

Quorum auxiliorum adventum cum temporis angustiæ, quibus reliqua belli eventa includuntur, non admittant: legatorum reditu et renuntiatione auxilii negati præclare utitur Maro ad rerum exitum accelerandum et Latinorum consilia præcipitanda. Nam primum incidit (v. lib. XI, 225 sqq.) legatorum reditus in id tempus, quo ante paucos dies a Latinis parum prospere erat pugnatum, consiliaque eorum jam inclinatis animis ad pacem spectabant. Tum vero legati non modo negatum a Diomede auxilium renuntiant, verum etiam consilia ejus et mandata exponunt, quibus ad componendam cum Ænea pacem gravissime hortatur. Erant autem de Diomedis in Daunia, quæ Apuliæ pars est, sedibus fabulæ Græcorum antiquissimæ. Ibycum auctorem Schol. Pindari ad Nem. X, 12 excitat, sed cyclicis probabile fit poëtis illas esse tribuendas, iis inprimis, qui reditus Achivorum (*Νόστους*) carmine exposuerant (cf. sup. ad v. 265. Ad eorum exemplum *Diomedea* libris XII scripta erat a Julio Antonio: ap. Schol. Horat. IV, 2, 33, uti *Phæacis* a Tuticano, et *reditus Menelai et Helenæ* a Lupo: Ovid. ex Ponto IV, 16, 26. 27). Redux enim a Troja Argos factus Diomedes (vid. Odyss. *Γ*, 180 sq.), cognitis uxoris Ægialeæ et adulteri Cometæ, Stheneli f., insidiis, iterum naves conscendit, et post multos errores (cf. Ovid. XIV Met. 478 sqq.), quibus etiam Ætoliam adiisse ferebatur (v. c. Antonin. Metam. c. 37, ubi cf. Not., et ad ea add. Not. ad Apollodor. p. 129 sqq.), cum sociis Doriensibus, quos adduxerat, in Sinum Adriaticum evectus, in Daunorum finibus consedit, et Dauni regis filia in matrimonium ducta urbem condidit, cui ab Argis Peloponnesi, quibus imperaverat et quorum antiquum nomen *Ἄργος Ἵππιον* fuit, hoc ipsum nomen *Argos Hippium* imposuisse fertur; quod postea in *Argyrippam*, tandemque in *Arpos* contractum esse aiunt. Hæc est *Diomedis urbs* lib. VIII, 9. XI, 226, et *Ætoli Arpi* lib. X, 28, et lib. XI, 246. 247 'Ille urbem Argyripam patriæ cognomine gentis Victor Gargani condebat Iapygis arvis:' conf. Serv. ad VIII, 9. Cluver. Ital. ant. p. 1215 sqq. Postea aliarum quoque urbium primordia ad Diomedem referri cœ-

Digitized by Google

pere: ut Brundisii, ap. Justin. XII, 2, etsi alii (Strab. VI, p. 432 A.) Cretensibus hanc urbem vindicant; tum Beneventi et Æquitutici: Serv. ad Æn. VIII, 9. Venusiam, Canusium, Garganum, Beneventum, Venafrum idem ad XI, 246 memorat, Sipuntum Strabo VI, p. 435 B. Fuere etiam aliæ terræ, quas adiisse narratus est Diomedes: nec modo in locis vicinis, ut insulam Corcyram (fragm. Heraclid. de rep. pag. 28), verum in Libyam adductus fuit a Juba Libycorum III (Plutarch. Parallel. p. 311 D.). De Diomedis autem erroribus omnino videndi Strabo VI, p. 434. 435. 436. Lycophron. v. 592—632 et ex eo Schol. Iliad. *E*, 421.

Objacent littori Apuliæ, contra montem Garganum, qui in promontorium ad mare procurrit, insulæ numero tres; cum tamen tertia saxosa sit, duæ tantum numerari solent; quarum unam vetustas *insulam Diomedeam* appellavit (occurrit jam apud Scymnum Chium v. 430. 431. 432. Duas Strabo memorat, alteram habitatam, alteram desertam, lib. VI, p. 435 A.); nunc Isola *di Tremiti* est, a terræ motibus, quorum vestigia multa in ea occurrunt. In hac Diomedes hominum conspectui subductus ac pro Deo cultus fertur: monumento quoque ac delubro ad seriorem ætatem prostante: v. Plin. lib. III extr. X, 44 s. 61. Inter Deos receptum jam Pindarus memoravit Nem. X, 12. Socios autem in aves mutatos vulgata satis fabula tulit: quibus hinc *avium Diomedearum* nomen: v. inprimis Ovid. Met. XIV, 457 sqq. et noster poëta XI, 271—274 'Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur, Et socii amissi petierunt æthera pennis, Fluminibusque vagantur aves—et scopulos lacrymosis vocibus implent.' Ortum fabulæ dedisse videtur certum avium genus, circa hæc loca sola, ut volunt, visi solitum, de quo locus class. Plin. X, 44 s. 61 et auctor de Mirab. Auscult. c. 80 (p. 722. 723). Plinium vel alium inde ductum scriptorem exscripsit Augustinus C. D. XVIII, 16. Non diversa admodum est narratio de Leuce Achillis insula in ostiis seu Borysthenis, seu Tyræ, seu Istri, ubi avium similis cura circa Achillis tumulum narratur ab Arriano in Periplo M. Eux. p. 22 et, qui primo loco erat commemorandus, a

Digitized by Google

Scymno Chio in Fragm. p. 45 To. II Geogr. Huds. it. Antigon. in Admir. c. 134 (ed. Beckman. p. 236.) et Plin. X, 41. Cf. de hac insula Vauvilliers Notas ad Sophocl. T. II, p. 61. Tertium simile his avium genus nobilius forte ceteris fuit *Meleagridum*, ad tumulum Meleagri in Ætolia visarum: de quibus v. Ælian. H. A. IV, 42, ubi cf. Schneider et Antonin. Metamorph. c. 2. Antigon. Caryst. II. et ibi Beckman. qui judicium eorum firmavit qui eas esse censent nostras *Perlhüner, Pintades:* v. Plinius X, 26 s. 37. 38. quas iterum ex Africæ occidentalibus oris in Europam apportarunt Franci Sæc. XIV. Exornaverat fabulam in *Meleagro* suo Sophocles, de quo v. Plin. XXXVII s. 11, 1.

Habemus Benedicti Cochorellæ descriptionem insulæ Tremitanæ in Thesauro Italiæ repetitam; multa hic de avibus his, quas nunc *Artenas* appellant, narrantur; nec tamen inde certos avium harum characteres colligere licet, ut appareat, an ad larorum genus referendæ sint. Nec Aldrovandus Ornithol. lib. XIX, 3, qui accuratius de his avibus egit quemque alii fere sequuntur, quicquam definit: etsi ille habuit ad se transmissam ex insula avem ex hoc genere. Nunc tamen inter Procellarias, ex anserino genere, referunt naturæ rerum auctores: apud Linnæum *Procellaria Puffinus* est. Cf. Schneider ad reliqua Friderici II. Imp. auctar. Vol. II, p. 159. Sed bene Willoughbeius et Rayus monent, expectandos esse meliores auctores. Anatibus ampliores secundum Cochorellam, diem piscando in medio pelago exigunt, in scopulorum cavernis nidificant (quam recte itaque Virgilius posuerit 'Fluminibusque vagantur aves,' non dicam. Solertius Lycophron. l. c. v. 595 οἳ θαλασσίαν δίαιταν αἰνήσουσι.), solo adipe probantur incolis, quo pro medicamento illi utuntur: clamore imitantur vagitum puerorum et κινυρισμὸν, unde docte Maro: 'scopulos lacrymosis vocibus implent,' eod. loc. XI, 274. Plinius l. c. *fulicarum similes* ait; oloribus assimilat Lycophron l. c. v. 597. Et Ovid. XIV Met. 509 'Si volucrum quæ sit subitarum forma requiris, Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis.' At Servius ad XI, 271 et Tzetzes ad Lycophr. l. c. ἰρωδιοὺς

Digitized by Google

interpretantur, quæ *ardeæ* essent; sed his vix accenseri possunt. (Nunc plura de his allata sunt a Beckmanno ad Mirab. Audit. c. 80 p. 157 sq. Hoc unum addam, haberi quoque avium Diomedearum descriptionem et imaginem in Veryard's Account of divers choice Remarks taken in a Journey p. 359, 1701 fol.; sed nec is scientia naturæ satis fuit instructus.) Varie ornata a poëtis est fabula de sociis in aves mutatis seu vivo seu mortuo Diomede. Ita Illyriis accedentibus infestæ, Græcis amicæ aves esse narratæ sunt: Antonin. l. c. Plin. l. c. Strabo VI, p. 435 A. Ælian. H. A. I, 1, ubi v. Schneider. Recedit ab aliis auctor de mirab. Auscult. l. c., qui aves extitisse ait Diomede *ab Ænea*, qui *rex illa loca tenebat*, per insidias occiso. Potest ὑπὸ τοῦ Αἰνέου videri mutandum in ὑπὸ τοῦ Δαύνου: sic enim olim nonnulli tradiderant: v. Schol. Lycophr. ad v. 603; nam omnino diversæ de Diomedis morte erant narrationes, monente Strabone l. c. p. 436. De Ænea cogitare non licet: nam congressum eum cum Diomede nemo veterum tradidit, Pausania teste lib. I, 11 f.

Unum adhuc commemorare juvat, quod Plinius lib. XII, 3 notavit (ex Theophrasto H. Plant. IV, 7), primam *platanum* in hanc insulam ad Diomedis tumulum ornandum fuisse invectam, inde in Siciliam transgressam, mox Italiæ donatam ad alias terras pervenisse. Quantum tamen ex Cichorella intelligitur, ex insula illa nunc exulat. Fuit similis fabula de *myrto* primum in Elpenoris tumulo enata: vid. Plin. XV, s. 36. Cf. sup. Excurs. I ad lib. VII sub f. Late autem Diomedis nomen per Italiam pertinuit. Nam non Arpis modo sed Metaponti ac Thuriis pro heroë cultus fertur: vid. Schol. Pindari ad Nem. X, 12. Plurium idem urbium habitus conditor, ut supra commemoratum est. Et monstrata vetusta donaria Diomedis et sociorum arma Luceriæ in templo Minervæ: Strab. VI, p. 434 C. et auctor Mirab. Narrat. 117, torques aureus in templo Dianæ in Peucetiis ibid. cap. 120. Quod vero multo etiam magis mireris, in intimo Sinus Adriatici recessu inter Venetos ad Timavum fuisse traditur fanum Diomedis: v. Strabo lib. V,

Digitized by Google

p. 328. 329. VI, p. 435 B, aliudque inter Umbros circa Anconam, ut Scylax narrat in Periplo p. 6; apud Plin. III, 20 urbs Spina, ad ostium Padi Spineticum, *condita a Diomede.* Alias de Diomede narrationes v. ap. Strab. VI, p. 436. Vix videtur in his fides Græcis esse habenda: qui, cum heroëm indigetem in iis locis coli audiissent, forsan more suo Diomedem eum interpretati sunt. Verum a me hæc eo nunc commemorantur, ut intelligatur, fabulam de Diomedis in Italia sedibus fuisse satis nobilem inter veteres, ut poëta ea uti potuerit; usum autem esse ea poëtam ad narrationem variandam et ornandam accommodate.

EXCURSUS II.

DE CAMILLA.

XI, 532 sqq. 539 sqq. 'Pulsus ob invidiam.' Episodium hoc poëta ex antiquis Italorum historiis seu fabulis contexuisse putandus est. Ex Servio ad v. 567 colligi potest, Catonem hæc latius esse persecutum in Origg. quæ ipsa res excusare poterat factum per se portento simile, ut hastæ alligatam infantem trans amnem aliquis ita trajiciat, ut ripæ adversæ infigatur hasta, sine infantis noxa, quam cum illa humeris aut tergo illigata transnare amnem. Quod de Pyrrho, Epiri rege, puero narratum aiunt simile, plane diversum est, si Plutarchum inspicias. Diversus autem utique hic Metabus ab eo, qui ex Troja redux Metapontum in extrema Italia condidisse ferebatur. Is, de quo hic agitur, rex Priverni, quod Volscorum oppidum fuit (nunc vicus *Piperno*), per seditionem a suis pulsus, Camilla filia infante secum ducta, Amaseno trajecto, in sylvis educavit filiam Dianæ consecratam. Non importuna est fabula ad variandam narrationem de bellico apparatu, et tenet animum ex-

Digitized by Google

pectatione fatorum Camillæ, de qua narrationem nunc instituit poëta. Interea huic episodio ultima poëtæ manus non admota esse videtur, cum narratio cum ipso Æneidis argumento omnino non satis coaluerit, Opis autem a Diana missæ ministerium vix eum, quem expectabamus, effectum habeat. Non poterat a morte fatali vindicare Camillam suam Diana; ut nec Jupiter Sarpedonem, nec alii Dii alios heroës: quod tamen idem Jupiter in Sarpedone sibi licere ait, quodque etiam providet, ut ejus corpus, victoris ludibrio subductum, in Lyciam abducatur, id hoc loco Diana curandum sibi sumit. Mittitur Opis, Dianæ arcu instructa, ut Camillæ interemtorem conficiat. Illa Aruntem cæde Camillæ exultantem sagitta transfigit, statimque ad Olympum evolat, v. 863. 867. Erat tamen, antequam discederet, corpus pugnæ subducendum et in patriam deportandum, quod ipsa Dea promiserat se facturam v. 593. 594, ne spoliaretur aut truncaretur. Atqui hoc poëta non attigit: in quo excusari forte potest; ad artificium tamen poëtæ referre hunc defectum nolim cum Servio ad v. 593. Ut autem hæc narratio vim ad animos advertendos habeat, ponendum est, fuisse apud Volscos vetus Camillæ monumentum: uti Sarpedonis in Lycia habebatur sepulcrum, quo delatum ejus corpus Homerus narrare voluit Iliad. *Π*, 453 sqq. Ceterum ex Camilla Clorindam Tassi tanquam exemplum esse expressam satis constat: vid. Gierusal. lib. Canto XII, St. 20 sqq.

EXCURSUS III.

DE CHLAMYDE IN NODUM COLLECTA.

775. 6. De Arrunte Phryge: 'tum croceam chlamydemque sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro.' Plura sunt, quæ dubitationem facere possint.

Digitized by Google

Primo, sintne idem *chlamys sinusque*, an sint diversa: si diversa sunt, *sinus* sunt pallæ, cui superinduta chlamys fuit; tum *sinus* proprie in palla dictus est, et *nodus* esse potest cingulum, seu balteus aureus, quo palla colligebatur, ut ilia ambiret; uti supra dictum accepi nodum: I, 324 'nodoque sinus collecta fluentes:' ubi v. Notam. idem quod IV, 139 'aurea purpuream subnectit fibula vestem:' etiam in balteo. Sicque Statius Theb. IV, 266 'undantemque sinum nodis irrugat Iberis:' vestem colligit et astringit balteo purpureo. Claudian. in Prob. et Olyb. Cos. I, 89 'nodus, qui sublevat ensem, Album puniceo pectus discriminat ostro.'

Jam autem h. l. legimus, Arruntem 'chlamydemque sinusque in nodum collegisse;' adeoque utrique idem tribuitur, ut *chlamys* non minus quam palla *balteo* fuerit astricta. Atqui *chlamys non balteo* constringitur, sed *fibula:* id quod e marmoribus et poëtarum locis satis constat. Notum est vel ex Cod. XI, 11, 1 'Fibulis quoque in chlamydibus his utantur, quæ solo auro et arte pretiosæ sunt.' Restat itaque, ut de *sola chlamyde* poëtam agere et chlamydi improprie *sinus* tribui dicamus, et hos sinus de plicarum sinubus accipiamus; hactenus enim chlamys bene sinuosa dici potest. Manendum itaque in eo, quod in nota posui; 'chlamydem e tenui linteo, croceo colore, constrinxerat Arruns in humero fibula aurea.'

Hactenus ex verbis est disputatum. Atqui cum verbis exploranda erat ipsa res. Versamur scilicet *in amictu Phrygio;* atque hic erat primo loco consulendus. Extant autem ejus exempla in priscæ artis operibus. Nobile est signum, olim in Palatio Altemps servatum, postea in Museum Pio-Clementinum translatum (Tom. II, t. 37. et antea in Raccolta t. CXXIV) quod vulgo Paridis sedentis editur: potiore saltem jure quam tot alia nudum Paridem cum pomo in manu referre credita. Ut braccas et pileum Phrygium omittam, indutus ille est tunica duplici, interiore manicata, altera exteriore ei injecta, et balteo supra femora astricta; superinducta ei chlamyde ampla a tergo defluente; apparet in humero dextro fibula, qua chlamydem tanquam vinculo

Digitized by Google

teneri facile existimes. Clarior res est in alio signo, Midæ illud edunt, in Monimentis Matthæianis t. XCVI, cujus truncus ex alabastrite temere refectus est capite manibusque ex marmore Numidico. Sed truncus præclarum est exemplum habitus Phrygii. Conveniunt in eandem speciem duo signa eodem in loco reperta, simillima inter se, sibique respondentia, quorum alterum sub Paridis nomine exhibuit Guattani (Monimenti inediti ad a. LXXXVII. p. 37. III.) alterum, majore cum sagacitate, sub ministri Mithriaci nomine Visconti Mus. Pio-Clement. Tom. III, tab. XXI.

Conspicitur similis, aut accedens iis, vestitus in aliis antiquis fragmentis. Ad majorem mollitiem comparatus est alius vestitus tenuissimæ materiæ, ventre nudato. (v. c. in Mus. Flor. III, LXXX.) Male enim audiere Phryges antiquissimis ætatibus propter mollitiem, increbescente inter eos luxu ex opibus, scilicet, quas aurum in iis locis Phrygiæ et Lydiæ, etiam in amnibus, repertum invexerat. Multa alia addi possent, si his locus hic esset; verum ad rem sufficit, ex Phrygiis quoque operibus apparere, innui a poëta chlamydem Phrygiam fibulam astrictam in humero.

Sunt omnino in amictu Phrygio nonnulla notabiliora. Scilicet, etsi ille ad luxum et mollitiem accommodatus est, apparet tamen e borealibus locis eum deductum ejusque usum antiquiorem inter gelidæ plagæ incolas fuisse, quippe quibus totum corpus vestibus involvere, ipsaque femora et crura tegere mos est a natura monstratus. Spectat hoc ad Phrygum origines: quippe quos e locis borealibus cum Thracibus in Macedoniam descendisse hincque in Asiam trajecisse antiqua fama fuit. Itaque vestitus communis iis est cum habitu Dacorum, Parthorum, aliorumque barbarorum a septentrione ad mitius cœlum solumque profectorum. Aliud est, quod ad illustrationem commemorabo. Multa sunt anaglypha Mithriaca, in quibus Mithres expressus est simili prorsus ejus, qui Phrygum fuit, habitu: quo ipso firmatur id, quod viri docti docuerunt, religiones illas non a Persis esse traditas, sed in Asia occidentali inter barbaros repertas, interpolatis et permixtis sacris a Persis ductis;

Digitized by Google

barbaros eos Phrygicæ originis fuisse, ipso signorum habitu apparet. Simile judicium, aut, si mavis, suspicionem facere licet de Deo Luno, qui et ipse Phrygio habitu in numis, gemmis, sigillisque occurrit; ut ad Phrygias superstitiones ejus prima notio referenda esse videatur. Fuit enim, nescio quomodo, interior ille Asiæ minoris tractus usque ad Euphratem fœcundus superstitionum generibus variis varie permixtis et confusis: quibus pro fundo suberat frugum mater Terra cum puero Aty, antiquissima religio, per se sane simplicissima.

Fuere autem olim signa Phrygio amictu valde frequentata artificibus, quippe ipso habitu peregrino conspicua, et religionibus Phrygiis late disseminatis. Etiam Pelops expressus erat amictu Phrygio, ap. Philostratum Imag. I, 30.

EXCURSUS I.

AD ÆNEIDOS LIB. XII.

SUPER TEMPORIS SPATIO, IN QUOD SEX POSTERIORUM ÆNEIDIS LIBRORUM RES GESTÆ A POETA DISPESCUNTUR.

Lib. XII, 113 'Postera vix summos.' Erunt forte, qui vix fidem habeant mihi affirmanti, paucorum dierum acta sex posteriorum Æneidis librorum argumentum explere. Ita tamen res se habet: nondum viginti dies exiise doceri potest, cum Turni cæde facta tota Æneis absolvitur. Sub æstatis exitum Æneam ad Italiam classem ex mente poëtæ appellere supra docuimus Exc. II extr. libri III. Ingressi Tiberis ostia Trojani escendunt et in littore cœnam capiunt lib. VII, 107—147. Altero die explorant terras. Missi legati ad Latinum facto fœdere pactoque Æneæ cum Lavinia conjugio redeunt in castra, quæ interea fossa et vallo cinxerat Trojanus: v. 148—285. Inde Junonis odia et fraudes ad

Digitized by Google

turbandas Latii res: 296 sqq. Turni animum per somnum (v. 414) ipsa Alecto ira et furore incendit. Tertio die seruntur causæ belli inter Trojanos et Latinos: Turnus Laurentum profectus parat arma, edicit bellum, auxilia colligit. Recte nunc ab omni temporis memoratione abstinet poëta: sed paulo post sub libri VIII initium iterum temporum notas adjungit. Viso nocturno monitus Æneas iter parat ad Evandrum. Orto die bina navigia instruit adversoque Tiberi evectus sub meridiem collem Palatinum, quem Evander tenebat, prospicit VIII, 79—97 sqq. Hospitio ab eo benigne exceptus (169 sqq.), dieque et nocte cum eo exacta v. 367—369 altero die (455 sqq.) Evandri monitu Agyllam seu Cære Etruriæ urbem adit Æneas et Tarchonem ad armorum societatem pellicit v. 604 sq.

Interea nuntio de Æneæ absentia accepto Turnus vallum Trojanorum oppugnat, classem incendit: IX, 1—158. Nocte insecuta Nisus et Euryalus ad Æneam missi interimuntur 159—458. Altero die, qui idem ille est, quo Æneas Cæretanos adierat, Rutuli castra Trojanorum omni vi oppugnant 459 'Et jam prima novo spargebat lumine terras—Aurora'— Irrumpit in castra Turnus, iterum expellitur lib. IX. Habetur concilium Deorum X, 1—117. Interea Rutuli pergunt vallum oppugnare 118—145, donec nox supervenit: quod intelligitur ex v. 146 sqq. Altero mane, qui quartus erat dies, adest Æneas cum auxiliis ex Etruria. Is, superiore die (eodem illo, quo pugna ad castra Trojanorum facta erat) exeunte, navibus conscensis Agylla seu Cære solverat, totamque noctem iter mari acceleraverat: hoc est X, 147 'media Æneas freta nocte secabat.' Noctu Nymphas, olim naves suas, sibi occurrere videt v. 215 sqq. Ab iis, quæ gesta sint superiore die, accipit. Copiis expositis Æneas pugnam facit; finitur illa Mezentii cæde: X ad f. Altero die, quintus is est (XI, 1), Æneas tropæum statuit, Pallantis corpus ad patrem Evandrum remittit, Latinis inducias in XII dies dat: e quibus tantum quid altero ac tertio die factum sit, memoratur 182 sqq. 210 sq., concrematio cadaverum et luctus. Interea, pergit poëta v. 225,

Digitized by Google

Venulus a Diomede redit, qui auxilia denegaverat. Cogitur consilium: in quo dum Drances et Turnus altercantur, ecce affertur nuntius, Æneam castra movisse et adversus Laurentum exercitum ducere: v. 445, quod non nisi induciarum tempore elapso, adeoque die XIII factum credere licet. Capit Turnus insidiarum locum, et equites in camporum planitiem præmittit. Sed audito, pugna equestri facta Latinos fugere, relictis insidiis ad urbem properat: atque hic ne pugnam cum Ænea faceret, nox ingruens intercedit: v. vs. ult. Æn. XI. Turnus Æneam in alterum diem ad singulare certamen provocat XII, 76 'Cum primum crastina cœlo' etc. Ortus dies v. 113 'Postera vix summos' etc. Prodit Latinus in campum ante urbem ad fœdus feriendum, quo leges certaminis scribuntur. Turbato fœdere, vulneratur Æneas, instauratur pugna. Sanatus a vulnere Æneas Veneris matris interventu, in pugnam redit, Turnum per ordines frustra insequitur. Repente hinc ad mœnia Laurentum partem exercitus ducit 554. Tandem ad urbem tuendam advolat Turnus, et cum Ænea congressus occiditur. Quæ omnia ad poëtæ mentem eodem die XIII gesta esse necesse est.

EXCURSUS II.

DE JUNONIS DEORUMQUE INTERVENTU IN EXTREMA PARTE ÆNEIDIS.

XII, 134 'At Juno e summo, qui nunc Albanus habetur' etc. 791 'Junonem interea—pugnas de nube tuentem;' et 841. 842 'Annuit his Juno et mentem lætata retorsit. Interea excedit cœlo nubemque relinquit.' Ut post illa, quæ de Deorum ministeriis et Junonis odiis universe disputata sunt (Disquis. I s. VII. Excurs. I* ad Æn. I passimque in Notis, ut ad IX, 802), ea illustrentur, quæ in h. l. commentatus sum, placet hic sub unum conspectum adducere, quæ

Digitized by Google

Deorum, Junonisque in primis, in posterioribus sex libris partes, quod ministerium fuerit. Apparebit vel ex his, verum esse quod aliquoties monui, hac in carminis parte longe inferiorem esse Maronem Homero, cui Deorum interventus non pro figmento et jucundo mendacio erat: sed res a priscis hominibus credita ac tradita, ac veterum ætatum ingeniis et mentibus ita frequentata, ipso sermonis genio, carminum perpetuo argumento, narrationum ad solitum exemplum institutarum more ac consuetudine, tam familiaris facta, ut videre, audire, Deos sibi viderentur in mediis rebus agendis versantes. Juno, cujus arte et consilio classis Trojanorum e Sicilia Italiam petens primum ad Africæ littora tempestate delata (lib. I, 38 sqq.), mox, cum frustra hoc actum esset, ut Didonis amore irretitus Æneas Carthagine retineretur, in Sicilia combusta fuerat (lib. V, 604 sqq.), ubi Trojanos ad Latii littus appulisse videt (VII, 286 sqq.), ne nihil, quo fata differre saltem liceret, intentatum relinqueret, unam ex Furiis excitat et Latium discordiis miscet. Dum Æneas absens Evandri et Etruscorum auxilia conquirit, Venusque mater ei arma Vulcani arte parat (VIII, 370 sq.), Juno Iride missa Turnum excitat, ut Æenea absente Trojanorum castra seu urbem ac munitiones oppugnet; lib. IX, 1 sqq. Inter hanc oppugnationem Turnus in castra jam irruperat: cum Junoni per Iridem a Jove missam interdicitur, ne ulterius pro Turno contendat et in pugna allaboret: ibid. IX, 802 sqq.

Consilio habito, Jupiter Diis persuadere vult, ut dissidiis compositis nihil ultra intercedant, quo minus fatalis sedes in Italia Æneæ contingat: lib. X, 1 sqq. Quandoquidem monitis precibusque nullum dari locum videt, objurgatis graviter Diis declarat, fatis se omnia esse permissurum v. 105 sqq. Nec tamen hoc ita observari videas in sqq., quin Juturna Turnum fratrem moneat, ut Lausum Pallantis manibus eripiat v. 438. Juno autem ipsa Turnum eluso Æneæ pugnæ subducat: v. 606. Contra Jovis monitu Mezentius in pugnam succedit v. 689. Juno ad cœlum statim redierat (v. 663. 664). Nam paulo post ea cum Venere inter

Digitized by Google

Deos memoratur, qui ex Olympo pugnam prospectant 758. Etiam Diana Opim mittit Nympham, ut Camillæ mortem ulciscatur lib. XI, 532—567. Interea Jupiter Tarchonem Etruscum incitat, ut firmatis animis turmas ad pugnandum reducat v. 726.

Instabat jam singulare Turni cum Ænea certamen. Juno, quæ Turno timebat, dirimere saltem ac differre pugnam studet. Nunc inducitur illa ex monte Albano prospiciens pugnam, unde Juturnam mittit: XII, 134 sqq., ut fratri suo succurrat. Ut hoc poëtæ commentum satis se phantasmate rerum commendet, cogitandum est, Juturnam esse Nymphám fluvii et lacus Latii, qui non longe aberat ab Albano monte. Igitur in hunc descenderat Juno, ut cum Juturna super communibus rebus ageret; inde eam iterum ad Olympum reversam esse (v. 159. 160) statuendum est. Nam aliquando post v. 792 illa in nubibus hæret despectans pugnam et de Turno solicita. Hic Jupiter ad eam accedit, utque in fatorum placitis illa acquiescat tandem obtinet. Quo facto Juno 'cœlo excedit nubemque relinquit,' adeoque ad suam sedem in Olympo redit.

EXCURSUS III.

DE REBUS GESTIS ET FATIS ÆNEÆ INDE AB ADVENTU IN ITALIAM, ET DE POETÆ ARTIFICIO IN HIS REBUS TRACTANDIS ET ORNANDIS.

XII, 189 sqq. 'Non ego nec Teucris Italos parere jubebo, Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambæ Invictæ gentes æterna in fœdera mittant. Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto; Imperium solenne socer: mihi mœnia Teucri Constituent, urbique dabit Lavinia nomen,' et v. 821 sq. 'Cum jam connubis pacem felicibus, esto, Component, cum jam leges et fœdera jungent: Ne vetus

Digitized by Google

indigenas nomen mutare Latinos, Neu Troas fieri jubeas Teucrosque vocari; Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes. Sit Latium; sint Albani per sæcula reges; Sit Romana potens Itala virtute propago; Occidit, occideritque, sinas, cum nomine Troja.'

Observationes super his subjungam nonnullas; quæ tanquam pro supplemento rerum in Æneide tractatarum sint, etsi non valde doctas ac reconditas, quasque adeo mens tam longi operis decursu fessa secum ferre, justi oneris leve superpondium, non refugiat.

Et primum quidem ingeniose hoc factum, quod *futurum Latii statum*, quem majorum primo sermonibus servata, tum a priscis scriptoribus litteris prodita, memoria ad posteritatem pertulerat, *tanquam fœdere jam ab initio constitutum* memoravit et commode loco intexuit. Cessere Trojani in Latinorum nomen. Cum tamen Æneas, dum viveret Latinus, suos Trojanos discretos ab iis haberet, nec eos cum Aboriginibus misceret, nisi ex quo Latinus vivere desierat: expectari poterat, Latinos potius in Trojanorum nomen abituros esse. Obscurum est, qua ratione id factum sit, et diversis modis factum id narratur. Solerter itaque inventum a poëta, ut fœderis de bello per certamen singulare dirimendo conditionibus hæc constituerentur. Conditiones igitur hæ habendæ: *Trojani victi agro Laurentum excedunto; victores æquo jure cum Latinis utuntor; Latinus imperium et summum jus habeto: religiones suas Trojani Latinis impertiunto: condendæ urbi locus Trojanis assignator.* Jam hæc non sine omni historiæ auctoritate a poëta esse ficta, ex iis intelligitur, quæ, etsi inter diversas ceterarum rerum narrationes, de pace et fœdere inter Æneam et Latinum inito tradita legimus. Apud Dionysium I, 59 ex communi commemoratione, quam ibi exponit, ante congressum utriusque exercitus fœdus factum inter Æneam et Latinum in has leges: ut Trojani acciperent tantum agri, quantum a colle (cui Lavinium impositum) quoquo versum euntibus stadia circiter XL pateret; ut porro mutua inter Trojanos et Latinos et præsentis belli adversus Rutulos et ceterorum bellorum

Digitized by Google

esset societas, utque communes utilitates utrique et manu et consilio communiter persequerentur. Prima conditio hoc loco omissa, cum jam ad alterius narrationis morem deflexa sup. lib. XI, 317 sqq. ea esset exposita; sed amicitiam mutuam bellique societatem ('ut communes hostes amicosque haberent,' Auctor de O. G. R. 13) accuratius poëta executus est secundum ea, quæ fœdere facto evenisse narrata sunt. Dat Æneæ Latinus filiam Laviniam in matrimonium: quod exemplum secuti alii, brevi in unum populum coalescunt, Trojani et Aborigines, abeuntque in nomen Latinorum: conf. Dionys. I, 60. Partem harum rerum inter Junonis preces Jovis nutu ratas factas retulit lib. XII, 821 sqq. 'Cum jam connubis pacem felicibus, esto, Component—Neu Troas fieri jubeas' etc. Ceterum illa, quæ supra in pacis conditionibus vidimus, ut Latinus imperii summam retineret, tum hoc: ut sermonem, habitum, nomen ab Aboriginibus Trojani asciscerent, respexit poëta in Didonis diris lib. IV, 618, cum *pacem iniquam* vocat, cui Æneas se submissurus sit. Parum verisimile est, quod Livius I, 2 tradit: Nomen Latinorum utrique genti impositum, 'ut adversus terrorem belli cum Rutulis animos Aboriginum sibi conciliaret: ne sub eodem jure solum sed etiam nomine omnes essent.'

Altera est observatio artificii, quo poëta e rebus et factis plurium annorum post Æneæ ad Italiam aditum elegit potiora, distribuit ac disposuit sic, ut in summa carminis comprehendi ea possent. De quibus ut melius constet, subjiciemus tanquam sub unum obtutum varias scriptorum veterum his de rebus narrationes.

Fuisse primum, qui omnino negarint vel dubitarint, an unquam Æneas Italiam adierit, alios, qui adiisse quidem, sed, Ascanio relicto regno, in Asiam rediisse tradiderint, utrosque prava Homericorum versuum interpretatione adductos, jam alio loco monitum est: Disquis. II s. II sq. cf. Dionys. I, 53. Sed eorum, qui Æneæ accessum ad Italiam tanquam historiarum fide acceptam tradiderant, vulgarem narrationem hanc apposuit Dionysius lib. I, 56, quam brevi-

Digitized by Google

ter hic memorabimus, ut, quæ poëta noster inde aut transtulerit aut immutarit, uno haustu cognosci possit. Qui videre velet ea, quæ alii diversa tradiderunt, adeat Livium, Strabonem, Aurel. Victorem, alios. Capto igitur ex suis albæ fœtu ostento narratum est, Æneæ, in condenda urbe, quæ mox Lavinii nomen acceptura erat (nam de hac ille loquitur, non de Troja), occupato, supervenisse Latinum regem, qui tum adversus Rutulos copias eduxerat. Moniti uterque in sequente nocte, alter a Penatibus, alter ab heroë Indigete per visum oblato, cum dies illuxisset, fœdus inter se faciunt, quod supra memoratum est; tum Trojani cum Latinis bellum adversus Rutulos repetitum brevi conficiunt; indeque reversi urbem absolvunt, Lavinii nomine imposito. Erant quoque templa et alia ornamenta Lavinii, quæ ad Æneam auctorem referebantur (Dionys. I, 64). Hactenus Trojanis solis imperaverat Æneas, sed mortuo Latino in universum regnum succedit; factum hoc in bello adversus Rutulos, qui iterum a Latinis defecerant auctore Turno, Amatæ, Latini uxoris, consobrino, et ob nuptias Laviniæ ab extero interceptas irato, Amata quoque instigante. Ita bello conflato acre prælium commissum, quo Latinus et Turnus (in quo consentit Justin. XLIII, 1, 11) cum aliis ceciderunt, Æneas tamen victoriam adeptus est. Hoc erat, quod Jupiter prædixerat lib. I, 267 'Bellum ingens geret Italia populosque feroces Contundet' etc. Nec multum abeunt Livius, Strabo, et quorum potior auctoritas habenda, Lutatius Catulus apud Victor. O. G. R. 13. Cato apud Servium IV, 620, etsi locus corruptus. Dionysium exscripsit Zonaras VII pr.

Cum autem Æneas post Latini obitum aliquod tempus solus regnasset, iterum rebellarunt Rutuli, assumto in belli societatem Mezentio Etruscorum rege. Commissum non longe a Lavinio prælium ad Numicium flumen nox diremit: desideratus Æneas, seu quod cæsus seu quod flumine mersus perierat, mox pro heroë, patris Dei Indigetis nomine, coli cœpit. Eo spectant Æn. I, 267 sqq. diræ Didonis IV,

Digitized by Google

615 sq. et Jovis verba XII, 794 'Indigetem Æneam scis ipsa et scire fateris Deberi cœlo' etc.

Ita Ascanius succedit in regno. Obsessa urbs Lavinium ab Etruscis: sed solvitur obsidio mox alio prælio facto, quo Mezentius victus, cæso filio Lauso, pacem cum Ascanio facit. Disertius hæc narrata a Dionys. I, 64. 65. Ex priscis scriptoribus, qui hæc ita tradiderant, L. Julius Cæsar lib. I et A. Postumius in lib. 'de adventu Æneæ' fuerant, ut ex Victore O. G. R. 15 discimus. Avide autem cognoscimus ea, quæ vetustissimi scriptores his de rebus tradiderant; Livius enim in magna narrationum diversitate tantum unam fere sequitur, non semper eo cum judicio, eave cum subtilitate, quæ nunc a scriptore rerum priscarum requiri solet. Quæ alii diversa tradant, potissimum hæc sunt: Etiam alterum cum Rutulis bellum Turni odiis et consiliis tribuitur a Livio I, 2, qui in reliquis fere cum Dionysio consentit; nec discesserat ab eo Appianus, quantum ex Excerpto Photiano intelligas. Mezentium, regem Etruriæ, Cæretibus tum imperitantem tradunt et Livius et Dionys., de quo v. Excurs. III ad lib. VIII. Euryleontem, mutato nomine Ascanium factum, seu Creusæ seu Laviniæ f. successisse, Appianus l. c. Secundum Livium I, 3 pax inter Ascanium Mezentiumque ita convenerat, 'ut Etruscis Latinisque fluvius Albula, quem nunc Tiberim vocant, finis esset.'

Nihil hinc in Latinorum rebus memorabile occurrit, nisi quod anno a condito Lavinio trigesimo ab Ascanio Alba conditur, loco opportuniore, quam cui Lavinium impositum fuerat. Transfertur in eam regni sedes: 'regnumque ab sede Lavini Transferet, et longam multa vi muniet Albam' Æn. I, 274. 275. Mortuo Ascanio succedit Sylvius ex Lavinia susceptus Æneæ, hincque procedit series illa regum Albanorum, quorum nomina seu tradita acceperant seu, ut cccc annorum decursum explerent, ex parte saltem invenerant scriptores Romani vetustiores, ex quibus hæc duxere Dionysius, Livius, Victor O. G. R. et Ovid. Met. XIV, 609 sqq., item Syncellus et Eusebius. Memoravit Maro Sylvium,

Digitized by Google

Procam, Capyn, Numitorem, et Sylvium Æneam: lib. VI, 760—770, repetito Sylvii nomine, quandoquidem *omnes cognomento Sylvii usque ad conditam Romam Albæ regnaverunt, ut est scriptum Annal. Pontifical. lib.* IV apud Victor. O. G. R. 17. Etiam Tybris, qui aliis Tiberinus, ante Latinum tamen, memoratur lib. VIII, 330 'Tum reges, asperque immani corpore Tybris: A quo post Itali fluvium cognomine Tybrim Diximus: amisit verum vetus Albula nomen.' Vetus hæc fuit commemoratio de Tiberis nomine; L. Cincium et Q. Lutatium Catulum auctorem excitat Victor O. G. R. 18, ad eorum saltem fidem, quos homo exscripsit. Cf. Dionys. I, 71. Si Syncellus p. 171 B ante se habuit auctorem veterem, cognomen *Albani* jam Saturnus inter Latinos habuit. Ab Alba quoque, tanquam prisco Tiberis nomine, Albam Longam, etsi satis longe a Tiberi remotam, nomen accepisse tradiderant nonnulli, ut ex Diodoro Siculo Syncellus p. 194 C notavit.

Tandem, ut superiora facilius animo comprehendere liceat, utque pertexamus annorum supra To. II Excurs. II ad lib. III inchoatam seriem, paucis notationes subjiciemus temporum, ad quæ res istæ revocari solent. Omnino notationes illas scriptorum, qui multis post sæculis antiquas res constituere et annis finire voluerunt, opera factas statuendum est: nam πατρόδοτα illa, et per aliquot sæculorum decursum patrum narratione ad posteritatem transmissa, et propter hoc ipsum in tam multis variata, vix annis suis tam accurate alligari jam tum potuere, cum primum a priscis hominibus narrata sunt. Neque adeo mirari debemus, si hos ipsos annos fluctuante admodum fide et auctoritate constitutos viderimus. Juvat tamen rationes ac modos persequi, quibus hæc digessit subtiliorum scriptorum diligentia.

Inter hæc tenendum, quod scriptores tertio ab exciso Ilio anno factum aiunt, ut Æneas ad Italiam accesserit, hoc Virgilium in septimum rejicere, id quod supra Exc. II ad lib. III vidimus. Itaque

a. C. N. 1178. Error. Æneæ 7.

Sub æstatis exitum, ad Virgilii mentem, Trojani classem ad

Digitized by Google

Laurentum appellunt: escensu facto Troja nova munitur: fœdus cum Latino factum repentinis animorum discordiis rumpitur: oritur bellum, quod Turni cæde intra mensis decursum finitur, v. paulo ante Exc. I, ut adeo Trojani sedibus in Latio acceptis de nova urbe Lavinio, ex fœdere condenda, cogitare jam tum possent. In hoc adeo Æneidis argumentum absolvi vidimus. Reliqua per episodia inserta passim sunt.

a. C. N. 1177. Error. Æneæ 8, ab adventu in Italiam 2.

Solis Trojanis imperat Æneas, ad Dionysii mentem lib. I, 64. Anni adventus Æneæ in Italiam ab autumno ad autumnum procedunt: adeoque annus hic pro primo et pro altero computari potest; sed hoc alterum usitatius.

a. C. N. 1176. a. adventus in Italiam 3.

Bellum Latinorum Trojanorumque cum Rutulis. Latinus et Turnus in prælio cadunt. Æneas solus utrique populo imperat: ad mentem Dionysii lib. I, 64.

Aliter Virgilius noster res Æneæ disposuit, secutus eos, qui Æneam tertio statim anno rebus humanis ereptum narraverant. Nam lib. I, 267—270 Jupiter Veneri Æneæ fata exponens: 'Bellum,' ait, 'ingens geret Italia populosque feroces Contundet, moresque viris et mœnia ponet; Tertia dum Latio regnantem viderit æstas, Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis,' quod scilicet primo statim anno erat factum. Et eo spectant diræ Didonis lib. IV, 618—620 'nec cum se sub leges pacis iniquæ Tradiderit, regno aut optata luce fruatur. Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.' Hæc de triennio Æneæ in Italia exacto narratio videtur hinc vulgatissima inter ceteras facta. Orosius quoque I, 18, Æneæ, 'qualia per triennium bella excitaverit, quantos populos implicuerit, odio excidioque afflixerit, ludi literarii disciplina nostræ quoque memoriæ inustum est,' ait, Virgilii in scholis prælectionem et interpretationem respiciens illo adhuc ævo, quod hinc discimus, fieri solitam.

Apud antiquiores tamen scriptores et chronographos de anno, quo Æneas decessit, diverse admodum traditum fuit.

Digitized by Google

Nam et ipse Dionysius tres eum annos cum Latino regnasse, quarto ab ejus morte anno in pugna cum Mezentio non amplius apparuisse narrat lib. I, 64. Apud Syncellum quoque p. 171 C. D. (unde Euseb. Hieron. idem habet) tres post Latinum annos, secundum alios octo, regnasse, tum, ut alii tradant, quarto, ut alii, duodecimo a Troja capta anno obiisse dicitur. Alio loco p. 194 fragmentum ex Diodori lib. VII servavit, quo memoratum erat, tertio a capta Troja anno Æneam regnum Latinorum obtinuisse per triennium.

a. C. N. 1173. a. adventus in Italiam 6.

Rutuli rebellant; jungit arma Mezentius, Etruscorum rex. Facto prælio Æneas interceptus nusquam deinde comparuit. Succedit in regno Latinorum Ascanius: obsidetur Lavinium: mox pugna facta Mezentius obsidionem solvit. Ita Dionys. I, 64. 65. Conf. Liv. I, 2. Victor O. G. R. 14.

a. C. N. 1148. a. adventus in Italiam 30.

Hoc anno ex Virgiliana supputatione Alba Longa conditur: ad veriorem tamen rationem quarto ante hunc anno a. C. N. 1152 *trigesimo* post Lavinium conditum, ut, si bene memini, omnes scriptores tempus finiunt: cf. Cerdam ad Æn. I, 273. Victor O. G. R. 17. Sic quoque diserte Virgilius lib. VIII, 47 inventa statim sub escensionem sue alba: 'Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis Ascanius clari condet cognominis Albam.' Paulo obscurius idem Jupiter ad Venerem vaticinatus erat lib. I, 271 'At puer Ascanius—Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit, regnumque ab sede Lavini Transferet, et longam multa vi muniet Albam.'

In duratione vero regni Albanorum et intervallo usque ad Romam conditam Virgilius a vera historiæ ratione et omnium scriptorum fide recedit, si unum, quem quidem novi, Justinum lib. XLIII, 1 excipias: apud quem Longa Alba—'quæ trecentis annis caput regni fuit:' sic autem Virgilius quoque in nobili versu lib. I, 276. 'Hic jam ter centum totos regnabitur annos.' Enimvero non CCC sed CCCC annos inter Albam et Romam conditam intercessisse summo consensu scriptores tradunt. In postumo libello Jo.

Digitized by Google

Martyni, Dissertations and Critical Remarks on the Æneid. Lond. 1770. 8, est Diss. VI super Albanis Regibus. Sed parum inde ad rem nostram proficias. Fide aliqua certa, et majorum fama accepta, traditum hoc vix arbitror: verum, cum in temporibus rerum Italicarum constituendis non nisi duo haberent cardines, *Trojam captam* et *Romam conditam*, aliis temporum notis deficientibus; ii, qui accurate ad annorum numeros digerere inceperant res priscas narratas, instituerunt computum ad rationem intervalli inter Trojæ excidium et Romæ exordia: quod, etsi ab diversis scriptoribus, pro epocha Trojæ captæ varie constituta, diversimode constitutum est (ita ut v. c. ii, qui, Herodoteum calculum secuti, Trojæ excidium centenis annis maturius evenisse volunt, intervallum inter illud et Romæ exordia ultra quingentos annos producant), ad CCCC tamen annos a plerisque producitur. Secundum tutiores quidem calculos 430 (ad Varr., et 432 ad Caton. æram) annis finiri videtur: deductis inde annis errorum Æneæ et intervalli inter Lavinium et Albam conditam, quod XXX annorum est, facile intelligitur, saltem ad 397 vel 398 annos Albani regni usque ad Romam conditam annales procedere. In hos regum nomina et annos, pro lubitu potius quam certa, puto, auctoritate, dispertierunt scriptores: ut apud Dionysium et Eusebium videre licet. Rotundum, quem dicimus, numerum CCCC annorum edunt cum alii tum Strabo V, p. 350 C. Ὕστερον δὲ τετρακοσίοις ἔτεσιν ἱστορεῖται τὰ περὶ Ἀμυΰλιον etc.

Qua itaque auctoritate Virgilium adductum dicemus hoc sibi sumsisse, ut annorum numerum mutaret? Proclive est dicere, eum sibi tanquam poëtæ hoc licere putasse. Sed doctior est poëta Virgilius, quam ut sine ratione quicquam adversus notissimam historiarum fidem novasse aut ab omni ratione recessisse videri debeat. Potuit scilicet aliud computi momentum constituere, ut intra Romuli et Remi natales subsisteret: 'Hic jam,' inquit, 'tercentum totos regnabitur annos Gente sub Hectorea: donec regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem: Inde' etc. Subductis XX vel XXX annis, quibus adoleverant Romulus et

Digitized by Google

Remus, antequam Romam conderent, reliquum numerum, ut poëta, crasse indicasse videri potest. Videtur etiam secutus esse arcanum quid et Jove vaticinante dignum, ut sacro numero procederent omnia: 3. 30. 300; nam tertio anno Æneas inter heroës indigetes receptus, trigesimo condita Alba, ibi per trecentos annos regnatum: quæ Spencii non inelegans est observatio in Holdesworthi obss. pag. 215. Sed simplicissimum est dicere, fuisse olim auctores, inque eos Virgilium incidisse, qui intervallum illud temporum usque ad Romam conditam arctioribus finibus includerent: quod in tanta temporum antiquiorum caligine et difficultate factum adeo improbabile non fit, cum etiam Trogum similem auctoritatem secutum esse ex Justino intelligatur.

Ceterum in his, quæ a nobis exposita sunt, cum commemorentur nonnulla, quæ in primis statim Livii vel Dionysii foliis occurrunt, erunt forte, qui acute sibi observasse videantur, me satis trita persecutum esse. Verum in toto hoc genere non refert, quid alii dixerint, sed quid nunc a te dicendum fuerit; tum vero illud inprimis attendendum, num alii easdem res eodem judicio, eodem consilio, eadem cura ac diligentia exposuerint. Dici autem vix potest, quam parum judicio suo tribuere ipsi videantur ii, qui res Romanas ante et post urbem conditam vulgo exponere solent: cum ex Livio et Dionysio recitent veteres illas fabulas tanquam res fidei exploratissimæ, nec unquam in mentem veniat, horum scriptorum fidem in his per se esse nullam; pendere eam totam ex antiquioribus; horum autem fidem ab iis monumentis, quæ ante oculos habuere, aut a majorum fide, quam propagatam per plura sæcula acceperant. Atqui nemo res Romanas consignavit litteris ante sextum ab U. C. sæculum: et monumentum superfuit vix unum et alterum, quod incensam a Gallis Romam (U. C. 364) ætate superaret. Sunt tamen annis comprehendenda hæc, quæ narrata sunt, ut saltem teneamus ea, quæ vulgo evenisse credidit antiquitas, et quorum summam proxime ad veritatem accedere nemo sanus dubitet.

Digitized by Google

EXCURSUS IV.

DE IAPIDE MEDICO.

XII, 391 'Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis Iasides.' Suavissimus, qui sequitur, et laudatissimus est locus de Iapide medico, hoc est, chirurgo, quales veteris ævi erant ἰατροί. Insignem ei lucem attulit *Moehsen*, doctissimus medicus, in catalogo imaginum celebr. medicor. (Verzeichniss einer Sammlung von Bildnissen berühmter Aertze), ubi pag. 227 Rohdii, clari pictoris, tabulam illustrat, cujus argumentum est Æneas ab Iapide sanatus. Antonium Musam, cujus artem Augusti valetudo tantopere celebravit, sub aliena persona ut laudaret, consilium fuisse Maroni, suspicatus est Franc. Atterburius in diss. inserta Virgilio Anglice reddito et a Wartono curato Tom. IV. Fit tamen hoc parum verisimile, omninoque parum probari posse censeo genus hoc referendi loca poëtarum ad certos homines per allegoriam et allusionem. Sufficit poëtam Iapidem suum ad Homericorum medicorum exempla induxisse. Sanatur ita a Machaone Menelaus Iliad. *Δ*, 220. 213 sqq., qui locus, una cum altero Iliad. *Λ*, 843, ubi Eurypyli vulneri Patroclus medetur, Virgilio ante oculos fuerunt: adde iis ea loca, in quibus heroës vulnerati Dei alicujus interventu recreantur et vulnus sanatur: ut Hector Iliad. *O*, 236 sqq., Glaucus Iliad. *Π*, 527 sqq., et ipse Æneas Iliad. *E*, 318. 344. Ornamenta autem Maro conquisivit ingeniose ac diligenter. Amasium edidit Apollinis Iapidem. Amatis enim a se pueris et puellis suas artes sæpe aut promittunt aut largiuntur Dii apud poëtas; non insuave figmentum, quoties excellere aliquem in arte sua dicere volunt poëtæ; pro quo aliis locis contendisse eum cum Deo dicere solent. Illud vero præclare factum, quod, cum causa optionis esset memoranda, cur Iapis artem medicam prætulisset artibus augurandi, cithara canendi et jaculandi, ab affectu pietatis

Digitized by Google

eam petiit poëta : ‘ ut depositi proferret fata parentis.’ De *mutis artibus* et *medicina, muta arte,* multa disputata sunt; pleraque argute magis quam vere. Nam silentium medicorum ex jurejurando Hippocratis vel ex adytis Ægyptiorum alienum profecto a poëta est. Erat saltem unum illud ex Servianis tenendum: *artes mutas* esse musicæ comparatione: non vocales et canoras. Quod secutus quoque est et illustravit Gronov. ad Statii Theb. IV, 183; neque quicquam est, quod cum loquendi usu magis conveniat. Desidero tamen hoc, quod sic *mutæ artes* tantum uni ex tribus artibus, quas contemsit Iapis, respondent, scilicet musicæ. Adjectum illud *inglorius* videbatur mihi potius notionem τοῦ *mutus* constituere, ut *mutæ artes* solenni figura non sint, quæ silent, sed quæ silentur, vel faciunt, ut ii, qui eas colunt, sileantur: ars nullam famam datura, de qua silebunt homines: inprimis ex istius, quo poëta vivebat, sæculi opinione, cum medicinam tantum servi vel liberti ac Græci exercerent; cum contra celebritatem et famam inter homines daturæ fuissent artes augurandi, jaculandi, et cithara canendi. Quid enim in heroum vita illustrius his artibus? Porro antiquum morem poëta retulit in amictu: ‘ retorto succinctus amictu:’ medici enim fere palliati, etiam Romæ, quandoquidem Græci fere erant genere. Obvius quoque idem Æsculapii habitus in veterum signis et numis. Quod pallium retorquet et succingit, chirurgicam operam et ipsum arguit, non medicam; etsi omnibus omnino idem erat faciendum, qui se ad ministerium vel opus accingebant.

Ingeniosum prorsus est commentum de *dictamno*, cujus succum cum ambrosia et panacea clam admiscet Venus aquæ, qua vulnus Æneæ fovetur. Substituit poëta dictamnum τῇ πικρᾷ ῥίζῃ apud Homerum Iliad. Λ, 845, qua Patroclus Eurypyli vulneri medetur, quamque *gentianam*, olim Chironium dictam, esse docuit Wedelius Centur. Exerc. Dec. VI, pag. 34. Nec vero capreas tantum sylvestres in Creta vulneribus dictamno succurrere, eoque comeso iis excidere spicula credidit antiquitas: qua de re vel Æliani locus videndus V. H. I, 10, ubi cf. Intpp., et h. l. Cerda et

Digitized by Google

Moehsen c. l. p. 232. 233, add. nunc Beckmann. noster ad Mirab. Audit. 4, verum humanis quoque corporibus adhibitum esse dictamnum, Dioscorides auctor est lib. III, 37. Adde Plin. XXV, 8, s. 53. XXVI, 14, s. 87. Pulegio illud simile esse produnt auctores laudati: inter *origana* retulit Linnæus. Vim habere id purgandi vulnus, adeoque quicquid alienæ naturæ inest extrudendi, facile intelligitur. Uti solent hoc poëtæ nostri loco ipsi botanici doctores ad docendam veram dictamni faciem et formam, v. c. post Matthiolum Bauhinus Hist. Plant. lib. XXXVIII, p. 253, ubi etiam icon herbæ extat, ab aliis inde repetita. In *Ambrosia* an de herba hujus nominis cogitaverit poëta, equidem non dicam. Etsi enim vim illa habeat astringendi humores, qui in aliquam partem decubuerè (Dioscorid. III, 129. Plin. XXVII, 4, s. 11), non tamen video eam vulneribus adhiberi solitam. Contra succus ambrosiæ, quo Deos non modo vesci, sed multo magis inungi et odore delectari narrant poëtæ, nec a vulneribus alienus est, cum v. c. Patrocli vulneri ille infundatur ad putredinem avertendam. Tandem *Panaceam*, variarum herbarum ac medicamentorum nomen (vid. Plin. XXV, 4, s. 11), ad opopanacem potissimum referre volebat Moehsen l. c., qui succus est Panaces Herculis, vulneribus quondam medendis adhibitus. Inter fabulosos tamen succos πανάκεια jam apud Callimachum H. in Apollin. 40 habetur. Nec dubito sive ab hoc sive ab alio Græco poëta Maronem eam esse hoc sensu mutuatum.

EXCURSUS V.

CENSURA EORUM QUÆ IN ÆNEIDIS ŒCONOMIA REPREHENDI POSSUNT.

Æneidis argumentum et summam, eaque quæ passim a viris doctis cum in singulis partibus, tum de libris sex

Digitized by Google

posterioribus, aut de episodiis et locis nonnullis monita fuerunt, exposui in ipsa enarratione, opportunius quam si ea uno loco cumulare voluissem. Aliorum rationem satis idoneam reddere mihi visus sum, alia ad fatum Æneidis, tanquam operis ultima manu haud absoluti, retuli, alia humani ingenii imbecillitati condonanda esse dixi.

Præter hæc tamen sunt nonnulla, quæ judicii laudem, qua maxime Maronem excellere sæpe pronuntiavi (vid. Disquis. II), haud parum obscurare videntur, cum modo probabilitate destituantur, modo rationi rerum ac temporum, adeoque veritati historicæ, repugnent. Ut diligentius ea retractarem, movit me inprimis missa nuper ad me viri amicissimi, Jacobi Bryant, acute scripta dissertatio de his ipsis, quæ in Æneide male constituta sunt. Subtiliter ille investigavit ea, in quibus aut fidem historicam aut probabilitatem desideres. Ad hæc potissimum, tum ad alia passim a viris doctis animadversa, respectu habito recensebo potiora, ac videbo, quid in singulis aut excusandum aut defendendum aut damnandum videri possit.

Antequam vero ad singula descendam, monenda sunt nonnulla universe, quæ ad judicium hisce de rebus ferendum facere possunt. Fidem historicam et probabilitatem rerum ad fidem fictarum non prorsus iisdem finibus teneri, a multis monitum est: evenere multa, quæ probabilitatem non habent; sunt alia probabilia, quæ ipso eventu comprobata non sunt. Porro, in probabilitate fingentium ad delectationem non tam id quæri, num nihil alicunde elici possit, quod rerum ordinem et modum evertat; ita enim omnis sublata esset et fictio et ex ea delectatio: verum ut nihil sit, quod legenti vel audienti succurrat, scriptorisve vitio objiciatur, quod admonere possit, fraudem his subesse, nec hoc, quo expositum erat, modo res aut gestas esse aut geri potuisse. Nullum facile est aut esse potest ullius operis, quod ingenium humanum peperit, inprimis epici vel dramatici, argumentum ita comparatum, quin insint nonnulla, quæ nec tractari bene nec summa arte tractata nitere satis possunt. Omittere illa tutissimum est, aut, si omitti nequeunt, levi

Digitized by Google

manu tractare, aut ornamentis onerare, aut quacumque alia via oblinere illa et obscurare. Ad poëtæ itaque artem spectat hoc vel maxime, ut, quæ narrantem se premant, ex aspectu, sensu, et memoria legentium removeat, seduloque curet, ne id, quod argumenti in nonnullis forte vacillantis natura et ratio, aut temporum rerumque memoria, ipsaque historiarum veritas, parum commodi habet, sensum legentis repente feriat et voluptatem interpellet, qua delinitus nihil curat, nihil ad se pertinere putat, quod extra rem præsentem positum est. Facile id poëta consequetur ab eo, qui ipsarum rerum phantasmatibus percussum animum habet; difficilius ab illo, qui aut natura minus acrem rerum sensum, aut ætate, curis, rerum usu exercitum animum ad poëtam legendum affert, adeoque, dum remissiore est animo, ad animadvertenda ea, quæ sedatius judicium suggerere potest, magis est compositus.

Ex his adhuc dictis [1] intelligi arbitror, uti sensus cuique suus in his relinquendus est, ita in reprehensionem poëtam vere in his tantum incurrere, quæ parum sedulo cavit ne primo legentis obtutui statim occurrerent. Contra ea, quæ subtiliore judicio et cogitatione intentiore elicias, in censuram venire non possunt, nisi totum hoc genus ipsamque Iliadem et Odysseam cum Æneide sublatam esse velis. Quam multa enim sunt, quæ scrupulum faciant, si de Penelopes ætate sub Ulyssis reditum aut de Telemacho curiosius quæras? Multo minus ferendi sunt, qui nullo poëtices sensu imbuti ad dialecticas rationes aut ad historicæ critices canones epicam poësin exigunt, aut grammaticis minutiis impediti calumniantur poëtas, qui tamen non nisi eo ingenii contactu, eoque sensu, quo ipsi scripsere, legendi sunt. Ex eo genere fuere Zoili totque Homeromastiges et Virgiliomastiges; in hoc numero nuper Britannus aliquis, qui sibi valde doctus videbatur ('Heron's letters of literature.' Lett. 23). In dramatibus jam inter poëtam et spectatorem

NOTA.

[1] Ducem sequor in his fere Aristotelem de poëtice.

Digitized by Google

facile in id conventum est, esse nonnulla, quæ, etsi a natura rerum aliena, in scena aliter esse nequeant, iis igitur pro concessis uti poëtam.

Itaque ea, quæ *adversus temporum rationem* in Æneide moneri possunt, etsi ne defensionem quidem illam admitterent, quam Exc. II ad lib. III, et Exc. III ad lib. XII dedimus, non tamen ad poëtæ laudem evertendam vim habere putabimus. Est in his illud, quod nuper in mentem veniebat: Scilicet Evandrum adit Æneas, atqui idem se Herculem excepisse hospitio narrat, qui aliquot ætatibus ante bellum Trojanum vixerat. Verum locum hic haberet quod apud Pindarum est: *κωφὸς ἀνήρ τις, ὃς Ἡρακλεῖ στόμα μὴ παραβάλλει.* (Pyth. IX, 151.)

Aliud est, in quo poëta sui oblitus videri poterat, quod Deorum monita de adeunda a Trojanis Italia modo clarius, modo obscurius, quam par erat, apposuit. Ab obscurioribus monitis exorsus erat; idque recte; nec nisi in ipso Italiæ aditu et sede occupata vaticiniorum eventus plene explicitus esse videri debebat. Jam autem interpositum est unum oraculum, quo maturius, quam par erat, Trojanis de sede nova, qualis illa futura esset, constare debuit, Creusæ inquam monitum sub ipsum discessum ex Troja lib. II, 780. 781. 782. 783, quod etsi quantum licuit excusatum dedi Exc. XV ad lib. II et Disquis. II, p. LXXX. LXXXI, malim tamen illud sublatum: eo enim omnes reliquæ rationes turbantur, quoties accuratius in hæc inquiras. Sane Hesperiæ nomen bene conveniebat vaticiniis, quando occidentalis regio significabatur, quæ illa ætate inter incognitas terras habebatur a Græcis. Hactenus bene: 'Ad terram Hesperiam venies;' et condonari poterat, si quacumque in terra ad occidentem sita sedes figere volebant. Modo Tiberis memoratio nulla facta esset! Ita recte mox in Creta de Hesperia manifestius de Italia fieri poterat: III, 163 sq. 'Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt: Œnotri coluere viri;' et cum de exteriore Italia hoc accipi posset, mox ad interiorem Italiam avocati sunt ab Heleno III, 381 sq. vid. Disquis. II, s. 6.

Digitized by Google

Ascanii nomen et profuit poëtæ plurimum et obfuit. Palpavit sane Augusto et Romanis; et Julium sidus novum splendorem afferre carmini debuit. Verum sunt alia, quibus tanquam scopulis poëtæ ingenium parum cautum impegisse videri potest. In majore operis parte Ascanius est puer jam satis adultus, inprimis in ludo Trojæ lib. v, 545 sqq. (ubi tamen prudenter *impubem Iulum* dixit), tum in promissis Niso datis IX, 258 sqq. et in pugna castrensi IX, 622 sqq. X, 132. Etiam hujus anni initio, cum in Africa agerent Trojani, eductique essent in venationem, 'At puer Ascanius mediis in vallibus acri Gaudet equo' etc. lib. IV, 156 sq., et escensu in Latium facto: 'Insidiis cursuque feras agitabat Iulus' VII, 479. Jam si annos computes, haud multum ejus ætas a pubertate tum abesse potuit: exierat ille ante septem annos urbe Troja patris manu ductus; fac eum sexennem vel septennem fingi jam tum natum, cum patri comes fieret: si quidem 'dextræ se parvus Iulus Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis:' II, 723. At primo illius in locum Cupido succedit, qui tamen Didonis gremio insidet: lib. I, 722, tum comparatur ille ab Andromache cum Astyanacte III, 489 sq. Videamus, an reprehensio illa justa sit. Prius illud defensionem habet paratam: nam Cupido veteribus puer est ad pubertatis annos vergente ætate, ut ex signis veterum constat; quod ille *gremio Didonis insidere* dicitur, e more accumbentium est dijudicandum: poterat ille ejus pectori acclinis sedere: cf. Not. ad e. l. Quod alterum attinet, quod diximus, Andromache Ascanii conspectu commota: 'O mihi sola mei,' inquit, 'super Astyanactis imago! Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat; Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.' Si cui Astyanactis a matre ulnis gestati ex Iliad. Z, memoria insederit, is ad nimis teneros annos Ascanium revocari putabit. Hoc tamen lectoris, qui argute ea, quæ remota sunt, arcessita comparat, potius quam poëtæ culpa fieri dicam. Nam primum Astyanax a matre gestari potuit, tanquam puer triennis vel quadriennis; Hectoris cædes anno antevertit excidium Trojæ; anno hinc septimo

Digitized by Google

ad Epirum accessit Æneas; itaque haud multum abfuturus fuisset adhuc superstes Astyanax ab ea ætate, qua Ascanius tum erat. Absolvendus itaque in hoc Maro crimine neglecti temporum ordinis. Gravior dica oblivionis impingi poterat Virgilio in eodem loco de Andromache, quod illa Ascanium interrogat, num matris amissæ desiderium retineat III, 341, cum tamen de Creusæ fato nihil illa comperire potuisset. Sed locum interpolatum videri declaravimus.

Si in his poëtæ causam egi, conclamatam aliam causam esse fatendum est, quando duplici narratione Helenæ recuperatio ab eo exposita est: lib. VI, 510 sqq., in quo, quantum intelligo, Arctinum in Ilii excidio ante oculos habuit, et lib. II, 567 sq. Verum in hoc mihi moram facere non licet, quandoquidem ad ipsa loca satis hac de re est disputatum.

In excidio urbis Trojæ sunt haud pauca ad nostrum sensum parum probabiliter narrata, inprimis quæ de Equo Trojano exposita sunt; tum de simulato discessu et classe post Tenedum latente, quæ tamen insula *in conspectu* erat. Atqui harum rerum fidem nullam præstare debet poëta, quas ex antiquis mythis poëtarum ingeniis ornatis asciverat: in his 'prisca fides facto, sed fama perennis:' IX, 79; quo ipse poëta argumento narrationem de navibus in Nymphas mutatis tuetur.

Paratam Virgilium laudem ex eo habere dixi, quod fabulas Ulyssis et errorum (*τῶν Νόστων*) suo carmini intexuit, eoque varietatem ac copiam rerum narrandarum nactus est (vid. Disquis. I, s. VIII). Magnæ in his incidere debuere difficultates, cum multa a diversis narrata essent haud satis inter se congruentia; multo magis, si, quod docui, tragicos multis in locis expressit. Verum in his satis erat, si nihil in ipsam narrationem admitteret, quod dissidere a ceteris videri posset; ut vero nihil apponeret, quod forte rerum ab aliis narratarum ordini repugnaret, id nec cavendum ipsi erat, cum extra argumenti et consilii fines positum esset, nec in tanta narrationum diversitate caveri potuit.

Itaque vitio verti Maroni non potest, quod Achemenidem

Digitized by Google

ab Ulysse ante tres menses in Cyclopum littore relictum narravit, etsi ex Homerica narratione primo statim a Trojæ excidio anno Ulysses ad Siciliam appulerat: conf. Not. ad III, 613. Est enim hoc extra causam, ut ita dicam, positum, quod alius aliter eandem fabulam exposuit. Eodem modo diluendam puto aliam accusationem, quam viri docti acumen in medium affert: In Odyssea sub extrema errorum Ulyssis tempora, adeoque nono fere decimove anno post Trojam captam, Telemachus ad Menelaum venit, qui anno superiore, octavus erat, domum redierat (Od. Γ, 306. Δ, 82). Incidit Telemachus in apparatum nuptiarum Hermiones ad Pyrrhum mittendæ, Od. Δ, pr. Jam Pyrrhum occidit— 'ereptæ magno inflammatus amore Conjugis, et scelerum Furiis agitatus, Orestes' Æn. III, 330 sq., quo facto ejus conjux, Andromache, cessit Heleno una cum regno partis Epiri v. 294 sq. Tempora in his a Virgilio perturbari, si Homerum compares, manifestum fit; appulsus enim Æneæ ad Epirum quarto a Troja capta anno factus erat: v. Exc. II ad lib. III, p. 4148. Enimvero ratio in hoc eadem est, quæ in superiore reprehensione. Tum omnino fabulæ Orestis, Pyrrhi, et Heleni tam diversis modis tractatæ fuere, inprimis a tragicis, ut fingendi liberum esset arbitrium. Dicta satis de hoc quoque, Exc. X ad lib. III, p. 4165 Exc. XII, p. 4168.

De iis, quæ in sex posterioribus libris occurrunt simili difficultati implicita, suis passim locis aut expedita aut saltem annotata sunt.[1] Unum est, quod non habeo quomodo satis defendam, quod templum in urbe Laurentum a Pico conditum non modo tam splendide extructum et ornatum commemorat, signa majorum in vestibulo apponit, verum etiam spolia, exuvias, et tropæa, VII, 183 sqq., et in his adeo *erepta rostra carinis:* ac si illo tempore jam bella ma-

NOTA.

[1] V. c. de armis cœlo demissis ad VIII, 520 et 608, de Turno arma explorante die ante pugnam XII, 81.

Digitized by Google

ritima geri potuissent.[1] Graviorem tamen aliam censuram subjicit vir doctus, quem supra honoris causa nominavi, quod cum his ipsis Latium perpetua pace floruisse aliis locis narravit. 'Rex arva Latinus et urbes Jam senior longa placidas in pace regebat,' VII, 45. Itaque bello mox moto 'Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante:' VII, 631. Ante Latinum fuerant *Faunus, Picus* et *Saturnus:* 'Primus ab ætherio Saturnus venit Olympo—Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt Sæcula: sic placida populos in pace regebat:' VIII, 319 sq. Vix hi rerum annales promittere videntur tempora belli tempestatibus agitata, ut spolia ac tropæa ex victoriis parta reponi possent. Hic tamen poëta ipse suæ causæ prospexit; nam eodem loco, quo de Saturno egerat, versus subjicit: 326 sqq. 'Deterior donec paulatim ac decolor ætas Et belli rabies et amor successit habendi. Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ, Tum reges, asperque immani corpore Tybris' etc. Et si quæras, quo rege geri bella potuerint, Picum designavit; 'Picus equum domitor,' VII, 189. Itaque Latini adeo inter populos bellicosos habiti. Apud Ovid. Fast. III, 79 'Et tamen ante omnes Martem coluere priores; Hoc dederat studiis bellica turba suis—Mars Latio venerandus erat' etc.

Apud Macrobium lib. III. IV. V et VI inter laudes poëtæ immodicas, sæpe in tenuioribus occupatas, reprehenduntur quoque haud pauca sine idonea ratione, et ex subtilitate grammatico digna. Sunt tamen in his nonnulla, quæ fundo suo destituta non sunt, etsi profecta pleraque ex eo, quod poëtæ haud contigit operi ultimam manum admovere. Ita verum est, quod lib. V, 15 monetur, nominari passim viros fortes et ornari, quorum mox inter prælia nullum insignius facinus commemoratur, ut Virbium Æn. VII, 752, et Cupavonem X, 186.

NOTA.

[1] Quod Latinorum res multo majores quam pro veritate finxit, hoc ipsi condonandum erat: carminis enim dignitati ita prospicere debuit; ut passim a nobis observatum, v. c. ad VII, 275.

Digitized by Google

EXCURSUS
AD CIRIN.

DE CARME, BRITOMARTI, APHÆA ET DICTYNNA.

Cir. 220 'Ogygii Phœnicis filia Carme.' 295 'o Britomarti, meæ spes una salutis' sqq. Non obscurum nomen in priscis Cretensium, et hinc Æginetarum et Megarensium, fabulis nomen *Carmes:* v. Pausan. II, 30. Diodor. V, 76, ibique Wessel., Antonin. Lib. Met. c. 40. *Phœnicis* filia h. l. editur, uti quoque ab Antonino Lib. Metam. c. 40 Cassiepiæ, Arabii f, et Phœnicis, Agenoris f., nisi quod ibi in Phœnicia nata proditur; nunc, cum *Ogygius* Phœnix appelletur, ad Bœotiam vel Atticam illud nomen Phœnicem retrahit, qui cum Cadmo venire potuit. At Eubuli, ex Carmanore prognati, filiam Cretenses tradebant ap. Pausan. l. c. Diodor. V, 76. Carme a Jove oppressa *Britomartin* partu edidit, quæ et ipsa a Minoë tentata narratur se in mare præcipitasse. Qua de re locus classicus Callimachi in Dian. 189 sqq., ubi v. Intpp. et Meurs. in Creta IV, 3. Hanc fabulam in seqq. poëta vs. 286 ad 309 exponit, ut Britomartin, venatricem et in Dianæ contubernio habitam, dum Minoëm fugit, narret in mare præcipitem datam, secundum alios *Aphæam*, secundum alios *Dictynnam*, esse appellatam. *Numina* enim *Aphææ virginis* haud dubie vs. 303 legendum. Sub hoc nomine apud Æginetas Nympha habuit templum, et ad eam Pindarus (ᾆσμα) hymnum scripserat in Æginetarum gratiam: Pausan. II, 30. cf. Antonin. l. c. Hesych. in *Ἀφαία* et ibi VV. DD., item ad vocem *Βριτόμαρτις*, de cujus nominis etymo v. Etymol. M. Videtur vetus Hecates adeoque Dianæ nomen fuisse *Βριτώ*. Dictynnæ nomen, vulgo, etsi invito Strabone X, p. 733. c., ad retia (*δίκτυα*) trahi solitum, quibus excepta Nympha servata est (v. Diodor. l. c.), Cretensibus fuit domesticum, ut Pausan. l. c. docet; acceptum tamen a Samiis, Herodoto auctore lib. III, 59. Fuit certe Dictynnæ fanum in terra Cydoniate Cretæ, ubi et Dictynnæus mons et promontorium.

Digitized by Google

Idem nomen alii, ut Eurip. Hippol. 146. 1130, ubi cf. Schol., Aristoph. Ran. 1402, ubi Schol., de Diana interpretati sunt, sed reprehensi a Diodoro v, 76, ubi tollenda est ante ἀφ' ἧς et post Ἄρτεμιν parenthesis: nam ad Ἄρτεμιν spectant ea quæ sequuntur. Sequitur tamen istos auctor noster vss. 245. 304. 305, et Ἀρτέμιδος Δικτύννης sanum fuit in Laconica: Pausan. III, 24, p. 273. Ἄρτεμις Δικτυννία Anticyræ culta Paus. X, 36, p. 890. 891. In numo Cydoniatarum et in altero Lacedæmonio eam deprehendit v. c. Neumann. Num. ined. p. 240. Factum autem hoc et alias, ut modo Deorum nomina transirent ad heroës, inprimis Deorum liberos: ita Aristæus Ζεὺς et Ἀπόλλων Ἀγρεὺς et Νόμιος ap. Pindar. Pyth. IX, 110 sq., quem respicit Diod. IV, 81; modo heroum nomina adjicerentur Diis: sic Pythæus Apollo a Pythæo filio apud Hermionenses. Pausan. II, 35. Laudari vidi Dictynnam, tanquam Catonis alicujus carmen. Sed ea *Diana* fuit, Valerii Catonis amica. V. Sueton. Gramm. XI, ubi Cinnæ versus: 'Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.' Ceterum Carme, bello capta et longe avecta, ut ex v. 290 intelligitur, in Nisi potestatem venerat et ab hoc Scyllæ filiæ nutrix data fuerat.

Digitized by Google

RECENSUS EDITIONUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

RECENSUS EDITIONUM.

Tenent proculdubio in memoria hujusce operis patroni, se, cum consilium novas Classicorum Delphiniorum Editiones prælo Britannico committendi primo annunciatum est, simul esse monitos, *Literarias sociorum Bipontinorum Notitias* una fore vulgandas. Ad eam igitur operam nos nunc accingimus; et, forsan majori cura quam boni eventus spe, quippe Notitias Literarias propriis viribus usque ad nostra tempora prosecuturi.

Pro se dicent mox Bipontini: quod ad nos, editiones Virgilii antiquas, vel etiam recentiores, quas Cl. Heynius descripserit, Lector benevolus non iterum nobis describendas expectabit, nec acta, ut aiunt, agenda, ad recentissimas, et easdem a viro illo doctissimo non illustratas, festinantibus.

At quidem opusculi hujuscemodi exordio haud alienum esse videatur, notare, quam variæ et multiplices Mantuani

Digitized by Google

nostri extiterint Editiones; numero forsan plures, ac forma magis diversæ, quam ceterorum omnium, si Horatianas excipias, poëtarum Romanorum; immo etiam mirari liceat, si modo mirum, summos criticos elaboravisse in explicando, illustrando, decorando summum poëtam. Quis enim inter Latinos tam nitidus, tam elegans, tam doctus, tam numerosus, quam Virgilius? poëtarum, ut vocatur, doctissimus, immo *Plato poëtarum;* scriptor, ut omnes eruditi de eo prædicant, non magis ingenii alacris quam judicii acerrimi.

Quæ cum ita sint, manifestum erit poëtam nostrum adolescentum expectationibus præ cunctis Latinis fore gratissimum, et eorum institutioni studiisque quam maxime idoneum, in primis quod adeo poëtices illecebris abundat, descriptionibus, picturis, figuris, jucundis narrationibus, fabulisque historiæ intermixtis, ut nihil supra: sed magis, quod optima virtutis suppeditat exempla; parentum, filiorum, et cognatorum, amicorum, sociorumque officia et affectus depingit, omnia læte simul et graviter delineata. Si de Pastoralibus agit, consule dignæ sunt sylvæ;[1] si de Georgicis, ager ridet omnis, et annus est formosissimus;[2] si de heroicis, fortitudine, pulchritudine, consilio, Æneas pæne omnibus antecellit, ac si Apollo ipse in eo visus sit:

Haud illo segnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore.[3]

Idem vero ille *homo* est, et hærent naturæ ejus humanæ in-

NOTÆ.

[1] Ecl. IV. 3.
[2] Ecl. III. 57.
[3] Æn. IV. 149.

Digitized by Google

firmitates. Amorem quidem spirat, simul vero Didoni minime fidelis: peccat, ut ipse de se fatetur peccavisse: 'Funeris, heu, tibi causa fui!'[1] At quidem etiam peccanti virtus: nam ubi locus quieto et tranquillo amori possit videri, ibi maximæ difficultates et molestiæ occurrebant: mandata Deorum perficienda, res Trojanæ, debellatæ jam et ruinis obrutæ, restituendæ, renovandæ, stabiliendæ; conatus e longinquo petendi; amor ipse subitaneus et terrestris pedibus subjiciendus, et amor magis amplus, magis, pæne dixerimus, divinus, colendus (hic amor, hæc patria est); omnia hæc pio Æneæ obstabant. Mens ejus immobilis est servanda; adeo ut ex instanti, et etiam apud Inferos, se defendere iisdem argumentis ausus esset, quibus inter vivos usus fuerit;

——————— per sidera juro,
Per Superos, et si qua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de littore cessi.
Sed me jussa Deum, &c. Æn. VI. 458.

At tamen quid fœmina posset sentiebat; et quid ei deberetur non ignorabat:

——————— ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissæ;
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
Æn. IV. 333.

Quod ad numeros Virgilianos spectat, eos non hic loci

NOTA.

[1] Æn. VI. 458.

Digitized by Google

est illustrare, nec exemplis confirmare, quam varii, quam copiosi, quam dulces (hæc in omnium ore); sed observare tantum eosdem, dum dulces, non frivolos vel fucosos esse; dum sublimes, non tumidos;[1] dum leves, nec negligentes nec asperos; et dum in rebus agrestibus versatos, vix, et ne vix, rusticos; sed miræ suavitati majestatem conjungentes, et una cum varietate πληροφορίαν illam nobis exhibere insignem, quæ, dum aures mulcet, mentem oblectat, et ambas quasi sonis mellifluis et rei congruentibus pascit atque implet: adeo ut de Virgilio dicendum sit quod ipse in sui Daphnidis laudem vertebat:

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine; quale, per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.[2]

Immo tam in sententiis rebusque denarrandis est honestus ac gravis, quam in numeris proferendis jucundus atque disertus, et flexionibus clausulisque peritissimus: inest enim ei felix illud et curiosum ingenium, quod materiæ syllabas ipsas atque etiam literas aptat, verborum selectione prudentissimum simul atque sagacissimum;[3] et exinde fit, præter

NOTÆ.

[1] Optime hic Longinus: κακοὶ δὲ ὄγκοι, καὶ ἐπὶ σωμάτων καὶ λόγων, οἱ χαῦνοι καὶ ἀναλήθεις, καὶ μήποτε περιϊστάντες ἡμᾶς εἰς τοὐναντίον· 'οὐδὲν γάρ,' φασι, 'ξηρότερον ὑδρωτικοῦ.'—Περὶ Ὕψους. Et iterum: ὀλισθαίνουσι δ' εἰς τοῦτο τὸ γένος ὀρεγόμενοι μὲν τοῦ περιττοῦ καὶ πεποιημένου, καὶ μάλιστα τοῦ ἡδέος· ἐποκέλλοντες δὲ εἰς ῥοπικὸν καὶ κακόζηλον. Isti μειρακιώδει, Longini censuræ obnoxio, directe opponi possit Virgilii suavitas.

[2] Ecl. v. 45.

[3] De Græcis poëtis, nec minus de philosophis et oratoribus antiquis, Dionysius Halicarnassæus disserit: καὶ οὔτε τὰ ὀνόματα τοῖς ὀνόμασιν, οὔτε τὰ κῶλα τοῖς κώλοις, οὔτε τὰς περιόδους ἀλλήλαις, εἰκῇ συνάπτειν ἔφυτο δεῖν· τέχνη δέ τις ἦν παρ' αὐτοῖς καὶ θεωρήματα οἷς χρώμενοι συνετίθεσαν εὖ.—Περὶ Συνθέσεως Ὀνομάτων sect. 5. sub. fin.—Quam miri in structura orationis opifices fuerint Græci poëtæ, non tan-

Digitized by Google

ea quæ jam diximus, ut viri de Marone bene meriti, critici et grammatici, et in primis Quintilianus, carmina ejus juventuti tam vehementer commendaverint.

'Superest lectio,' (Quintiliani verba sunt) 'in qua puer ut sciat ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distingueret, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda vel submittenda sit vox, quid quoque flexu, quid lentius, celerius, concitatius, lenius dicendum, demonstrari nisi in opere ipso non est . . . . . .

'Cetera admonitione magna egent, in primis ut teneræ mentes, tracturæque altius quicquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo quæ diserta, sed vel magis quæ honesta, discant: ideoque optime institutum est, ut ab Homero et Virgilio lectio incipiat.'[1]

Ramus similiter, qui Virgilii Bucolica et Georgica prælectionibus exposita edidit, Vitæ poëtæ statim hæc præmittit: 'Publii Virgilii Maronis opera bonis et discendi cupidis adolescentibus carissima debent esse, et ad *imitandum in primis proposita*.'[2]

NOTÆ.

tum in membris et sententiis inter se conjungendis, sed etiam in syllabis et literis apte collocandis, vid. sect. 14. Et Simon Bircovius, Exempla Latina, Græcis Dionysii respondentia, subjungens, elegantias Æneidos quam plurimas ex hac συνθετικῆς δυνάμεως pendentes, memorat et illustrat. Bircovii Exempla Latina, &c. sub. fin. Dionys. Halicarn. edit. Upton.

[1] Instit. I. 5.

[2] P. V. M. Bucol. et Georg. &c. per Ramum, &c. Lutetiæ 1572. Nec aliter Josephus Trapp, qui Virgilium Anglice dedit, et Prælect. Oxon. habitas prædicavit, post multa e Virgilio citata, Ovidii, Claudiani, Statiique longe posthabitis, observat: 'Hæc, ceteraque omnia vitia, in scribendo vitabit, quicumque Virgilium

Digitized by Google

Hinc, ut speramus, constabunt rationes quibus nos etiam impulsi, omnesque scriptores Latinos, in usum Delphini olim editos, mox iterum edituri, et Principi Regenti eo, quo par est, cultu submissuri, ferre initium a Virgilio velimus. Optime nimirum scit Princeps ipse quam diligenter, quam accurate ille, qui olim studiis ejus juvenilibus præpositus erat, incubuerit Maroni; simulque recte scit in iis artibus, quibus a puero deditus fuit, recolendis, quantas poëticas delectationes, quanta virtutis incitamenta, Britannicis adolescentibus præstantissimus ille poëta suppeditare possit. Nec minus intelligat, si a magnatibus decus obtinuisset Virgilius, miram delectationem et etiam gloriam dulcissimis ejus carminibus ipsos prius derivasse: quis enim illustris Imperii Principi potior, quis amœnior, quis utilior, quis denique accommodatior excogitari possit quam poëtarum princeps?

Ac ne quis nos hæc dixisse forsan existimet, quod Mantuanus noster uni ætati, quasi cancellis, penitus coërcendus sit, non quidem ita se juvenibus commendat, ut viris parcius commendetur: quippe qui omnium sit ætatum, temporum, conditionum, locorum: nulla enim sunt *poëtica* de quibus majori ardore repetenda sit Ciceronis illa toties decantata hortativa commemoratio, quam Virgiliana carmina: 'nam cetera neque temporum sunt, neque ætatum omnium,

NOTA.

amat, et intelligit:' subjungitque: 'illum igitur summa cura et diligentia evolvite, juvenes Academici,' &c. De Stylo Poëtico Prælect. 4to.

Digitized by Google

neque locorum: hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis profugium et solatium præbent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.'[1]

Quod ad Maronem ipsum spectat, omnibus bene notum est paucos annos eum primum Romæ vixisse juvenum nobilium clientem, et magnatibus virisque principibus, Pollioni, Agrippæ, Mæcenati, Augusto mox vehementèr placuisse; Augusto veremur ne nimis: postquam enim hic Romani Imperii dominationem est adeptus, omnia in se trahens et solus sustinens, publica libertas, longo jam tempore agitata et deturbata, penitus expiravit; et dum ille Romani nominis gloriam super astra attollebat, dum consulem laudibus vehementius prosequebatur, dum ad Deos referebat, ut originis ejus auctores, et hominem rebus prosperis tumescentem in Deorum numerum evehebat, populum in securitatem periculosissimam, in ambitionis inhonestam et perniciosissimam admirationem divertebat: si Æneis non esset ex iis medicamentis, de quibus Plutarchus hoc prædicat: ὅτι τῷ βρωθῆναι μέν ἐστιν ἥδιστος, δυσόνειρον δὲ ὕπνον ποιεῖ, φαντασίας ταραχώδεις καὶ ἀλλοκότους δεχόμενον:[2] erat tamen ex iis quæ somnum nimis quietum et intempestive longum reddunt; somniisque quasi magicis involutum et devinctum tenet: adeo ut pæne de Æneidos illecebris liceat dicere, quod de suis machinationibus jactitabat Juno:

NOTÆ.

[1] De Archia poëta.

[2] De aud. Poëtis, s. 3.

Digitized by Google

Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter.[1]

Æneis ipsa erat quasi templum splendidum in Augusti honorem conditum. Idem ipse bene intellexit quid Virgilio deberet, majora debiturus; adeo ut, si (ut fama est) Virgilii consilio regnaret et imperaret,[2] multo magis poëmatis ejus gravitate et divina dulcedine in imperio esset confirmandus. Hæc autem in transitu.

Sed quædam ad Romanos magis pertinentia, Romanis tutius relinquamus. Britannorum est, hortos hosce Virgilianos (si poëticis uti liceat) peragrare, et flores fructusque, quibus, ut omnes sciunt, abundant, decerpere, auras suavissimas captare, atque cantilenis dulcisonis semet delectare. Hinc enim colligere liceat poëticas delectationes, ornatos et probos mores, patriæ dulcem amorem, humani generis decus ac tutamen.

Sed de his satis, ne a scopo longius aberremus.—De Virgilii editionibus jam dicendum manet.

NOTÆ.

[1] Æn. VII. 321.

[2] Donati P. Virgilii Maronis Vita, s. 19.

Digitized by Google

RECENSUS EDITIONUM

P. VIRGILII MARONIS,

FABRICIANO ADHIBITIS HEYNII, HARLESII, NOVISQUE CURIS AUCTIOR ET IN QUINQUE ÆTATES DIGESTUS.

ÆTAS I. 1467. l. 1469—1500. NATALIS.

QUAM Harlesius *mythicam* dici vult. 'Ex omni enim,' judicante Ill. Heynio, 'editionum sec. XV. vulgatarum numero paucæ a viris doctis critica cum cura et subtilitate excussæ sunt; unde fit, ut nec satis exploratum sit, sitne aliquid ex nonnullis earum utilitatis et fructus ad Virgilium expectandum; utque nec accurate definiri possit, quænam ex iis inter principes et ex membranis descriptas habendæ sint, aut quæ aliarum familias duxerint. Etsi, si quidem ex iis licet judicare, quas ipse inspexi, justa ominandi causa subest, ut nunc habemus Virgilium ad Codd. constitutum, parum aut nihil bonæ frugis inde ad nos rediturum esse: quæ ipsa res revocavit me, quo minus in iis, quæ ad manum erant, excutiendis essem nimis sedulus. Quantum tamen adhuc curatiore opera ac studio perspicere potui, a Venetis cum Servii commentario exaratis primo Virgiliana lectio fuit constituta, ut per plures editiones continuaretur. Nam conveniunt fere inter se ad eandem lectionem propagandam Venetæ cum Servii, tum cum Landini aliorumque commentariis vulgatæ. Cum iisdem consentire visæ sunt Kobergiana 1492. Argentina 1502. utraque inter meliores referenda. Daventrienses et

Digitized by Google

Parisienses in scholarum usum paratæ esse videntur.' Hactenus Heynius. Princeps curator Virgilii est Jo. Andreas Episc. Aleriensis, qui Romanæ I. et seq. præfuit; Mediolanensis I. Boninus Mombritius, quem secutus est Ant. Zarottus, et Parisinarum Paulus Malleolus: ceteri diserte non memorantur. Æneidi Virgilianæ de suo addidit Librum XIII. Maphæus Vegius, jam in Veneta II. illi junctum. Servius, anno 1471. primum editus, emendatores invenit Ludovicum Carbonem, Baptistam Guarinum, Petrum Cenninum, Joannem Calphurnium, et Phil. Beroaldum. Veteribus Commentatoribus Servio et Donato junxere se recentiores Christophorus Landinus, Domit. Calderinus, Julius Pomponius Sabinus (alias Lætus,) Antonius Mancinelli, et Herman. Torrentinus.

Editio princeps s. Romana I. ex recognitione et cum præfatione Jo. Andr. Episcopi Aleriensis. Romæ, per Conradum Sweynheim et Arnoldum Pannartz, in domo Petri et Francisci de Maximis. fol. sine anni nota.—Hanc editionem, ex Codice parum emendato profectam, ante exitum a. 1469. publicatam esse docent Lairius in Specim. typogr. Rom. pag. 147. et Guil. Burius in Catal. bibl. Ducis de la Valliere. P. I. T. II. n. 2432. Insunt post præfationem Culex, Diræ, Copa, Est et noh, Vir bonus et sapiens, de Rosis, Moretum, Versiculi poëtæ 'Nocte,' etc. Versus in Balistam latronem, Versus Ovidii 'Qualis,' etc. Summa Virgilianæ narrationis in Bucolicis, Georgicis et Æneide, Bucolica s. Eclogæ X. Georgicorum libri IV. Æneidos libri XII. Versus Sulpitii Carthaginiensis 'Jusserat,' etc. Carmina Cæsaris Augusti 'Ergone,' etc. et alia pauca. In fine versus seqq. leguntur referente Burio:

Adspicis illustris lector quicunque libellos
Si cupis artificum nomina nosse: lege.
Aspera ridebis cognomina teutona: forsan
Mitiget ars musis inscia uerba uirum.
Conradus suueynheym: Arnoldus pannartzque magistri
Rome impresserunt alia multa simul.
Petrus cum fratre Francisco maximus ambo
Huic operi aptatam contribuere domum.

Conf. Ill. Heynium de ed. princ. in præf. ad Virg. de Editt. p. CLXI. seq. ed. an. 1803. ab eoque laudatos, Clar. Harlesium in

Digitized by Google

notitia lit. Rom. et Scriptt. Lat. P. II. pag. 297. et Panzerum in Annal. typogr. T. II. pag. 411. seq.

1470 Veneta I. fol. Opera. (scil. Bucolica, Georgica, Æneis.) Venetiis, per Vindelinum de Spira. In fine subscriptos habet versus:

Progenitus spira formis monumenta maronis
Haec uindelinus scripsit apud uenetos.
Laudent ergo alii polycletos parrhasiosue.
Et quosuis alios id genus artifices.
Ingenuas quisquis musarum diligit artes
In primis ipsum laudibus afficiet.
Nec uero tantum quia multa uolumina: quantum
Q. perpulchra simul optimaque exhibeat.

M. CCCC. LXX.

Conf. Burius in Bibliogr. instructiva n. 2659. et Crevenna in Catal. raisonné Vol. III. pag. 189. seqq. qui eam principem esse putarunt.

Romana II. ex recognitione Jo. Andreæ Episcopi Aleriensis, per Conradum Sweynheim et Arnoldum Pannartz, et cum duplici præfatione Jo. Aleriensis, altera ad Paulum II. et altera ad Pomponium Lætum. s. Infortunatum, ex cujus Codice antiquissimo, majusculis characteribus scripto, poëmata tum Virgilii, tum alia, quæ adhærent, jam exhibuit castigatiora. In fine iidem leguntur versus, qui in Romana prima:

'Adspicis illustris lector,' etc.

fol. sine nota anni, sed circa an. 1471. impressa. Panzer Tom. II. pag. 425 seq.

1471 Veneta II. Bucolica, Georgica, Æneis, cum XIII. libro Maphæi Vegii. s. l. Venetiis, per Adamum Rot. fol. In fine:

Minciadae quicunque cupit cognoscere vatis
Carmina, seu quisquis Vegi simul optat habere
Me legat: aut fratris parvo numerosa iuventus
Uno eodemque sumus pressi sesquisque locoque
Non Solomon neque Hyram non Daedalus atq. Sibylla
Graecia non omnibus sapientibus inclyta q. q.
Non armis Roma potens aequaudaque Divis
Gloria iactavit tali sese arte decoram.
Nos igitur peperit patrem qui nomine primum
Retulit alter ADAM: formis quos pressit ahenis.

MCCCCLXXI.

Digitized by Google

Conf. Lairium in Spec. typogr. Rom. p. 169. Audiffred. pag. 91. et Panzer Tom. III. pag. 83.

— Bucolica, Georgica, Æneis, cum libro XIII. Maph. Vegii, Culex, Diræ, Copa, Est et Non, de Rosis, Moretum et Priapeia. fol. s. l. et typographo. In fine: Finis. M. CCCC. LXXI.

Cur haec sculpantur, quamvis obscena, requiris
Da veniam, sunt haec scripta Marone tamen.

Editionem præstantem et nitidam appellat Burius, qui de ea agit sub n. 2661. eamque superiori Adami Rot simillimam ab eodem artifice, sed, ob diversam orthographiæ rationem, ex alio exemplari descriptam esse existimat.

Eodem anno 1471. Servius primo in lucem prodiit; et quidem plus simplici vice. Prima editio est Veneta Valdarferi Ratisbonensis:

— Servii Mauri Honorati Commentarii in Virgilium, a Bapt. Guarino olim emendati, a filio autem in lucem editi. Venetiis, per Christophorum Valdarfer Ratisponensem. fol. In fine:

Si quis in Italia bene pressa volumina quaerit,
Nulla quibus toto corpore menda sedet,
Hoc opus inspiciat: sunt exemplaria quippe
Emendata tua, magne Guarine, manu.
Edidit ille mei genitus Baptista Guarini
In lucem nullo tempore visa prius.
Quae pretio ingenti summisque laboribus empta
Christophorus potuit solus habere celer,
Sanguine Valdarfer, quem Ratispona creavit.
Inventoris opus lingua Latina probat.
M. CCCC. LXXI.

Panzer Tom. III. pag. 79. Heyne pag. CLXV.—Secunda:

— Servii Mauri Honorati Commentarii in Virgilium, a Lud. Carbone emendati. Venetiis, impensis ejusdem Valdarferi. fol. In fine:

In commune bonum mandasti plurima formis
Ratisponensis gloria Christophore:
Nunc etiam docti das commentaria Servi
In quibus exponit carmina Virgilii.
Divulgasque librum qui rarior esse solebat
Ut parvo pretio quisque parare queat.

Digitized by Google

Hunc emite, o Iuvenes: opera Carbonis ad unguem
Correctus vestris serviet ingeniis.

MCCCCLXXI.

Panzer ibid.—Tertia:

— Mauri Servii Honorati Grammatici ad Virgilii Opera diligens Interpretatio. Ferrariæ, per Andream Gallum. fol.—Unius Orlandi testimonio nititur hæc editio, a nemine alio adhuc visa: itaque de ea dubitatur. Panzer Tom. I. pag. 393.—Sequitur editio Romana Udalrici Han:

'Mauri Servii Honorati Grammatici in tria Virgilii opera expositio incipit. et primo in Bucolica.' Hæc in fronte. In fine:

Anser Tarpeii custos Iovis, etc.
Udalricus Gallus: ne quem poscantur in usum
Edocuit pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die: quantum non scribitur anno
Ingenio. haud noceas. omnia vincit homo.

fol. s. n. a. sed a Panzero ad an. 1471. relata.—Quinta est editio Florentina:

1471 et 1472 M. Servii Honorati Commentarii in tria Virgilii Opera, Bucolica, Georgica, et Æneidem. Accedit ejusdem ad Aquilinum de natura syllabarum libellus. Florentiæ, per Bernadum et Dominicum Cennini Florentinos. fol. In fine totius operis inter alia hæc leguntur: 'Petrus' (Cenninus) 'Bernardi F. emendavit, cum antiquissimis autem multis exemplaribus contulit. In primisque illi cura fuit: ne quid alienum Servio adscriberetur, neu quid recideretur, aut deesset: quod Honorati esse pervetusta exemplaria demonstrarent.' Plura vide apud Panzerum Tom. I. pag. 404. coll. Tom. IV. pag. 298. Initium excudendi factum VII. Id. Nov. 1471. et finis Non. Oct. 1472. Nulla autem quinque harum Servii editionum textum Virgilii adjectum habet.

1472 Veneta III. Opera. (Bucolica, Georgica, Æneis) Venetiis, per Leonardum Achatem. fol. In fine:

Urbs Basilea mihi, nomen est Leonardus Achates:
Qui tua compressi carmina, dive Maro.

'Anno Christi humanati MCCCCLXXII. Venet. Duce Nicolao Trono.'—Varietatem lectionis ex ea exhibuit Maittairius in fronte editionis Virgilii Tonson. 1715.

— Veneta IV. Opera (Buc. Georg. et Æn. cum reliquis opusculis,

Digitized by Google

et cum Priapeiis et libro XIII. Æn.) Venetiis, per Bartholomæum Cremonensem. fol. In XIX. foliis, quæ in fronte præfixa sunt, tabula librorum, vita Virgilii, cum quibusdam epigrammatibus tam Virgilii, quam de Virgilio, præmittitur. Sequitur Summa Virgilianæ narrationis, et hexastichon:

Quem legis: impressus dum stabit in aere character
Dum non longa dies vel fera facta prement.
Candida perpetuae non deerit fama Cremonae
Phidiacum hinc superat Bartholomeus ebur.
Cedite chalcographi: millesima vestra figura est.
Archetypas fingit solus at iste notas.

'M. CCCC. LXXII. Nicolao Truno Principe Venetiarum regnante, quæ in hoc volumine continentur, foeliciter impressa sunt.'— Panzer Tom. III. pag. 91.

— Opera (c. opusculis et Priapeiis) fol. sine loco et artifice impressionis, nisi quod 'B. H.' subnotatum sub finem est; unde credimus fuisse Benedictum Herculem, typographum Ferrariæ. Vulgo tamen ab Ant. Zaroto Mediolani confecta creditur. In primi folii pagina 1. legitur: 'Lector, si Virgilii vatis eminentissimi opera legere cupis: haec maiestatem antiquitatis redolentia perlege: nec quiequid in his emendandis, corrigendis, castigandisque operibus Romana Venetaque lima poliverit, terserit, et ad suum redegerit nitorem, perspicuum est: sed diligens ista sedulitas: et criticorum censura discedat: cessetque nimis affectata castigatio: cum ab ipsis propriis Maronis exemplaribus: quae Romae in aede divi Pauli reposita sunt: integrum, purum nitidumque opus hoc effluxerit natumque sit: si vis certior fieri: id legito. Vale. B. H. Anno incarnationis dominicae M. CCCC. LXXII.' —Editio rarissima, de qua conf. Ill. Heynius pag. CLXVII. et Panzer Tom. II. pag. 13.

— Opera (Bucolica, Georgica, et Æneis cum supplemento Maphæi Vegii) per Jacobum, Baptistam et Alexandrum Fivizani. fol. min. oblongo. In fine:

Sculpserunt docti manibus sed pectore firmo
Carmina uirgilii uatis super aethera noti
Iacobus existens primus: baptista sacerdos
Atque alexander comites in amore benigni.
Qui fiuizani uiuunt super oppida digni.

M. CCCC. LXXII.

Digitized by Google

Primus hujus editionis notitiam dedit Laire Ind. I. pag. 292. tanquam Venetiis a Fivizanis curatæ: sed in oppido Fivizani, ditionis Toscanæ, haud longe a Lunæ finibus, exaratam esse docuit Fossi Cat. Codd. biblioth. Magliab. Tom. II. pag. 797.

1473 Veneta V. repetitio tertiæ. fol.—Venetiis, per Leonardum Achatem. Vid. Catal. bibl. Ducis de la Valliere, Tom. II. num. 2434. In calce Æneidos legitur:

EXPLICIT. LIBER XII.

P. MARONIS. VIRGILII. VITA. EX: SERVIO.

DONATO: QUINTILIANO. AGELIO. ET. RELIQUIS.

Vitam sequitur: 'Galli Cornelii ad Oct. de morte Virgilii:' et 'Oct. Au. Ce. Res.' Cujus in fine subscriptum est distichon, quod ad primam Achatis an. 1472. retulimus. Tum legitur: 'Anno Christi humanati. M. CCCC. LXXIII. Venet. Duce Nicol. Marcel.' Sequuntur Catalecta, cum subscriptione: 'Finis. M. CCCCLXXIII.'—Panzer Tom. III. pag. 97.

— Brixiensis I. Opera. (Bucolica, Georgica, Æneis.) fol. In fine: 'Brixiae Maronis opera expressa fuere presbytero petro uilla iubente die uigesimo primo aprilis MCCCCLXXIII.'—Panzer Tom. I. pag. 243. Est primus liber Brixiæ prelo excusus.

— Romana III. Opera, cum Moreto, Priapeiis, Copa, Culice etc. fol. In fine: 'Presens hec Virgilii impressio poëte clarissimi in alma urbe Roma facta est—non atramento, plumali calamo neque stylo aereo, sed artificiosa quadam adinventione imprimendi seu characterizandi opus sic effigiatum est ad Dei laudem industrieque est consummatum per Udalricum Gallum et Simonem de Luca. Anno domini MCCCCLXXIII. die vero IV. Novembris. Pontificatu vero Sixti divina providentia quarti anno eius tertio.' —Panzer Tom. II. pag. 440.

1474 Mediolanensis I. fol. Opera (c. Maphæi suppl. Copa, Moreto et al. Opusc.) per Philippum de Lavagnia. In fine: 'Mediolani impressum per Magistrum Philippum de Lavagnia MCDLXXIV. die XIV. Iunii.'—Quam curaverat Boninus Mombritius. Conf. Fontanini hist. litt. Aquilei. p. 40. Variantes lectt. ex ea excerptas præfixit editioni Lond. 1715. Maittairius.

1475 Veneta VI. Opera. Præcedunt: Vita poëtæ variaque illi supposita opuscula. In fine: 'P. Virgilii Maronis opera feliciter finiunt. Venetiis insignita per Nicolaum Ienson Gallicum M. CCCC. LXXV.' fol.—Panzer Tom. III. pag. 106.

Digitized by Google

— Veneta VII. Opera cum Commentariis Servii. Venetiis, per Jac. Rubeum Gallicum. fol. Pro prima Servii editione falso olim, etiam a Fabricio habebatur. Dicendum erat, esse primam Servii Maronis carminibus subjuncti.—Panzer Tom. III. p. 110.

— Mediolanensis II. Opera. fol. In fine: 'Mediolani. Anno a Natali christiano milesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. Octavo Kalend. sextilibus P. Virgilii Maronis partheniae Opera omnia diligenter emendata: diligenter impressa sunt ab Antonio Zarotho Parmensi: qui quidem artifex egregius propediem multo maiora de se pollicetur.

Vos oh felices cupitis qui plurima scire:
Nummorum quibus est: copia parva domi.
Hactenus ille magis sapiens: cui copia maior
Librorum: nunc cui promptius ingenium.'

—Repetitio ed. Mediolanensis an. 1474. Panzer Tom. II. pag. 20.

— Mauri Servii Honorati Commentarii in Bucolica, Georgica, et Æneidem Virgilii. In fine: 'Anno a Natali christiano millesimo quadringentessimo septuagessimo quinto Kalendas decembribus Diuo Galeacio maria sfortia uicecomite Mediolani duce quinto florente hoc opus non indiligenter est impressum.' fol. Char. rom. Ant. Zaroti.—Panzer Tom. II. pag. 21.

— Opera, cum Copa, Moreto, Diris etc. Mutinae. fol. In fine: 'Mutinae impressum per Magistrum Iohannem Vurster de Campidona anno D. MCCCCLXXIIIII. die vicesima tertia Mensis Ianuarii.'—Panzer Tom. II. pag. 146.

— Bucolica et Georgica. Lovanii. fol. min. In fine: 'Bucolicorum, Georgicorum et quorundam tractatulorum opus insigne Virgilii poëtarum principis Ioannes de Paderborne in Westfalia alma in universitate Lovaniensi residens suo proprio signo consignando feliciter consummavit anno incarnationis dominicae 1475. mensis novembris die vicesima nona.'—Panzer Tom. I. pag. 512. Conf. Heyne pag. CLXIX. seq.

1476 Mediolanensis III. Opera omnia et opuscula—'diligenter emendata et accurate impressa sunt anno a natali Christiano millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto XIII. Kalen. Octobres ab Antonio Zarotho Parmensi' etc. fol.—Videtur et haec ad exemplum Lavagniae 1474. expressa esse. In utraque certe Ciris omissa.—Panzer Tom. II. p. 24.

Digitized by Google

— Vicentina I. Opera, cum Catalectis et Priapeiis. In fine: 'P. Virgilii Maronis opera foeliciter finiunt Vincentiae insignita per Ioannem de Vienna, anno Domini M. CCCC. LXXVI.' fol. Panzer Tom. III. p. 510.

— Venetam hujus anni laudat Martinus ad Georg. III. 468. quæ forte eadem est cum Veneta superioris anni, aut repetita est hoc anno editio per Nic. Jenson: quod colligo e Catalogo Constantiensi. Editionem ejusdem anni consuluisse fertur Cuninghamus, teste ed. Edinburg. Præf. Nec Panzero plura innotuere Vol. III. pag. 121. Heyne pag. CLXX.

— Æneis. 'Lovanii per Ioan. de Paderborne in Westfalia 1476. mensis Aprilis die octava.' fol. min. In subscriptione ad calcem typographus narrat, se inter versus spatia reliquisse glossulis inserendis, non parva data opera ut eum (poëtam) aliis emendatiorem et melius punctis distinctum redderet. Panzer Tom. I. pag. 512.

1478 Parisina I. Opera, cum epistola Phil. Beroaldi. In fine: 'P. Virgilii Maronis vatis eminentissimi volumina haec diligentissime castigata una cum vita eiusdem Parisius impressa sunt per Magistrum Udalricum Gering anno salutis M. CCCC. LXXVIII. mense Septembris.' fol. min. Operam in emendanda hac ed. locaverat Paul. Malleolus, Prof. Eloq. Paris. sed ob characteris deformitatem et immensam erratorum copiam, ipse eam reprobaverat. Itaque mox an. 1498. nova editio Parisiis fuit adornata, de qua vid. infr.

— Mediolanensis IV. Operum. In fine: 'Hoc P. Virgilii Maronis Opus Dei auxilio et Alamanorum industria impressum est feliciter Mediolani impensis Magistrorum Leonardi Pachel de Engelstadt' (Ingolstadt) 'et Ulrici Scinzenzeler anno MCCCCLXXVIII. tertio Idus Maii regnantibus Illustrissimis Mediolani Principibus Io. Galeaz Maria Sfortia Vicecom. et Bona Ducissa eiusdem Ducis genitrice invictissima. Ad omnipotentis laudem, totiusque Curiae coelestis gloriam, et generis humani utilitatem. Amen.' fol. Panzer Tom. II. pag. 33.

1479 Parmensis. Opera, cum Copa, Moreto, Diris, De est et non est, De Rosis, Culice, Priapeiis, De Herculis laboribus, De litera y, De Fortuna, De Orpheo. In fine: 'Impressum parmae opera et impensis Andreae Portiliae Anno Domini MCCCCLXXIX. Quarto Idus Maii.' fol. Panzer Tom. II. pag. 352.

Digitized by Google

— Vicentina II. Opera, cum commentariis Servii. Præfixa est Jo. Calphurnii epistola ad Hieronymum Portensem, ex qua patet, operam ejus fuisse inprimis in Servio collocatam, quem 'valde mendose factum, et a quodam eius temporis homine erudito ineptiis additis coinquinatum purgasse.' In fine hujus epistolæ: 'Hoc opus exactissima cura et eruditione Ioannis Calphurnii uiri doctissimi recognitum Leonardus de Basilea Vincentiae diligentissime impressit Anno a nativitate domini nostri Iesu Christi MCCCCLXXIX.' fol. Panzer Tom. III. pag. 512. Heyne pag. CLXXI.

1480 Veneta VIII. Operum, cum commentariis Servii, vita Poëtæ, et Libro XIII. Maphæi Vegii. In fine: 'Omnia haec volumina —mira quadam arte ac diligentia impressa sunt per Iacobum Rubeum natione Gallicum. Anno Domini M. CCCC. LXXX. mense Ianuarii. Petro Mozanigo inclyto Duce Venetiarum.' fol. Panzer Tom. III. pag. 154.

— Veneta IX. Operum, cum commentar. Servii. In fine: 'Impressum Venetiis, mira arte et diligentia Petri Piasii Cremonensis, Bartholomaei Blanii de Alexandria et Andreae Torresani de Asula. An. Dom. MCCCCLXXX. die prima Augusti.' fol. Panzer Tom. III. pag. 157.

1481 Mediolanensis V. P. Virgilii Maronis volumina diligenter emendata. 'Mediolani, per Antonium Zarotthum, opera et impendio Iohannis Legnani. Anno Domini MCCCCLXXXI. die XX. Ianuarii. Finis.' fol. Panzer Tom. II. pag. 41.

— Bucolica, Georgica, Æneis, Catalecta, Priapeia. Georgica et Æneis cum argumentis. In fine: 'Impressum parme. Anno d. M. CCCC. LXXXI. tertio Kl'a Martias.' fol. Panzer Tom. IX. pag. 269.

— Mediolanensis VI. Opera et opuscula, cum Priapeiis. In fine: 'Volumina haec summa cum cura emendata Leonardus Pachel una cum Udalricho Scinczenceller, eius socio, impressit an. Domini MCCCCLXXXI. IX. Kal. Sept. Mediolani.' fol. Panzer Tom. II. pag. 43.

1482 Veneta X. Opera, cum commentariis Servii et Vita poëtæ. In fine: 'P. Virgilii Maronis vatis eminentissimi: Volumina hec Vna cum Servii Honorati grammatici commentariis: Ac eiusdem poëte vita Venetiis impressa. Per Magistrum Renaldum de Nouimagio theotonicum. Anno Domini Millesimo CCCC. LXXXII.

Digitized by Google

Die XXVII. Septembris.' fol. Subjecta habet Catalecta et Maphæi lib. XIII. Lectionem sequitur vulgatam editionum superiorum. Memoratur Panzero Tom. III. pag. 179.

— Mediolanensis VII. Opera et opuscula. In fine: 'P. Virgilii Mar. volumina haec summa cum diligentia emendata Mediolani Antonius Zarothus imprimi curavit impendio Iohannis Legnani anno Domini MCCCCLXXXII. Octavo Kalendas Maias.' fol.— Repetitio editionis 1481. Panzer Tom. II. pag. 44.

— Bucolicon liber ad C. Asinium Pollionem, Georgica, Æneis, et opuscula. In fine: 'Impressa sunt haec Maronis Opera Regii Lepedi cura et impensis Alberti de Mazalibus Regiensis Anno salutis MCCCCLXXXII. X. Kale. Aprilis. 4.' Panzer Tom. II. pag. 393.

— Opera, cum commentariis Servii. In fine: 'Maronis opus cum Serui honorati enarratione. impressum anno MCCCCLXXXII. die 13. nouembris.' fol. sine loci nota. Panzer Tom. IV. pag. 28.

1483 Veneta XI. P. V. M. Bucolica, Georgica, Æneis, c. comm. Servii; et ejusdem Opuscula, cum enarrationibus Domitii Calderini; P. Virgilii Mar. ad Priapum, et Priapeia cum aliis. 'Impressum MCCCCLXXXIII. die XV. Decembris Venetiis per Baptistam de Tortis.' fol. In hac ed. Domitii enarratio primo occurrit, in opuscula minora scilicet, ad Culicem, Ciris, et alia. Heyne pag. CLXXIII. Panzer Tom. III. pag. 197. Differunt vero exempla hujus libri. Sunt, in quibus post annum impressionis legitur: 'die primo octobris;' eaque non habent Domitii enarrationem: quæ, divendita jam parte editionis, reliquæ a librario videtur addita, mutata simul mensis nota. Conf. Panzer Tom. XI. pag. 340.

1484 Brixiensis II. Opera cum Servii commentariis. In fine: 'P. Virgilii Mar. vatis eminentissimi Volumina haec una cum Servii Honorati Grammatici Commentariis ac eiusdem poëtae vita Brixiae impressa sunt per Boninum de Boninis de Raguxia Octobris die VII. MCCCCLXXXIV.' fol. Panzer Vol. I. pag. 245.

— Veneta XII. Opera, cum Servii commentariis. 'Impressum Venetiis per Tomam de Alexandria MCCCCLXXXIV. die XXV. Decembris.' fol. Panzer Tom. III. pag. 206.

1485 Brixiensis III. Operum, cum commentariis Servii. In fine: 'Impressum Brixiae per Iacobum Britannicum Brixianum. MCCCCLXXXV. die XXII. Augusti.' fol. Convenit cum ceteris, inprimis

Digitized by Google

Venetis, quae Servium habent. Panzer Tom. I. pag. 247.

1486 Veneta XIII. Opera (cum lib. XIII. Æneidos, et opusculis, inter quæ et Ciris) cum commentariis Servii. In fine: 'P. Virgilii Maronis Volumina haec una cum Servii Honorati Grammatici commentariis et eiusdem poëtae vita Venetiis impressa sunt per Antonium Bartholomei impressorum discipulum. MCCCCLXXXVI. mense Octobris.' fol. Est hæc editio ex nitidissimis, teste ill. Heynio; verum ad verbum et ad paginam expressa ex ed. Vicentina 1479.

1487 Pomponii, doctissimi viri, Interpretatio in Æneide Virgilii. Præcedit Epistola Dan. Gaietani, Petro Mannæ inscripta. In fine: 'Impressum Brixie per Boninus (*sic*) de Bouinis (*sic*) de Ragusia. Anno X. M. CCCC. XLXXX. (*sic*) die V. mensis Februarii.' Accedit: Pomponii grammatici eruditissimi in Culicem Commentarium: quod sequuntur Commentaria in alia ejusmodi poëmatia Virgilio tributa, cum Comment. in opus Bucolicorum, ac postremo in opus Georgicorum. In fine Georgicorum: 'Impressum Brixiae per Boninum de boninis de Ragusiae (*sic*) M. CCCC. LXXX. VII. die XVIII. mensis Februarii.' fol. De hac Pomponii Læti interpretatione, si quidem ejus est, videndus ill. Heyne pag. CLXXIV. seqq. Memoratur Panzero Tom. IV. pag. 257. seq.

— Florentina. P. Virgilii M. Opera, cum commentariis Servii Mauri Honorati et Christoph. Landini. (Adjuncta quoque sunt carmina minora, ultimo loco Moretum. In Æneida quoque epitome Donati est insertae.) 'Florentiae MCCCCLXXXVII. XV. Kalendas Aprilis.' fol. Panzer Tom. I. pag. 414.

— Veneta XIV. Opera, cum Servii commentariis. 'Venetiis, per Baptistam de tortis MCCCCLXXXVII. die XXIII. Maii.' fol. Repetitio, ut videtur, editionis 1483. sine Domitii tamen commento. Panzer Tom. III. pag. 242.

— Veneta XV. Opera, cum Servii commentario. In fine: 'Impressum Venetiis per Bernardinum Benalium MCCCCLXXXVII. die XXII. Augusti.' fol. Panzer Tom. III. pag. 243.

— Mediolanensis VIII. Opera, cum comment. Servii. In fine: 'Impressum Mediolani per Leonardum Pachel et Uldericum Scinzenzeller MCCCCLXXXVII.' fol. Panzer Tom. II. pag. 55.

1488 Bucolica. 'Daventriae.' 4. Fabric. Bibl. Lat. Vol. II. pag. 231.

Digitized by Google

— Veneta XVI. Opera, cum Servii commentariis. Ad cujus calcem legitur: 'Impressum hoc opus Venetiis per Magistrum Andream de Palthascichis Catharensem MCCCCLXXXVIII. Kal. Sept.' fol. Convenit cum Veneta 1487. Subjecta quoque carmina minora. Panzer Tom. III. pag. 251.

1489 Veneta XVII. Bucolica, Georgica, Æneis, cum Comment. Servii, Donati, Landini et Calderini; Vegii lib. XIII. Æn. Catalecta etc. cum Comment. Calderini. 'Venetiis, per Georgium Arrivabenum Mantuanum. Anno MCCCCLXXXVIIII. quinto Cal. Quinctil.' fol. Panzer Tom. III. pag. 274.

Parisina II. Opera, 'a paulo adelocen. exactissime emendat. parisiisque in vico sorbonico impress. MCCCCLXXXIX. XII. Kal. Decembr.' 4. Panzer Tom. II. pag. 292.

— Bucolica cum Georgicis. 'Daventriae per Richard. Pafraet.' 4. Panzer Tom. I. pag. 357.

— Phil. Beroaldi Bononiensis Annotationes in Commentarios Servii, Virgiliani Commentatoris. 'Florentiae impr. Ant. Mischominus.' 4. Panzer Tom. I. pag. 415.

1490 Mediolanensis IX. Opera, cum commentariis Servii, Donati, Landini et Calderini. 'Mediolani per Uldericum Scinzenzeller.' fol. Panzer Tom. II. pag. 62.

— Bucolica et Georgica, cum commentariis Ant. Mancinelli Veliterni. In fine: 'Impressum est opus Romae summa diligentia per Eucharium Silber alias Franck: absolutumque die vicesima Octobris Anno domini MCCCCXC.' fol. Panzer Tom. II. pag. 499.

1491 Veneta XVIII. Opera, cum commentariis Servii, Donati, Landini et Calderini. In fine: 'Impensis atque diligentiori cura Lazari de Saviliano impressa Venetiis: Anno natalis dni. M. CCCC. LXXXXI. Tertio Nonas Ianuarii.' fol. Panzer Tom. III. pag. 307.

— Veneta XIX. Opera et lib. XIII. Maphæi Vegii, cum commentario Servii et in minora poëmatia Domitii Calderini. Præmissa est Christoph. Landini præfatio. 'Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de Portesio.' fol. Panzer Tom. III. pag. 303.

— Veneta XX. Vergilius cum quinque commentis. In fine Georgicorum: 'P. Vergilii Maronis Bucolicorum et Georgicorum libri—Venetiis per Philippum pintium Impressi Anno incarnationis Domini M. CCCC. XCI. die XXVIII. Decembris.' Ad calcem

Digitized by Google

totius operis: 'Impressum Venetiis Anno domini MCCCCXCI. Dic (*sic*) Decimo Octobris.' fol. Quinque illa commenta, sæpius hinc repetita, sunt Servii, Donati, Landini, Mancinelli, Domitii Calderini. Ducit igitur ordinem editionum cum quinque Commentis. Panzer Tom. III. pag. 307. Alia Veneta an. 1492. cum quinque Commentis exstat in Bibl. Acad. Erlangensi, teste Harlesio in Suppl. ad brev. Not. lit. Rom. P. I. pag. 364. quæ quidem in fine Georgicorum eandem plane habet subscriptionem, quæ legitur in ed. 1491. sed ad calcem totius operis diserte scriptum: 'Impressum Venetiis Anno domini MCCCCXCII. Die Decimo Octobr.' Atque hoc verius exaratum videtur, quia Bucolica et Georgica mense Decembri 1491. prelo exiisse dicuntur. Potest igitur eadem editio esse, quanquam exemplaria in nota anni ad calcem operis differunt.

1492 Veneta XXI. Opera, cum comment. Donati, Landini et Servii. 'Venetiis, impensis Francisci de Gerardenghis de Papia, labore et industria Antonii Lambillionis. MCCCCLXXXXII. Non. Nov.' fol. Panzer Tom. III. pag. 325.

— Noribergensis. Opera, cum comment. Servii, Donati, Landini et Calderini. In fine: 'P. Virgilii Maronis opera cum Servii Mauri Honorati grammatici: Aelii Donati: Christophori Landini: atque Domitii Calderini: Commentario. Nurmberge impressa impensis Anthoni koberger Anno xpi MCCCCXCII. Laus omnipotenti Deo.' fol. Panzer Tom. II. pag. 210. Est mera repetitio Venetæ 1489. cum Landini commento.

— Opera, cum variorum commentariis. 'Lipsiae.' fol. Panzer Tom. I. pag. 478.

— Bucolica. 'Daventriae.' 4. Panzer Tom. I. pag. 360.

1493 Veneta XXII. Opera, cum commentariis quinque. In fine: 'Impressum Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de Portesio. Sub Ao. domini M. CCCC. LXXXXIII. die ultimo Iulii.' fol. Panzer Tom. III. pag. 339. Est repetitio Venetæ XX.

1494 Veneta XXIII. Opera, cum comment. Servii. 'Venetiis per Damianum de Mediolano MCCCCXCIV. die XV. Iunii.' fol. Panzer Tom. III. pag. 361.

— Veneta XXIV. Opera, cum commentariis Servii, Landini, Mancinelli, Donati et Domitii, cum Catalectis. 'Venetiis MCCCCXCIV. die ultimo Septembris.' fol. s. n. typogr. Panzer Tom. III. pag. 365.

Digitized by Google

— Veneta XXV. P. Virgilius cum commentariis quinque. Catalecta cum Domitii Calderini comment. In fine: 'Impressum Venetiis per Bartolomeum de Zanis de Portesio sub anno domini M. CCCC. CXIIII. (leg. XCIIII.) die octavo Octobris.' fol. Panzer Tom. III. pag. 355.

— Parisinam in 4to. editionem hujus anni laudat aliquoties Martinus ad Georg. III. 256. 435. IV. 391. quæ sine dubio est Georgicorum tantum.

— Bucolica cum commentario (Hermanni Torrentini.) 'Daventriae per Iacobum de Breda Anno MCCCCXCIIII. in profesto scti Willebrordi epi Traiecten.' fol. Panzer Tom. I. pag. 362.

— Libri Georgicorum. 'Lipsiæ, per Arnoldum de Colonia.' 4. Panzer Tom. I. pag. 481.

— Æneis. In fine: 'P. Virgilii Maronis Eneis opus insigne finit. Impressum Lyptzk per Arnoldum Coloniensem anno gratie MCCCCXCIIII.' 4. Panzer ibid.

1495 Veneta XXVI. Opera, cum commentariis quinque, viz. Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. In fine: 'Impress. Venetiis per Bartholomeum de Zannis de Portesio, sub anno domini MCCCCXCV. die octavo Augusti.' fol. Panzer Tom. III. pag. 374.

— Veneta XXVII. Opera, cum commentariis Servii, Landini, Mancinelli, Donati et Domitii. Servii item errores suo loco castigati. Accedunt Carmina minora. 'Venetiis a Philippo Pincio Mantuano Anno domini MCCCCXCV. die octava Augusti. cum privilegio ne quis audeat imprimere usque ad annos decem sub poena in eo contenta.' fol. Et hæc, et ed. antecedens, meræ sunt repetitiones Venetæ an. 1491. Panzer Tom. III. pag. 376.

— Bucolica, Georgica et Eneidos libri duodecim. In fine: 'Publii Virgilii Maronis Eneis opus insigne finit: Impressum Heydelberge per Henricum Knoblotzer Anno gratie M. CCCC. XCV.' 4. Char. goth. Panzer Tom. I. pag. 459.

— Bucolica, cum commento. In fine: 'Virgilii Maronis Carmen Bucolicon. Impressum Lyptzk per Arnoldum de Colonia anno gratie MCCCCXCV.' 4. Panzer Tom. I. pag. 484.

— Bucolica, cum commento familiari. Parisiis. 8. Panzer Tom. II. pag. 310.

— Georgica. Parisiis. 8. Panzer ibid.

1496 Georgica, cum commentario Hermanni Torrentini. 'Daven-

Digitized by Google

triae, per Richard. Pafraet.' 4. Panzer Tom. I. pag. 364. coll. Tom. IV. pag. 287.

1497 Veneta XXVIII. Opera, cum commentariis Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. In fine: 'Impressum Venetiis per Simonem papiensem dictum Bevilaqua. Anno a nativitate Dni. M. CCCC. LXXXXVII. die XX. Febr.' fol. Panzer Tom. III. pag. 412.

— Bucolica Virgilii. In fine: 'Virgilii Maronis Carmen Bucolicum finit. Impressi (Lipsiæ) per Georium poetticher Anno nostre salutis 97.' 4. char. Goth. Panzer Tom. IX. pag. 237.

1498 Parisina III. P. Virgilii Maronis Opus, per Paulum Malleolum Andelacensem iterata diligentia plane recognitum. In fine: 'Parisiis, per Udalricum Gering et Bertholdum Rembolt socios in vico Sorbon. quam tersissime impressum 1498. 9. Calend. Iulii.' fol. min. s. 4. Ex Paris. 1478. et 1489. expressa, sed emendatior. In ep. præfixa P. Malleolus cum de aliis typographorum multorum fraudibus queritur, tum de nonnullis prævaricatoribus chalcographis—qui 'ut numerum augerent interpretum, nec tamen plùs assumerent papyri, Ant. Mancinellum in Bucolica Georgicaque adiicientes, et Servium, et Donatum et Landinum, probatissimos interpretes, per universum opus laceros, mancos et exanimes reddiderunt.' Quæ dicta adversus editorem Venetæ 1495. Barth. de Zannis existimat Heynius p. CLXXXI.

— Bucolica, cum commento Herm. Torrentini. In fine: 'Bucolica Virgilii. Daventriae impressa, per me Richardum pafraet—feliciter expliciunt. Anno MCCCCXCVIII. quinta Maii.' 4. Panzer Tom. I. pag. 365.

— Georgica, cum comment. Herm. Torrentini. In fine: 'Familiaris in P. Virgilii georgica commentarius Hermanni torrentini.—Impressus daventrie per me Richardum pafraet Anno MCCCCXCVIII. vicesima nona Maii.' 4. Panzer ibid.

— Georgica. In fine: 'P. Virgilii Maronis Georgicorum libri quarti finis. Impressum Lyptzk per Baccalarium Wolfgangum Monacensem anno gratie MCCCCXCVIII.' 4. Panzer Tom. I. pag. 490.

1499 Veneta XXIX. Opera, cum commentariis quinque Servii, Landini, Mancinelli, Donati, Domitii. Servii item errores suis locis annotati. In fine: 'Venetiis a Philippo Pincio Mantuano. Anno domini M. CCCC. XCIX. die quinto Februarii.' fol. Ducta

Digitized by Google

ex ed. Pincii 1495. Panzer Tom. III. pag. 457.

— Lugdunensis. Opera cum commentariis quinque. In fine: 'Impressum per Iacobum Zachon pedemontanum Venetiis (Lugduni) charactere. Sub anno domini 1499. Die 9. decembris.' fol. Panzer Tom. I. pag. 556. coll. Tom. IX. pag. 249.

— Georgicorum P. Virgilii Maronis liber, cum novo commentario Hermanni Torrentini. In fine: 'Georgicorum Virgilii opus visum revisumque denuo. Novoque ut vides caractere Coloniae industria Henrici Quentel civis eiusdem exaratum. Anno virginei partus proximo ante iubileum centenarium felici meta quievit.' 4. Panzer Tom. IX. pag. 225.

— Bucolicorum P. Virgilii Maronis luculentissima ac familiaris vocabulorum explanatio. Virgilius de se ipso etc. Hæc in fronte. Fol. 2. Prohemium. In P. Virgilii Maronis Bucolica: Hermanni torrentini commentarii. In fine: 'Bucolicorum finis Colonie per Henricum Quentell Anno ante iubileum.' 4. Panzer ibid.

— Opuscula, Vir bonus, Est et non, de Y littera pitagorica, de Rosa, et in obitu Mecenatis Elegia. In fine: 'P. Virgil. Mar. opusculorum in sancta Colonia exaratorum opera et impensis Henr. Quentel faustus adest finis. In eius celebritate qui deo dicatis coniugium interdixit. Anno virginei partus ante iubileum centesimum.' 4. Panzer ibid.

1500 Opera, cum commentariis quinque. 'Venetiis a Lucantonio Florentino anno domini MCCCCC. die XXVII. Augusti.' fol. Ad Pincianam an. 1495. expressa. Panzer Tom. III. pag. 478.

— Georgica Virgilii cum novo commentario Herm. Torrentini. In fine: 'Impressus Daventrie per m. Richardum pafraet anno dni MCCCCC. altera die post festum Thome apostoli.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 320.

Subjicimus nonnullas editiones seculi XV. sine temporis aut loci notatione: de quibus tamen, notante Heynio, non sine cautione pronuntiare licet; quandoquidem plerumque extrema pagina et indicibus destituta exemplaria in hunc censum veniunt.

.. Opera. fol. s. a. l. et typogr. Argentorati, ut videtur, circa an. 1471. impressa, typis Io. Mentelii. Panzer Tom. I. pag. 73. seq. Heyne. p. CLXXXIII.

.. Eclogæ, Georgica et Æneis. fol. s. a. l. et typogr. Memoratur in Biblioth. Smithiana pag. D. ut perpulchra, et characteris literarum ad Vindelianam accedentis.

.. Virgilius, cum commentar. Servii, Donati et Landini. Ad

Digitized by Google

calcem: 'Impressum Venetiis per Ligam Boariam x. Kal. Ian.' fol. s. a. Repetitionem ed. Florentinæ an. 1487. esse, suspicatur Heynius. Extat ejus exemplum in bibl. Acad. Goëtting.

. . Opera, una cum Servii Honorati Grammatici commentariis. In fine: 'P. Virgilii Maronis Vatis eminentissimi volumina hæc unacum Servii Honorati Grammatici commentariis ac eiusdem Poëtae vita Venetiis impressa.' fol. s. a. et typogr. Panzer Tom. III. pag. 498.

. . Opera, cum Maphei Vegii libro XIII. Æneidos. Accedunt diversa carmina. Hæc excipiunt: Priapeia, Copa, Est et non est, Vir bonus, Rosæ, Culex, Diræ, Ætna, Ciris, Catalecton. fol. s. a. l. et typogr. char. Rom. Panzer Tom. IV. pag. 208. Aliam s. l. et a. ab hac diversam excitat idem vir doctus Tom. IX. pag. 339.

. . Opera. Adhærent: Copa, Moretum, Diræ, Est et non est, Rosæ, Culex, Priapeia. fol. s. a. l. et typogr. char. Lat. circa an. 1480. forte Venetiis. Panzer Tom. IV. pag. 208.

. . Mauri Servii Honorati Commentarius in Virgilii Opera. fol. char. Lat. Panzer Tom. I. pag. 76. inter libros Argentoratenses.

. . Bucolica et Georgica. In fine: 'Publii Virgilii Maronis Bucolicorum et Georgicorum Libri finiunt feliciter.' 4. s. a. et l. char. Rom. Panzer Tom. IX. pag. 339.

. . Bucolica. 4. char. Goth. rudi. Ex Pinelli et Denis Panzer Tom. IV. pag. 208. Conf. eundem Tom. IX. pag. 227.

. . Eclogæ. In fine: 'Laus Deo. Brixiae per Thomam Ferrandum.' 4. Pertinet ad primordia typographiæ, Brixiæ per Thom. Ferrandum introductæ. Panzer Tom. IV. pag. 263.

. . Opera, cum commentar. Ferrandi. 'Londini. Richard Pynson.' 8. s. a. Brüggemann in 'View of the English Editions of the Greek and Latin Authors' pag. 535. Rich. Pynson typographiam exercuit Londini intra annos 1493. et 1528.

. . Moretum. 4. s. a. l. et typogr. char. Goth. Panzer Tom. I. pag. 334. inter libros Colonienses. Conf. eundem Tom. IX. pag. 227. n. 447. g.

. . Moretum. Vir bonus. De Rosa. De Vino et Venere. 'Daventriae, in officina Alberti paefret.' 4. s. a. Crevenna Vol. III. pag. 199.

. . Culex. 'Lipsiae, per Martinum Herbipolensem.' 4. s. a. Panzer Tom. I. pag. 501.

Digitized by Google

. . P. Vergilii Epigrammatum. et primo opuscolum de viro bono. Sequuntur: de ludo contra avaritiam et iram: de livore seu invidia: de Venere et Vino: de littera y. Coppa. Ejus aut potius Ausonii Rosa. de signis cœlestibus. Monosticon. Disticon. Aliud. Mors trium animalium. Idem aliter. adhuc aliter. 4. char. Rom. s. a. et l. Panzer Tom. IX. pag. 339. seq.

. . Georgii Alexandrini (Merulæ) Emendationes in Plinium et Virgilium, adjectæ ejus in librum de homine Galeoti Animadv. 4. s. a. et l. char. ut videtur, Vindel. de Spira. Panzer Tom. III. pag. 483. n. 2710.

ÆTAS II. ASCENSIO—ALDINO—PIERIANA.
1500—1546.

A principibus: Iod. Badio ASCENSIO, interprete magis familiari, quam Critico; ALDO avo, cujus classica est editio tertia, ab Andr. Naugerio curata, perperam a sequentibus editoribus relicta; Jo. PIERIO Valeriano, qui adhibitis præstantissimis Codicibus emendavit Virgilium, seorsum editis Castigationibus an. 1521. Receptæ sunt hæ Pierii Castigationes in edd. 1529. Paris. et 1532. Rob. Stephani, item Junt. an. 1533. Adoptavit et breviter excerpsit sub nomine lectionum varietatis Alex. Velutellus in Ven. 1534. Jo. Bapt. Egnatii editio maxime ob Servium emendatiorem et pleniorem, tum Probi in Bucolica et Georgica Commentariolum, nunc primum impressum, commendabilis est. Ex hac Lugdunensis Ascensiana auctior evasit. Juntinæ meræ repetitiones Aldinarum sunt. Summam laudis ex Servio restituendo aucupatus est Rob. Stephanus. Nic. Erythræi cura in emendanda Virgilii lectione, quamvis mediocris, cum ejusdem scholiis intra minutias subsistentibus ab an. 1555. repetita est sæpius. Neque tacenda nomina Seb. Brant, qui ed. Argentor. I. curavit, et H. Sussannæi, qui Parisinis 1539. cett. præfuit. Interpretum superioris ætatis numerum auxere præter Ascensium et Erythræum, Phil. Melanchthon, Eob. Hessus, Joan. Ruellius, Adr. Barlandus, Iod. Willichius, ceteri.

1500 Ascensiana I. Bucolica et Georgica, cum commentariis Servii et Iod. Badii Ascensii. Lutetiæ. Johann. Petit. fol. Panzer Tom. II. pag. 335.

Digitized by Google

— Æneis Virgiliana, cum Servii commentariis, Philippi Beroaldi annotationibus, Donati enodationibus, Iodoci Badii Ascensii elucidatione atque ordinis contextu, etc. Omnia a Thielmanno Kerver compressa. 'Venundantur Parrhisii a Ioanne Parvo.' In fine: 'Compressit peritissimus calcographorum Thielmannus Kerver Confluentinus; absolvitque in inclyta Parrhisiorum academia ad decimum Calendas Februarii, anno secundum eiusdem loci computationem MD.' fol. Anno sequenti etiam 'Culex cum reliquis Poëmatiis' prelo eodem exiit; atque hæc est prima Ascensiana, quam tot aliæ secutæ sunt: ex quibus tamen omnibus criticæ opis nihil est expectandum. Nihil enim discessit Badius a lectione inde ab an. 1495. et 1499. a Venetis vulgata.

— (Erythræana I. Opera, 'Nic. Erythraei opera restituta additis eiusdem Scholiis—per Franc. Rampazetum.' 8. Sub hoc anno memoratur in Catal. Bibl. R. Paris. n. 818. teste Heynio. At typographus Fr. Rampazet floruit Venetiis circa an. an. 1560—1565. Itaque errorem in anno admissum putamus, et Erythræi I. rectius ad an. 1538. referimus.)

1501 Vergilius cum commentariis quinque, videlicet Servii, Landini, Ant. Mancinelli, Donati, Domitii. In fine: 'Venetiis, sub anno Domini MDI. die IX. Iunii.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 346.

— Aldina I. Virgilius. In fine: 'Venetiis ex aedibus Aldi Romani mense Aprili MDI.' 8. Mera est superioris alicujus editionis repetitio, etsi in præfatione promittitur Virgilius emendatus. Typis minoribus, quos Italicos, currentes, et Aldinos vocant, primus omnium librorum expressus. Adjecta est ad calcem epistola de orthographiæ ratione. Panzer Tom. VIII. pag. 343. Renouard Annal. de l'Imprimerie des Alde Tom. I. pag. 39. seq. Est etiam hujus ed. repetitio sine anno et loco, quam vide infra inter edd. s. a.

— Opera, cum commentar. Servii Mauri Honorati. Mediolani. fol. Panzer Tom. VII. pag. 378.

— Bucolicorum luculentissima explanatio (Herm. Torrentini.) 'Coloniae, per Henricum Quentell Anno post iubileum.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 348.

— Georgicorum liber, cum novo commentario Hermanni Torrentini. 'Coloniae, per Henricum Quentell. 1501.' 4. Panzer ibid.

— P. Virgilii Mar. aliquot opusculorum cum familiarissima eluci-

Digitized by Google

datione pro tyrunculorum in arte poëtices institutione insigni ut vides caractere 'in sancta Colonia exaratorum opera atque impensis Henrici Quentell anno post iubileum primo.' 4. Continentur: Vir bonus. Est et non. De y littera Pythagorea. De Rosa. Elegia de obitu Mæcenatis. Panzer ibid.

— Culex. Diræ. Æthna. Cyris. Moretum. Hortulus. Elegia de obitu Mecœnatis. Epigrammata. Vir bonus. De Ludo. De Livore. De Venere et Vino. De Littera Pythagoræ. Coppa. Rosa. Est et non. Ætates animalium. Ærumnæ et labores Herculis. De Cantu Syrenum. De Die festo. De Fortuna. De Orpheo. De Se. De Speculo et Fonte. De Glacie et Plaustro. De Iri. De IV. Temporibus anni. De Ortu Solis. De Signis cœlestibus. Quædam Fragmenta addititia. Niger de Numeris carminum. 'Lutetiæ per Thielmann Kerver MDI.' fol. Panzer Tom. VII. pag. 501.

1502 Argentoratensis I. Opera (et Carmina minora.) In fine: 'P. V. M. Opera cum quinque Commentariis, expolitissimisque figuris atque imaginibus per Sebast. Brant superadditis. Impressum regia in civitate Argentinens. Ordinatione, eliminatione et relectione Seb. Brant, operaque et impensa non mediocri magistri Iohannis Grieninger, anno millesimo quingentesimo secundo quinta Calendas Septembres die.' fol. Commentarii sunt iidem, qui in Venetis edd. 1495. 1499. 1501. ut non dubitandum sit, quin ipse poëta ex iis expressus sit. Ex hac vero editione Argentina ductæ sunt figuræ, quæ Ascensianas, Juntinas, aliasque Venetas onerant magis quam ornant. Panzer Tom. VI. pag. 27. seq.

— Bucolica, cum commentario Herm. Torrentini. In fine: 'Bucolicorum finis Colonie in officina pie memorie Henrici Quentell Anno MCCCCCII.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 351.

— Georgicorum P. Virgilii Maronis liber cum novo commentario Hermanni Torrentini. 'Daventriae industria Iacobi de Breda MCCCCCII. proximo post Iubileum felici meta quievit.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 484.

1503 Bucolica, cum commentario Herm. Torrentini. 'Daventriae per Iacobum de Breda.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 485.

— Bucolica P. V. M. cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per Hermannum Torrentiuum triviali stylo familiariter discussa. In fine: In aedibus Quentell exaratum.

Digitized by Google

(Coloniæ) Anno a natali Christiano tercio supra millesimum quingentesimum.' 4. Panzer Tom. IX. pag. 419.

— Bucolica. 'Lipsiae per Martinum Herbipolensem.' fol. Panzer Tom. VII. pag. 145.

— Georgicorum P. Virgilii Maronis liber cum novo commentario Hermanni Torrentini. In fine: 'Finem accipit Georgicorum Virgilii opus iucundissimum iterata diligentique lucubratione, ubi opus erat, recognitum. Ac in officina Henrici Quentell insigni caractere Colonie impressum. XV. Kalen. Februarias Anno salutis supra M. quingentesimum tercio.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 351.

— Georgica, acri cura emendata, cum argumentis Beroaldi ad singulos libros appositis. (Curante Georg. Schiltel, Hannbachensi.) 'Impressum Liptzk per Martinum Herbipolens. anno 1503. Pridie Id. M. April.' fol. Panzer Tom. VII. pag. 145.

— Georgicorum liber cum novo commentario Hermanni Torrentini. In fine: 'Impressum Lyptzk per Melchiorem Lotter. Anno incarnationis Millesimo quingentesimo tercio.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 143.

— Divina Æneis in duodecim libros discreta: quibus singulis (ut quid in unoquoque contineatur statim lector intelligat) hypothesis sive argumentum a Philippo Beroaldo Bononiensi Rhapsodorum principe nostra etate premittitur. In fine: 'P. Vergilii Mar. Aeneis opus insigne finit. Impressum Liptzick per Baccalarium Wolfgangum Monacensem. Anno post nativitatem Christi tertio supra millesimum quingentesimum. Die vero vicesima Mensis Ianuarii.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 146.

— Divina Æneis in duodecim libros discreta, quibus singulis hypothesis seu argumentum a Philippo Beroaldo, Rhapsodorum principe nostra ætate, conscriptum præmittitur. In fine: 'Habes optime Lector P. Virgilii Mar. Aeneidis opus insigne iterum atque iterum satis laboriose emendatum, vigilique diligentia Bacc. Martini Herbipolensis Lipsiensis civis ibidem recens impressum anno 1503. XII. Kal. Iul. finitum.' fol. Panzer Tom. VII. pag. 145.

. . In libro presenti hec continentur P. Vergilii Maronis quinque carmina pulcherrima. Primum de Viro bono. Secundum de Ludo. Tertium de Venere et Baccho. Quartum de Livore. Quintum de Littera Pitagore. Fratris Baptiste Mantuani Carmen votivum ad beatam virginem. In fine Insigne Wolfgangi

Digitized by Google

Monacensis. 4. s. n. anni. (1503.) Panzer Tom. VII. pag. 146.

1504 Opera, cum expositoribus Servio, Landino, Mancinello, Donato, Domitio. Annotationes item in Servium suis locis positæ. In fine: 'Venetiis a Philippo Pincio Mantuano. Anno domini M. CCCCC. IIII. die XXXI. Augusti.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 369.

— Mediolanensis Minutiani, cujus titulus in fronte est: 'Heus lector. Alexander Minutianus: apud quem hec opera sunt impressa: te rogat ut de sua diligentia sententiam non proferas: priusquam omni deposito liuore hanc suam editionem cum aliis contuleris: in qua ubi quid opis et lancinato Servio et opusculis que inuenis Uergilius composuit: attulerit diligenter inspexeris: non te leves offendent macule: quas librariorum inspersit negligentia.' In fine hæc leguntur: 'Impressa Mediolani apud Alexandrum Minutianum quem emendatissime: et de exemplari castigatissimo descripta. Impensa communi cum venerabili Sacerdote Nicolao Gorgonzola. Anno Domini. M. D. IV. Idibus Octobris.' fol. Debemus hanc editionis, raritate et bonitate præstantis, notitiam viro clar. Heideggero, amplissimæ Reip. Turicensis quondam a consiliis et Tribuno.

— Opera, cum Servio. In fine: 'Impressum Venetiis per Bartholomaeum de Zannis de Portesio anno M. D. IV.' fol. Memoratur hæc editio rara et nitida in Catalogo librorum etc. operumque rariorum in ædibus Matth. Fontaine, bibliopolæ, Manhemii an. 1779. publice divenditorum n. 3678. Repetitio videtur ed. Venetæ an. 1495.

— Eclogæ Virgilii, Calphurnii, Nemesiani, Franc. Petrarchæ, Jo. Boccacii, Jo. Bapt. Mantuani, Pomponii Gaurici. In fine: 'Impressum hoc opus Florentiae opera et impensa Philippi de Giunta, Bibliopolae Florentini. Anno salutis. Mille CCCCC. IIII. Decimo quinto Calendas Octobris.' 8. Panzer Tom. VII. pag. 8.

1505 P. Virgilii Mar. omnia Opera cum figg. nuper editis et expositoribus Servio, Landino, Donato, Ant. Mancinello, Domitio. Annotatt. item in Servium suis locis positæ. 'Venetiis per Phil. Pincium Mantuanum. MCCCCCV.' fol. Expressa est hæc editio ex Pinciana II. an. 1499. Figg. ductæ sunt ex ed. Argentor. Annott. in Servium scripsit Phil. Beroaldus pater, an. 1489. Florentiæ editas. Panzer Tom. VIII. pag. 375.

Digitized by Google

— Aldina II. Vergilius. 'Venetiis, ex aedibus Aldi. M. D. V. mense Decembri.' 8. Est repetitio Aldinæ prioris minus emendate facta. Accessere tamen in hac ed. secunda Æneidos liber XIII. auctore Maphæo Veggio, Catalecta, Priapeia, etc. Conf. Renouard l. c. pag. 84.

— Opera, iterum Augustini Camynadi exactissima cura castigata, argumentis et annotamentis paulo frequentioribus illustrata, ac Magistri Jo. Philippi Alemanni, diligentissimi formulatoris, impendio atque industria nuperrime nitidissimis excusa characteribus. 'Parrhisiis,' 8. Inscripta est Nic. Benserado. Heyne pag. CLXXXXVI.

— Bucolicum decem æglogarum opus: tersum ac extrema opera castigatum, ab Herm. Torrentino familiariter expositum. 'Lipsiæ, per Melch. Lotter.' 4. Heyne ibid.

— Bucolica et Georgica, cum opusculis. 'Parisiis in aedibus Ascensianis.' fol. Panzer Tom. VII. pag. 513.

— Æneis. Lipsiæ, 'per Iac. Thanner.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 155.

1506 Bucolica P. Vergilii Maronis. In fine: 'Recognitum est hoc bucolicum Maronis opus a variis labeculis chalcographorum inadvertentia commissis per quendam ad id multis precibus exoratum. At eo quidem tempore in aedibus Quentell exaratum etc. Anno a salvatoris natali Millesimo quingentesimo sexto.' (Coloniæ.) 4. Panzer Tom. VI. pag. 359.

— Georgica. Accedit Est et non est. 'Lipsiae, per Iacobum Thanner.' 4. Heyne pag. CLXXXXVII.

1507 Ascensiana II. Opera Virgiliana docte et familiariter exposita: docte quidem Bucolica et Georgica a Servio, Donato, et Mancinello, cum annotationibus Beroaldinis: Æneis vero ab iisdem præter Mancinellum: et ab Augustino Datho in ejus principio. Opusculorum præterea quædam ab Dominico Calderino. Familiariter vero omnia tum Opera tum Opuscula ab Iodoco Badio Ascensio. 'Quae omnia ab ipso Ascensio impendio Ioannis Parvi coimpressa et recognita prostant sub Leone Argenteo apud Parrhisios in via regia ad divum Iacobum.' In fine: 'Ascensius ad lectorem:

Lector habes summi divina poëmata vatis
Rursus ab integro pumice tersa mea, etc.

Ex officina Ascensiana Impendio Ioannis Parvi, Sexto Idus

Digitized by Google

Novemb. Anni ab redemptione humana MDVII.' fol. Panzer Tom. VII. pag. 523.

— Egnatiana I. Bucolica, Georgica, Æneis, cum Servii commentariis accuratissime emendatis, in quibus multa, quæ deerant, sunt addita. Græcæ dictiones, et versus ubique restituti. Sequitur Probi, celebris Grammatici, in Bucolica et Georgica commentariolus non antea impressus. Ad hos Donati Fragmenta, Christoph. Landini et Ant. Mancinelli Commentarii. In fine: 'P. Virgilii Bucolica et Georgica et Aeneidos libri XII. Venetiis excusi M. D. VII. die ultimo Iunii. Lauretani Principis anno sexto. Bernardinus Stagninus impensam fecit, Ioannes Baptista Egnatius emendavit. Dii coeptis faveant.' 4. vel 8. maj. c. figg. Novam recensionem adornasse videri voluit Egnatius. Verum substitit ejus opera maxime intra Servium, quem ex dimidiato integrum se fecisse profitetur. Probi fragmenta in hac ed. primum prodierunt e Codice vetustissimo Bobii, quondam a Georg. Merula invento. Heyne pag. CLXXXXVII.

— Opera. 'Venetiis, per Bartholomaeum de Zannis de Portesio.' fol. Haud dubie repetita ex ed. 1494. et 95. Heyne ibid.

1508 Bucolica, cum commentario Herm. Torrentini. 'Argentinae per Ioannem Knoblouch.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 41.

— Georgicon liber, cum novo commentario, Herm. Torrentini. 'Argentinae per Ioannem Knoblouch.' 4. Panzer ibid.

— Carmina de vero bono. De est et non. De littera pytagore. De ludo. De vino et venere. De livore. De rosa. Elegia in mecenatis obitu. In fine: 'Impressum franccophordię cis oderam per me Conradum Baumgarth Anno Bisextili MCCCCCVIII.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 54.

1509 Argentoratensis II. P. Vergilii Maronis Æneis cum familiari expositione. In fine: 'Iohannes Knoblouch civis Argentinensis impressit V. kal'. Aprilis. Anno salutis Christiane MDIX.' 4. Jo. Schottus Argentinensis præfatur, quem Heynius ad modum Torrentini jejunum Æneidem interpretari voluisse suspicatur. Panzer Tom. VI. pag. 45.

— Georgica, cum Herm. Torrentini Comment. 'Argentinae per Ioh. Knoblouch.' 4. Panzer loco cit. Bucolica vide sub an. 1510.

— Opuscula, cum familiari expositione. Culex, Dire, Æthna, Cyris, Moretum, Ortulus, Vir bonus, De ludo et ira, De livore,

Digitized by Google

De vino et Venere, De littera y, Copa, Rose, Est et non, De etatibus animalium, De erumnis Herculis, De musarum inventis, De cantu syrenarum, De die festo, De fortuna, De Orpheo, De seipso, De speculo, De unda congelata, De iride, De quatuor temporibus anni, De ortu solis, De signis cœlestibus. In fine: 'Iohannes Knoblouch impressit v. kal. Mai. Anno salutis christiane M. D. IX.' 4. Panzer ibid.

— Æneidos opus. Lyptzk per Wolfgangum Monacensem. 4. Panzer Tom. IX. pag. 488.

1510 Opera, cum commentar. Servii etc. 'Impressum Venetiis per Bartholomeum de Zannis de Portesio MDX. die XX. Iunii.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 400. Repetita sine dubio ex ed. 1495.

— Juntina I. Opera et opuscula. Copa, Priapeia-prævio monito Mariani Tuccii. In fine: 'Impressum hoc opus Florentine impensa Philippi de Giunta Florentini anno a Nativitate Christi M. D. X. Sexto Calendas Decembris.' 8. Repetitio editionis Aldinæ. Conf. Junt. Typograph. Annal. II. pag. 37. Apud Panzerum legitur Tom. VII. pag. 13.

— Bucolica, cum commentario Herm. Torrentini. 'Argentorati per Iohannem Knoblouch.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 48.

— Georgica, cum commentario Hermanni Torrentini. 'Coloniae in officina filiorum Quentell XV. Kal. Iul. Anno MDX.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 369.

— Opuscula, cum familiari expositione. Phorcæ. 4. Panzer Tom. VIII. pag. 232.

— Annotationes Philippi Beroaldi Bononiensis in commentarios Servii, Virgiliani commentatoris. In fine: 'Phorce mense Aprili M. D. X.' 4. sine typographo. Panzer ibid. Vide 1489.

1511 Opera majora et minora: cum Servio, Probo, Sulpicii Verulani annotationibus in sex priores Æneidis libros. Tum Phil. Beroaldi Servii, ut ipse inscripsit, errores, cum Domitii Calderini in Juvenilia hujus poëtæ commentariis. 'Mediolani per Leonardum Vegium MDXI. die XXV. Augusti.' fol. min. Heyne p. CLXXXXVIII. Panzer Tom. VIII. p. 391.

— Bucolica, Georgica, Æneis, cum Servii commentariis, Phil. Beroaldi in Servium notis, Jacobi Crucii annotationibus. 'Mediolani exc. Io. Angelus Scinzenceler impensis Io. Iac. Liguani MDXI. die I. Decembr.' fol. Panzer Tom. XI. pag. 462.

Digitized by Google

— Georgica, cum commentario Herm. Torrentini. 'Antverpiae expensis Henrici Eckert de Homberch.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 5.

1512 Ascensiana III. Operum. 'Parisiis ex officina Ascensiana.' fol. Panzer Tom. XI. pag. 481.

— Opera Vergiliana, docte et familiariter exposita a Servio, Donato, Mancinello, Beroaldo, Ascensio et aliis. 'Venetiis per Georgium Arrivabenum MDXII. die XI. mensis Octobris.' fol. Repetitio ed. Ascensianae 1507. Panzer Tom. VIII. pag. 407. Conf. Catalog. Bibl. Brunck. pag. 100. n. 1275.

— Bucolica cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per Herm. Torrentinum triviali stilo familiariter discussa. 'Argentorati per Iohannem Knoblouch.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 55.

— Bucolica Virgilii cum commento familiari (Herm. Torrentini.) 'Londini, per Wynandum de Worde.' In fine: 'Ad iuvenes huius Maroniani operis commendatio. 1512. Die vero VIII. Aprilis.' 4. Repetita dein est an. 1514. 1516. et 1533. per eundem. Panzer Tom. VII. pag. 240.

— Georgicorum liber, cum novo commentario Herm. Torrentini. 'Melchior Lotterus impressit Lyptzk.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 176.

— Carmina infra scripto indice comprehensa etc. 'Lipsi per Melchiorem Lotterum.' 4. Panzer ibid.

— Æneis. 'Impressum Lipsiae per Iacobum Thanner.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 178.

1513 Bucolicum. Viennae. 4. s. n. typogr. Denis Nachtrag zur Buchdruckergeschichte Weins pag. 39.

— Bucolicum decem æglogarum opus castigatum ab Herm. Torrentino. 'Lipsi apud Melchiorem Lotterum.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 180.

— Georgicorum libri, cum novo absolutissimoque commentario Hermanni Torrentini multo accuratiori opera nuper recogniti. In fine: 'Argentine per Iohannem Knoblouch quo potuit exactiori studio elaboratum. M. D. XIII.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 60.

— Æneis, novis ac elegantioribus formulis expressa per 'Melchiorem Lotterum civem Lipsiensem.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 180.

Digitized by Google

1514 Aldina III. Virgilius, ex recensione Andr. Naugerii. In fine: 'Venetiis, in aedibus Aldi et Andreae Soceri anno 1514. mense Octobri.' Panzer Tom. VIII. pag. 421. Editio præclara, et inter præstantissimas numeranda: quam qui factum sit ut sequentes editores non sequerentur, sed plerumque ad priores Aldinas redirent, non assequor. Promittit Aldus in præfatione ad Bembum, 'se lusus Virgilii, quos ille (Bembus) habeat correctissimos, tum editurum esse, si eos acceperit.' Quod tamen ipse non præstitit morte præventus; perfecit tamen Franc. Asulanus socer 1517. Hæc ex Heynio.

— Opera omnia ornata figuris, cum Servii, Donati, Probi, Domitii, Landini et Ant. Mancinelli commentar. 'Venetiis per Bartholomeum de Zanis de Portesio.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 419.

— Bucolica, cum commento familiari. 'Londini per Wynandum de Worde.' 4. Vid. supra ad an. 1512.

— Georgica, cum commentario Herm. Torrentini. Daventriæ. 4. Panzer Tom. VI. pag. 486.

— Georgicorum liber, cum novo commentario Herm. Torrentini. In fine: 'Impressum Liptzk per Melchiorem Lotterum Anno MDXIIII.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 183.

1515 Opera quæcunque extant, et in hæc Annotationes Commentariaque complurium doctissimorum virorum. In Bucolica et Georgica Servius, Donatus, Mancinellus, Beroaldus; in Æneida Servius, Dom. Calderinus, Aug. Dathus, Beroaldus, Ascensius. Venetiis, in ædibus Alex. Paganini. fol. Bibl. Bunav. Tom. I. pag. 300. Ascensianas jam hic cum Venetis Egnatii comparatas fuisse suspicatur Heynius.

— Ascensiana IV. Opera et Opuscula Virgiliana, 'diligenter ab Ascensio exposita et impressa ad Kal. Novembr. MDXV. in Parrhisiorum Academia.' 8. Panzer Tom. VIII. pag. 22.

— Opera Vergiliana, cum commentariis Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Aug. Dathi et Domitii Calderini, itemque Iodoci Badii Ascensii. Parisiis per Franc. Regnault. fol. Ducta sine dubio ex ed. Ascensiana 1507. Panzer Tom. VIII. pag. 25.

— Georgicorum libri quatuor et Rosæ. 'Argentorati ex aedibus Schurerianis Mense Decembri MDXV.' 8. Panzer Tom. VI. pag. 75.

— Æneidos libri duodecim. Summis certe vigiliis, laboreque per-

Digitized by Google

magno castigati. Μὴ φθονέοις ἀγαθῶν ἑτάροις. Alcini versus: De numero vatum si quis seponat Homerum, etc. Hæc in fronte fol. I. a. Fol. eodem b. 'Nicolaus Gerbelius DD. Doctor Studioso Lectori S.' In fine: 'Argentorati, Ex aedibus Matthiae Schurerii, Mense Iunio. Anno a Christo nato MDXV. Usui Studiosorum. Dii cepta secundent.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 74.

— Æneis politioribus exactioribusque formulis jam excusa. Vitus Vuerlerus in Vergilii Æneida (disticha octo.) Tum: Othmarus Nachtgall Argentinus

'Argentorace prestans hunc arte Ioannes
Knoblouch. eximiis edidit ere notis
Eruit et mendas Rhomano prorsus Homero.
Ut niteat: quo non tersior alter erit.'

Hæc in fronte. In fine: 'Ioannes Knoblouch civis Argentinensis impressit XIIII. die mensis Iunii Anno dni. MDXV.' Sequuntur: P. Vergilii Maronis carmina infrascripto indice comprehensa: Hortulus, De vino et Venere, De livore, Copa, Versus Ovidii, Summa omnium operum Vergilii, Moretum. In fine: τελοσ. 4. Panzer Tom. VI. pag. 70.

1516 Bucolica, cum commento familiari (Herm. Torrentini.) 'Impressa per Wynandum de Worde Londoniis commorantem—anno Domini MCCCCCXVI. die III. Decembris.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 242. Repetita ex ed. 1512. et 1514.

— Bucolicum decem æglogarum opus tersum ac extrema opera castigatum: ab Hermanno Torrentino familiariter expositum. 'Venundantur Lypsi apud Melchiorem Lottherum in regione foeni.' 4. Repetitio ed. 1505. Panzer Tom. VII. pag. 192.

— Carmen bucolicum: decem Æglogarum opus. In fine: 'Vides amande lector Vergilii Bucolica cum argumentis brevissimis: Aeglogarum capitibus premissis: emendatione accurata Magistri Ioannis has de Graytz limata: Impensisque et Industria Iacobi Thanners impressorie artis peritissimi sub anno decimo sexto supra millesimum quingentesimum: pressa etc.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 437.

— Bucolica, cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevationem per Hermannum Torrentinum triviali stilo familiariter discussa. In fine: 'Impressum Argentine per Iohannem Knoblouch. Anno domini MDXVI. In vigilia Petri et Pauli aplorum.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 363.

Digitized by Google

— Bucolica, cum verborum contextu et fabularum enarratione in poëtices tyrunculorum sublevamen per Herm. Torrentinum facili stylo familiariter discussa. In fine: 'Finis Bucolicorum Maronis Coloniae in domo Quentell expressorum Anno MCCCCCXVI.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 397.

— Bucolica et Georgica, cum commentariis Servii, Probi, Ant. Mancinelli et Iodoci Badii. Parisiis. 4. Panzer Tom. VIII. pag. 36.

— Georgica, cum commentario Herm. Torrentini. 'Melchior Lottherus impressit Lyptzk.' In fine: 'Ex officina Melchioris Lottheri Ao. Dni Mill. quing. sexto decimo.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 437.

— Æneis cum aliis carminibus. 'Daventriae in aedibus Theodorici D. B.' In fine: 'Divina haec Publii Virgilii Opera exeusa sunt Daventriae foelici sidere in aedibus Theodorici de Borne Anno a Natali Christianissimo sesquimillesimo supra sextum decimum. Calen. Ma.' 4. Beroaldi epistola praefixa. Esse tamen Æneidos libros ex Aldino exemplari castigatos et recognitos, Carmina autem minora ex antiquissimo exemplari multorum seculorum recognita, ipsa praefatio docet inserta Maittair. Annal. Tom. II. pag. 288. Nec plura compererat Panzer Tom. VI. pag. 487. Jac. Faber aliquis recognitioni horum carminum praefuisse memoratur ibid. in Epistola ad Marmellium. Heyne pag. CCI.

1517 Lugdunensis Ascensiana, cujus nuper nobis oblatae titulum pleniorem damus:

Opera Vergiliana docte et familiariter exposita: docte quidem Bucolica: et Georgica a Servio, Donato. Mancinello: et Probo nuper addito: cum adnotationibus Beroaldinis. Æneis vero ab iisdem praeter Mancinellum et Probum et ab Augustino datho in ejus principio: Opusculorum praeterea quaedam ab Domitio Calderino. Familiariter vero omnia tam opera quam opuscula ab Iodoco Badio Ascensio. Opuscula autem ante Æneida hac posita sunt serie. Culex. Diræ. Æthna. Cyris. Moretum. Hortulus et Elegia de obitu Mecoenatis. Epigrammata. Vir bonus. De ludo. De livore. De Venere et vino. De littera Pythagore. Coppa et rosa. Est et non: Ætates animalium. Ærumnæ et labores Herculis. De musarum inventis. De cantu syrenum: et de die festo: De Fortuna: de Orpheo. De

Digitized by Google

se ipso: de speculo et fonte: et experientia. De glacie et plaustro: et arcu cœlesti quam Irim vocant. De quattuor temporibus anni: et de ortu solis. De signis cœlestibus. Quædam edilia. Omnia quidem tam Bucolica; Georgica Opusculorumque nonnulla: et Æneis: quam tertius decimus a Mapheo Vegio liber: expolitissimis figuris et Imaginibus illustrata. Accesserunt ad hæc non minus utilia quam necessaria congruisque locis in Æneide ipsa interlocutorum nomina sita: quæ quantum lectori (nisi nasuto) adminiculo futura sint judicet qui perlegerit. Aversa tituli habet versus, quos condidit 'Sebastianus Braut ad Lectorem Operis.' Sequuntur tum: 'Iod. Badii Ascensii ep. ad Anselmum de Brieuere U. I. D. data.' 'Ex Officina nostra litteraria in Parrhysiorum Lutecia. ad VIII. Kal. Maias. M. D. V. Et iam Idus ad Apriles. Anni ab redemptione humana MDXV. tum P. Vergilii praeconia per Landinum; tum Ant. Mancinelli ep. inscripta Urso Ursino etc. tum Iod. Badii Asc. in Opera Vergiliana quaedam praenotamenta scitu digna; tum tabula Bucolicorum, Georg. et Opusculorum; tum Ascensii in Bucolica Verg. preambula; juxtaque Servii Mauri Hon. Gr. in bucolica commentariorum liber.' Tandem textus cum Commentariis, quibus in margine auctoris cujusque nomen additum est. Bucolicorum et Georgicorum fini subjuncta est Epist. Ascensii, inscripta Laodislao et Clementi Alexandrinis: 'Ioanni confluentino et Ioanni parvo ingenuis optimorum bibliopolarum liberis.' 'Ex officina nostra litteraria Parrhisiis. v. Idus Mar. Anno pro calculis Ro. M. D. I.' In fine Opusculorum hæc leguntur: 'Habes igitur inventus optima Vergiliana fere opera familiariter explanata: Nam Priapeium: obscoenum illud epigramma: non Vergilianum: sed Ovidianum esse in facie huius voluminis seu libelli ultimi praenotavimus Authore Politiano cum sint qui non unius Authoris esse velint: cuiuscunque autem est: indignum est quod Xpianis: id est castis auribus exponatur. Catalecton vero non Vergilio sed puerorum lectioni sine iactura subtraximus. Impressa sunt hec omnia Lugduni ab Iacobo Sachon MDXVII. die vigesima mensis Augusti.'

Æneis, quæ pro altero volumine habetur, proprie sic inscripta est: 'Æneis Vergiliana cum Seruii Honorati Grammatici huberrimis commentariis: cum Philippi Beroaldi viri clarissimi doctissimis in eosdem annotationibus suis locis positis: Cum Donati

Digitized by Google

argutissimis subinde sententiarum praesertim enodationibus. Cum Augustini Dathi oratoris Senensis luculentissima introductione. Cum familiarissima Iodoci Badii Ascensii elucidatione: atque ordinis contextu. Accessit ad hoc Mapphei Veggii liber addititius: cum Ascensianis annotationibus. Addita praeterea sunt ipsius poëtae: ac operum eius illustrium virorum praeconia. Aeneidos argumenta: et quaedam nostri poëtae epitaphia. Elucent praeterea in toto ipsius Aeneidos opere (quamquidem μικτὸν, i. mixtum poëmatis stili genus referat) interlocutiones marginem congrue occupantes: Hactenusque nullibi Visae.' Aversa tituli habet epistolam Badii Asc. inscriptam Lodovico de Flandriadatamque 'Ex officina nostra litteraria in nobilissimo Parrhisiorum gymnasio Ad decimum Calendas Februarii: anno iuxta Romanam supputationem. Millesimo quingentessimo primo. Et nunc iterum (neque enim coepti poenitet) ad Calendas Novembris MDVII.' Sequuntur tum tabula Æneidos, P. Virgilii Mar. vita, quæ a Donato dicitur edita etc. Ascensii et Aug. Dathi prænotamenta. Ad calcem voluminis: 'Excussit Lugduni et in officina sua literatoria Iacobus Sacon: Impensas autem protulit bibliopolarum optimus Ciriacus Hochperg Anno a Virginis partu. MDXVII. ad tertium nonas Decembres.' fol.

— Venetam quoque hujus anni cum Commentariis fol. memorari vidit Heynius, sed suspecta fide.

— Bucolicorum libellus. In fine: 'Argentorati ex aedibus Schurerii Mense Novembri Anno MDXVII.' 4. Panzer Tom. IX. pag. 369.

— Georgicorum libri quatuor. Moretum. Rosæ. In fine: 'Argentorati ex Aedibus Schurerianis Mense Ianuario. Anno MDXVII. Conrado Duntzenheimio ill. Dictatore Argentorat.' 4. Panzer Tom. IX. pag. 368.

— Diversorum veterum poëtarum in Priapum lusus. P. Virgilii Maronis Catalecta. Copa. Rosæ. Culex. Diræ. Moretum. Ciris. Ætna. Elegia in Mecœnatis obitum. Et alia nonnulla, quæ falso Virgilii creduntur. Argumenta in Virgilii libros, et alia diversorum complura. 'Venetiis, apud Aldum. Mense Decembri M. D. XVII.' 8. Hæc classica est editio minorum carminum, e P. Bembi Codice constituta. Vid. Heynii præff. ad Culicem, Ciris, Catalecta, Moretum. Repetita ibid. an. 1534.

1519 Juntina II. major I. P. Virgilii Mar. Opera, cum Comment.

Digitized by Google

Badii Ascensii, Julii Pomponii Sabini, Domitii Calderini. 'Venetiis apud Lucam Antonium Iuntam.' fol. Cœpere nunc Juntæ, Paganini exemplo 1515. Ascensianarum edd. commentarios inferre. Heyne pag. CCII.

— Bucolica. 'Lipsiae, ex aedibus Valentini Schumann.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 210.

— Bucolicum decem æglogarum opus: tersum ac extrema opera castigatum: ab Herm. Torrentino familiariter expositum. 'Vegundantur Lipsiae apud Melchiorem Lottherum in regione foeni. Anno Millesimo quingentesimo decimo nono.' In fine: 'Lipsiae, ex officina Melchioris Lottheri Anno dominico MDXIX.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 439.

— Virgilii Mar. poëtarum Achillis minutiora opuscula seu mavis lusus et lectione et imitatione dignissimi. In fine: 'Lipsiae in aedibus Iacobi Thanner. Anno salutis humane MECCCCXIX.' 4. Edita studio M. Hieronymi Adami Budissensis. Biblioth. Breitkopf. I. pag. 388.

1520 Egnatiana II. Bucolica, Georgica, Æneis, cum Servii commentariis accuratissime emendatis, in quibus multa, quæ deerant, sunt addita. Græcæ dictiones. Et versus ubique restituti. Sequitur Probi celebris Grammatici in Bucolica et Georgica Commentariolus non ante impressus. Ad hos Donati Fragmenta, Christophori Landini et Antonii Mancinelli Commentarii. In fine: 'P. V. Bucolica, et Georgica, et Aeneidos libri XII. Venetiis in aedibus Georgii de Rusconibus et suis impensis excusi, et per Baptistam Egnatium Venetum emendati. Anno Domini MDXX. die III. Ianuarii.' 4. c. figg. Ex ed. Veneta 1507. iisdem typis literarum et eodem foliorum numero expressa. Panzer Tom. VIII. pag. 461.

— Juntina III. minor II. Virgilius. (cum Maphæi libro XIII. et cum minoribus opusculis,) In fine Æneidos: 'Florentiae per heredes Philippi Iuntae. Anno Domini M. D. XX. Nono Kalendas Augusti. Leone decimo Pont. Max.' 8. De qua editione ill. Heynius: 'Curavit eam Antonius Francinus Varchiensis, (est is Antonio Francini il Vecchio; vid. Negri Istoria—de' Fiorentini Scrittori pag. 60.) usus judicio Nicolai Angelii Bucinensis; (de hoc vid. ibid. pag. 420. et Junt. Typogr. I. pag. 50. seq.) Comparatione instituta intellexi, cum Aldina prima et secunda eam convenire; cum autem expressa sit ex ed. Juntæ Florent.

Digitized by Google

1510. videtur exemplum hujus ab Angelio emendatum, nec tamen in multis locis, esse librariis operis traditum. Præfixæ porro sunt: Benedicti philologi (Benedetto il filologo, vid. Negri ibid. pag. 92. et Junt. Typogr. pag. 60.) viri peritissimi in Virgilium annotationes. Sunt eæ paucæ numero, grammaticæ fere subtilitatis, sed pro illis temporibus non contemnendæ. Respiciunt eas passim viri docti, et receptas ex iis lectiones impugnant, ut Ecl. VIII. 77. Necte, Amarylli, nodos.' Ant. Francinus Vurchiensis correctoris munia apud Juntas gessisse videtur, idemque et textum in Juntina Taciti an. 1527. Beroaldinum, et textum Suetonii in Juntina an. 1515. emendavit. Nic. Angellus, cujus judicio ille usus est in emendando Virgilio, princeps curator Juntinæ Plauti an. 1514. fuit. Benedictus philologus etiam Juntinæ Terentii præfuit ac præfatus est. Ceterum separatim etiam extat Maphæi Vegii liber cum Analectis Virgilianis. Conf. Panzer Tom. VII. pag. 33.

— Opera. 'Parisiis, typis Michaëlis Leschaneher in Platea Mauberti.' 4. Panzer Tom. VIII. pag. 68.

— Opera. 'Argentinae in aedibus Iohannis Knobloueh aere communi Pauli Goetz, mense Octobri MDXX.' 8. Panzer VI. pag. 93.

— Bucolicum decem Æclogarum opus. I. S. (Joannes Singrenius.) In fine: 'Viennae. MDXX.' 4. Denis Wiens Buchdruckergeschichte p. 205. Panzer Tom. IX. pag. 42.

— Bucolica, cum familiari expositione Herm. Torrentini. 1520. 4. s. l. et typogr. Panzer Tom. IX. pag. 126.

— Æneidos libri duodecim, summis certe vigiliis laboreque plurimo castigati. 'Argentinae. Ex aedibus Schurerianis Mense Iulio Anno a Christo nato MDXX. Usui studiosorum. Dii cepta secundent.' 4. Panzer Tom. XI. pag. 364.

1521 Opera. 'Lugduni, in chalcographia Guilelmi Huyon impressoris sedulii MDXXI. Mensis Iulii.' 8. Panzer Tom. VII. pag. 332.

— Bucolica, cum verborum contextu in poëtices tyrunculorum sublevamen per Herm. Torrentinum triviali stilo familiariter discussa. In fine: 'Impressum Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium. Expensis Luce alantse Anno domini MDXXI. In die Ciriaci martyris.' 4. Denis Wiens Buchdruckergeschichte pag. 219. seq. Panzer Tom. IX. pag. 45.

— P. Virgilii Mar. Andini bucolicum decem æglogarum opus nulli

Digitized by Google

non utile ab Herm. Torrentino scholiis illustratum, cui et Index vocum in fine accessit. 'Excus. Lipsiae in officina Melchioris Lottheri.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 218.

— Georgicorum liber, cum commentariis Herm. Torrentini. 'Lipsiae in officina Melchioris Lottheri.' 4. Panzer ibid.

— Castigationes et Varietates Virgilianæ lectionis per Jo. Pierium Valerianum. In fine: 'Impressit Romae Ant. Bladus Asulanus MDXXI. mense Iunio.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 264. De Jo. Pierio, præclare de Virgilio merito, conf. Burmmann. præf. Virgil. sub fin. Habuit ante oculos lectionem Aldinæ, et quidem secundæ ex prima expressæ. Receptæ hæ castigationes in edd. inde a Paris. 1529.

1522 Virgilius cum commentariis variis et figuris. Adjecta sunt Priapeia. 'Venetiis, per Gregorium de Gregoriis.' fol. Memoratur in Catal. Bibl. Reg. Paris. n. 823. referenda sine dubio inter Venetas ex Ascensianis ductas.

— Virgilius, ad exemplar Aldinum denuo recognitus a Petro Vidovæo. Parisiis. 12. Harles. Brev. Notit. litter. Rom. pag. 238.

1523 Opera. 'Basileae, apud Io. Bebelium.' 8. Panzer Tom. VI. pag. 241.

— Virgilius. Ad Lectorem. Virgilii inclyta monumenta omnia in unum volumen congesta operaque vigilanti castigata candide Lector amplectere. Præcedit Carmen Jo. Loniceri ad Juventutem. In fine: 'Argentorati Iohannes Cnoblochus excudebat Anno virginei partus MDXXIII. Octavo calendas Septembres.' 8. Panzer Tom. IX. pag. 372.

— Cæsaris Delphini, civis Parmensis, in carmina sexti Æneidos libri digressio. 'Venetiis, per Bernardinum de Vianis de Laxona.' 4. Heyne pag. CCIII.

— Foscarilegia, in quibus multa Virgilii loca emendantur a Nic. Scelsio Michaële Baroltano. 'Venetiis, apud Paul. Danza.' 4. Heyne ibid. ex Catal. Bibl. Reg. Paris. Poëtes n. 909.

1525 Opera. 'Lugduni, per Laurentium Hylaire.' 8. Panzer Tom. VII. pag. 338.

— Opera, ad veterum P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata. Venetiis. fol. Ex Aldina 1514. Heyne pag. CCIII.

— Æneidos libri duodecim, cum præfatione Nic. Gerbelii. 'Argentorati, apud Iohannem Cnoblouchum.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 108.

Digitized by Google

1526 Colinæi I. Opera et opuscula. 'Parisiis, apud Simonem Colinaeum MDXXVI. Octavo Calendas Maii.' 8. Ex Aldina aliqua priore expressa. Panzer Tom. VIII. pag. 96.

— Bucolica, cum commento. 'Lugduni, apud Io. Crespinum.' 4. Bibl. Panzeri Part. I. pag. 261. n. 2134.

— Virgiliana Quæstio per 'Franciscum Campanum Collemem. Bononiae in aedibus Io. Baptistae et Benedicti Hectoris de Faellis calcographorum accuratissimorum anno Domini MDXXVI. Kal. Martias.' 4. Panzer Tom. VI. pag. 335. Dubitat tamen Heynius, an. MDXXXVI. legendum sit. Vide infra ad an. 1541.

1527 Aldina IV. Virgilius. In fine: 'Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani Soceri. Anno MDXXVII. Mense Iunio.' 8. Panzer Tom. VIII. pag. 503. Est ex Aldinis prioribus et tertia conflata lectio.

— Virgilius. 'Venetiis, per Bernardum Stagninum.' 12. Heyne pag. CCIV.

— Bucolica, cum commento. Parisiis. 4. Memoratur in Biblioth. Harlei. Tom. I. pag. 177.

1528 Opera, ad vetustissimorum Codicum fidem acri studio castigata. Præmissa est Franc. Philelphi epistola, qua docet ille, quæ Maronis sententia fuerit in scribenda Æneide. 'Basileae, apud Io. Bebelium. An. MDXXVIII.' In fine: 'Basileae per Io. Bebelium 1528. Mense Martio.' 8. Panzer Tom. VI. pag. 265.

— Opera Vergiliana, cum decem commentis docte et familiariter exposita. Lugduni 1528. In fine: 'diligenti emendatione per Iacobum Mareschal al. Roland excusa Lugduni 1527. die XIX. Aug.' fol. c. figg. Nonnulla exemplaria annum 1529. præ se ferunt. Editio ad Ascensianas instructa, proxime tamen ad Lugdunensem 1517. Minora carmina Georgicis adjecta sunt. Decem illa Commenta sunt Servius, Donatus, Mancinellus, Probus, Beroaldus, Aug. Dathus, Domitius Calderinus, Iod. Badius Ascensius, Pierius Valerianus. Acc. Landini Enarrationes. Heyne pag. CCIV.

1529 Bucolica, Georgica, Æneis, cum Servii, Probi et Mancinelli Commentariis, Donati Fragmentis, Jo. Pierii Valeriani Castigationibus, et Iodoci Badii Ascensii Expositione. Adduntur post Georgica omnia, quæ reperiri potuerunt, Virgilii opuscula. Additus etiam liber XIII. Æn. Maphæi Vegii; item multa Chri-

Digitized by Google

stoph. Landini et Phil. Beroaldi scitu dignissima. In fine: 'Parisiis, per Petrum Vidovaeum typographum et librarium adscriptitium Parisiens.' fol. c. figg. Panzer Tom. VIII. pag. 126.

— Opera Virgiliana cum decem commentis, scil. Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Dom. Calderini, Iod. Badii Ascensii, et aliorum. Omnia figuris et imaginibus illustrata. Accedunt Jo. Pierii Valeriani castigationes et variæ lectiones. 'Lugduni, in typographaria officina Io. Crespini.' fol. Biblioth. Rœver. Part. I. pag. 107. n. 513.

— In Bucolica et Georgica Adnotationes, ac loci omnes maxime Theocriti, tum etiam Hesiodi quidam, quibus usus est Virgilius, Latine redditi per Eobanum Hessum. E schola Norica. Hagenoæ, per Jo. Secerium. 8. Eobani adnotationes, sæpe deinceps recusæ, hic primum vulgatæ videntur. Præfixa ejus epistola ad Fridericum Norimb. apud D. Ægidii Abbatem data est Norimbergæ mense Augusto 1528. teste Heynio.

— Vergilii Æneidos liber primus cum enarrationibus per Hadr. Barlandum e vetusto Codice in lucem editus, et cum ejusdem additionibus. Antverpiæ, apud Mich. Hillenium. 4. Bibl. Rœver. P. I. pag. 252. n. 656.

— Castigationes et varietates Virgilianæ lectionis per Jo. Pierium Valerianum. 'Ex officina Roberti Stephani Parisiis MDXXIX. IX. Cal. Nov.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 125.

1530 Virgilius, cum Philippi Melanchthonis scholiis. 'Hagenoae per Iohannem Secerium MDXXX. mense Martio.' 8. Panzer Tom. VII. pag. 105. Primo hic exarata Philippi scholia, sæpissime hinc in edd. repetita.

1531 Colinæi II. Opera. Parisiis, apud Simonem Colinæum. 12. Repetitio ed. 1526. Panzer Tom. VIII. pag. 145.

— Opera, cum Philippi Melanchthonis adnotatiunculis, et alia opuscula cum Priapeiis. 'Venundantur Parisiis sub Lilio, in via ad divum Iacobum MDXXXI. Mense Augusto.' 8. Panzer Tom. VIII. pag. 151.

— Opera. 'Venetiis, in aedibus Bernardini Stagnini mense Nov. MCCCCCXXXI.' 12. Sex post annos renovatus hujus ed. titulus in fronte habet annum 1537. Harlesius in Notit. Scriptt. Lat. pag. 302. addit: N. Scel. Luttaræus curavit illam, et in

Digitized by Google

epistola ad Simonem de Viennis Canonicum scribit, se Virgilium mittere purgatissimum, et expositius, quam qui essent impressi, recognitum.

1532 Roberti Stephani I. major. P. Virgilii Mar. Opera. Mauri Servii Honorati in eadem Commentarii ex ant. exemplaribus integritati restituti. Castigationes et Varietates lectionis per Jo. Pierium Valerianum. 'Parisiis, ex officina Roberti Stephani. MDXXXII. Cal. Augusti.' fol. Stephanus Servium ex antiquis exemplaribus, inter quæ unum Fr. Sylvii memorat, restituisse se profitetur; de ipso Virgilio silet, cujus lectio ab Aldina priore seu Juntina ducta est. Pierii Castigationes, (de quibus vid. ad an. 1521.) jam an. 1529. excusæ, Tomum alterum constituunt, quo exemplaria nonnulla destituuntur. Cf. Hambergeri Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern etc. Lemgo 1756. Tom. I. pag. 503.

— Lucubrationes Poëticæ seu P. Virgilii Maronis Opera. 'Lugduni, ex officina Melchioris et Casparis Trechsel. MDXXXII. mense Augusto.' 8. Panzer Tom. VII. p. 354.

— Juntina hujus anni 1532. est eadem cum ea, quæ anno sequenti commemorabitur.

1533 Virgilius cum comment. Servii et expositionibus multorum virorum doctorum. 'Impress. Mediolani per Vincentium da Meda ad instantiam D. Nicolai de Gorgonsola anno MCCCCCXXXIII. vigesimo Idus Iunii.' Quint. XXXIII. Car. IIII.' fol. Memoratur a Maittaire Annal. Ind. pag. 329. Ducta videtur ex Venetis.

— Juntina IV. s. major II. Opera (cum carminibus minoribus) accuratissime castigata, et in pristinam formam restituta, cum acerrimi judicii virorum commentariis, Servii, Donati, Mancinelli, Probi, Domitii Calderini. Quibus add. adnotationes Christoph. Landini, Aug. Dathi, Phil. Beroaldi. Acc. Castigationes—per Jo. Pierium—nunc iterum ab eodem recognitæ—Græca in verum lectionem reformata. Venetiis MDXXXIII. Mense Januario. At in fine: 'Venetiis in aedibus Lucantonii Iuntae Florentini Anno Domini MCCCCCXXXII. Mense Septembri.' fol. c. figg. Heyne pag. CCV. seq.

— Roberti Stephani II. Opera et Opuscula. (sine commentariis.) 'Parisiis, ex officina Roberti Stephani MDXXXIII. v. Calend.

Digitized by Google

Octob.' 8. Præfixam habet ex ed. Aldina tertia præfationem. Poëtæ tamen verba passim ad alias editiones mutata. Panzer Tom. VIII. pag. 166.

— Bucolica, cum commento familiari (Herm. Torrentini.) 'Londini, in aedibus Wynandi de Worde. Septima Iunii 1533.' 4. Panzer Tom. VII. pag. 253. Conf. supra an. 1512. et 1516.

— Bucolica, cum scholiis Wolfgangi Anemœcii, (Wolfg. Winthauseri, qui sub nomine Anemœcii latet) ex Græcis et Latinis auctoribus collectis. 'Augustae Vindelic. apud Henr. Steiner.' 8. Panzer Tom. VI. pag. 169. coll. Tom. IX. pag. 384. De Winthausero vid. Veith. Bibl. August. I. pag. 9. seqq. Literas humaniores ille primo Monaci, postea Augustæ Videl. docuit.

1534 Bucolica, Georgica, Æneis, cum Servii Probique commentariis ac omnibus lectionum variationibus in antiquis codicibus repertis. In fine: 'P. V. M. Bucolica, Georgica, et Aeneidos libri XII. Venetiis per Alexandrum Vellutellum accuratissime revisi, et emendati, et propriis expensis in aedibus Petri de Nicolinis de Sabbio impressi, sub Serenissimo Principe Andrea Gritti. Anno Domini M. D. XXXIV. mense Septembri.' 8. Rarissima editio, cujus exemplum est penes nos; memorata Fabricio, Maittairio, et Burio. Sequitur ea Juntinas; lectionum autem varietas est e Pierianis Castigationibus excerpta.

— Egnatiana III. Opera, ex recensione Jo. Bapt. Egnatii, cum Servii commentariis. Basileæ per Jo. Walder. 4. 2 voll. Est mera repetitio Egnatianæ an. 1507. Heyne pag. CCVI.

— Virgilius, Philippi Melanchthonis scholiis ut brevissimis ita doctissimis ubique exacte adnotatus. Accessere nova scholia Christophori Hegendor. in libros Georg. 'Ioannes Gymnicus excudebat Coloniae. Anno MDXXXIV.' 8. Panzer Tom. VI. pag. 428.

— P. Virgilii Maron. Opera. Mauri Servii Honorati Grammatici in eadem Commentarii, ex antiquis exemplaribus suæ integritati restituti. Cum Probi Grammatici insignis adnotationibus. Castigationes et variationes Virgilianæ lectionis per Joannem Pierium Valerianum. Cum indice eorum, quæ in Servio explicantur copiosissime. 'Venetiis MDXXXIV. 'In aedibus Aurelii Pincii Veneti.' fol. Panzer Tom. VIII. pag. 356.

— Diversorum veterum poëtarum in Priapum lusus. P. Virgilii Maronis Catalecta, etc. (ut in ed. an. 1517.) Quæ omnia nuper diligentius sunt emendata. 'Venetiis, in aedibus haeredum Aldi

Digitized by Google

et Andreae soceri, mense Martio M. D. XXXIIII.' 8. Renouard Annal. Tom. I. pag. 197. Repetita ex ed. 1517. mutatis tamen passim lectionibus, inprimis in Ciri.

1535 Virgilius. Phil. Melanchthonis adnotatiunculis illustratus. Parisiis, apud Jo. Parvum. 12. Repetitus ex ed. 1531. Heyne pag. CCVII.

— Virgilius, cum scholiis Phil. Melanchthonis. Accedunt diversorum lusus in Priapum. Basileæ. 8. Heyne ibid.

— Bucolica. Tiguri, apud Christoph. Froschhoverum. 8. Heyne ibid.

— In P. Virgilii Mar. Bucolica Adnotationes H. Eobani Hessi. Scholia item Leonardi Kulmanni, quibus artificium rhetoricum explicatur. Coloniæ, apud Joannem Gymnicum. 8. Panzer Tom. VI. pag. 433.

— Bucolica, cum scholiis Wolphgangi Anemœcii, ex Græcis et Latinis authoribus. Viennæ, in officina Joannis Singrenii. 8. Denis Wiens Buchdruckergeschichte pag. 373. Panzer Tom. IX. pag. 55.

— Erudita Scholia in Bucolica Vergilii per Iodocum Willichium. Argentinæ, apud Jo. Albertum. In fine: 'M. Sept. MDXXXV.' 8. Primum nunc prodiere hæc Scholia, sæpe hinc aliis commentariis inserta. Heyne pag. CCVII.

— Donati in libros XII. Æneidos, quæ antea desiderabatur, absoluta interpretatio. In fine: 'Impressum Neapoli per Ioannem Sulzbacchium et Matthiam Cancer, quarto Idus Novembres anno Domini MDXXXV.' fol. Prima hæc Scholiorum Tiberii Claudii Donati, qui et vitam Virgilii scripsit, juniorque est Ælio Donato, editio, Scipionis Capycii, ad quem e Bibliotheca Jo. Joviani Pontani pervenerant, studio, Paullo Flavio curante excusa; novam dein curam Ge. Fabricii 16. post annis experta. Excerpta eorum jam prolata erant in ed. Florentina 1487. et Veneta 1489. Heyne ibid.

1536 Opera, cum commentariis Servii et Pierii. 'Brixiae, apud Ludovicum Britannicum.' fol. Panzer Tom. VI. p. 342. Videtur Stephanianam an. 1532. sequi. Similem editionem vide infr. an. 1546.

— Gryphiana I. Opera, Philippi Melanchthonis illustrata scholiis. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 8. Biblioth. Emtinck. P. IV. pag. 302. n. 1438.

Digitized by Google

— Helii Eobani Hessi Annotationes in Virgilii Bucolica et Georgica. Coloniæ. 8. Panzer Tom. VI. pag. 438. Vide an. 1529. et 1535.

1536 et 1537. Juntina V. major III. P. Virgilii Mar. Opera cum undecim Commentariis: Chph. Landini, Ant. Mancinelli, Iod. Badii Ascensii, Servii, Donati, Probi, Dathi, Julii Pomponii Sabini, Beroaldi, Domitii Calderini (et Pierii.) Venetiis, apud Luc. Ant. Juntam. 2 voll. fol. Junt. Typogr. Annal. pag. 16.

1537 R. Stephani III. sed minor. Parisiis. 12. Vid. an. 1533.

— P. Virgilius Maro cum scholiis Melanchthonis, et Culice ex P. Bembi recognitione. (h. e. Aldina 1517.) Lugduni. 8.

— Jo. Lud. Vivis in Bucolica Virgilii Interpretatio, Basileæ. 8. Hinc sæpe et alias Bucolica cum Vivis inutili commentario sunt repetita, ut Mediolani 1539. Venetiis 1544. et al.

— Hunc quoque annum præfert in fronte editio Veneta Operum Virgilii in ædibus Bern. Stagnini an. 1531.

1538 Gryphiana II. Bucolica, Georgica, et Æneis. Parisiis, apud Franc. Gryphium. 4. Bucolica quidem an. 1538. at Georgica 1535. et Æneis 1537. Vid. Maittair. Annal. Ind. pag. 326.

— P. Virgilii Mar. Opera, Phil. Melanchthonis illustrata scholiis. Ejusdem Opuscula, Culex insuper, a P. Bembo recognita. Parisiis, excudebat Jo. Lodoicus. 8. Exacta videtur ad ed. Lugdun. 1537. Maittair. Annal. Ind. pag. 329.

— Paraphrasis in XVI. orationes Vergilii, quæ quidem primo Æneidos libro continentur. Per Gasparem Heldelinum, Ludimagistrum Lindaviensem. Argentorati, apud Cratonem Mylium. 8. Heyne pag. CCVIII.

1538 et 1539 Erythræana I. Opera, nunc demum Nic. Erythræi opera in pristinam lectionem restituta, additis ejusdem scholiis, necnon observatione diligenti cum licentiæ omnis, tum diligentiæ Maronianæ in metris, et indice copiosissimo. Venetiis, per Jo. Ant. Sabium. 8. 2 voll. Maittair. Annal. Tom. III. pag. 306. Erythræi industria, etiam Henr. Stephano in præf. damnata, fere intra subtilitates grammaticas et rhetoricas substitit. Conf. an. 1500.

1539 Opera omnia, diligentia P. Hub. Sussanæi quam emendatissime excusa. Parisiis, apud Jo. Macæum. 4. Maittair. Tom. III. pag. 306.

— Bucolica, cum Jo. Vivis Valentini in eadem allegoriis. Medio-

Digitized by Google

Iani, per Minicium Calvum. 8. Maittair. ibid.

— P. Virgilii Mar. Eclogæ decem, Calphurnii septem, Nemesiani quatuor, Sannasarii quinque. Francofurti, apud Christ. Egenolfum. 8. Maittair. ibid. Conf. supra an. 1504.

— Georgicorum libri IV. commentariis illustrati per Iod. Willichium, cum Indice et de rusticis rebus et geographicis. Basileæ, apud Bapt. Westhemerum. 8. Biblioth. Rœver. P. II. pag. 179. n. 1219.

1540 Roberti Stephani IV. sed minor. Parisiis. 8. Vid. supra 1533. et 1537.

— Colinæi III. Parisiis, apud Sim. Colinæum. 12. Vid. 1526. 1531.

— Gryphiana III. 'Parisiis, apud Franc. Gryphium. Excudebat Io. Lodoicus Tiletanus.' 4. Maittair. Annal. Ind. pag. 326. 330. Bucolica quidem annum exhibent 1542. Georgica et Æneis 1541. sex tamen posteriores Æneidos libri 1543.

In Bucolica Helii Eobani Hessi et Leonardi Kulmanni Annotationes. Argentorati. 8.

— Franc. Campani Quæstio Virgiliana s. Elucidationes in aliquot Virgilii loca. Mediolani, apud Calvum. 4. Catal. Bibl. Reg. Paris. Poët. n. 910. Vid. supra ad 1526. et infra 1541.

1541 Aldina V. Virgilius. 'Venetiis, apud Aldi filios. 1541. mense Ianuario.' 8. Repetita ex superioribus Aldinis. Crevenna Vol. III. pag. 193. Renouard Annal. Tom. I. pag. 315.

— Bucolica, Georgica, et Æneis, curis P. Hub. Sussantei emendata. Parisiis, apud Mich. Fezendat. 4. Maittair. Tom. III. pag. 329. Alia exemplaria nomen Oudini Parvi gerunt. Forsan partiti sunt exemplaria. Adde Burium n. 2697. Ducta ex ed. 1539.

— P. Virgilii Mar. universum poëma, una cum emendatissimis commentariis Servii et Donati, multo quam antea castigatissimum (et Carmina minora.) Addita sunt præterea, quæ in hoc ab Ascensio, viro non illiterato, scripta sunt. Venetiis, apud Aloysium de Tortis. fol. Secundum Juntinas expressam observavit Heynius.

— Bucolica, Georgica, Æneis. Venetiis, in officina Erasmiana. 16.

— Franc. Campani Quæstio Virgiliana, per quam diligentissimus poëta negligentiæ, quam Tucca et Varus ac ceteri hactenus objecerunt, absolvitur, et sine qua multa in divina Æneide ad hunc diem obscurissima loca, sed in secundo præsertim et sexto, in-

Digitized by Google

telligi non possunt, etc. Parisiis, apud Jo. Foucher. 8. Heyne pag. CCIX. Totus libellus versatur circa XXII. illos versus, quos Tucca ac Varus Æn. II. sustulisse feruntur. Præfixa Campani epistola data est X. Kal. Mart. 1536.

1542 Juntina VI. eaque major. P. Virgilii Mar. Opera, cum Servii, Donati et Ascensii commentariis, nunc primum suæ integritati restitutis. Et quoniam Donati commentaria in Bucolica et Georgica desiderantur, Jo. Pierium substituimus. Quæ omnia exactissima cura nuper excusa, emendatiora nunc exeunt, quam nunquam prodierint. 'Venetiis, apud haeredes Lucae Antonii Iuntae MDXLII. mense Ianuario.' fol. c. figg. Junt. Typogr. Annal. II. pag. 271.

— Colinæi IV. Bucolica, Georgica et Æneis. Parisiis, apud Sim. Colinæum. 12. Maittair. Tom. III. pag. 340.

— Gryphiana IV. Opera, ex castigatione Ant. Goveani. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 8. Etiam an. 1541. nonnulla exemplaria exhibent. Habet præfixam Goveani epistolam: jactat tamen falso doctissimi viri castigationem. 'Foedissimorum mendorum sentinam' appellat eam Henr. Stephanus in præfat. suæ editionis. Heyne pag. CCX.

— Bucolica, Georgica, Æneis. Parisiis, apud Petrum Gromorsum. 4. Bucolica quidem cum Georgicis 1542. Æneis autem 1545. Vid. Maittair. Ind. pag. 326. Videtur recusa ex ed. Sussanæi an. 1541.

— Moretum, cum notis ex præstantissimis scriptoribus, maxime ex Jo. Ruellii Medici lucubrationibus, per Hub. Sussanæum collectis. Parisiis, apud Sim. Colinæum. 12. Maittair. Ind. pag. 331.

— Ad Virgilii Opera Loci aliquot—a Georg. Leonberger. Ingolstadii. 8. Opera pro illo tempore non indocta, et cujus adhuc usus esse potest. Enotata sunt loca cum veterum, Gellii, Macrobii, et Grammaticorum, tum Philologorum, in quibus aliquid in Virgilium est observatum. Heyne pag. CCXI.

1543 Juntina VII. minor. P. Virgilii Mar. Latinorum poëtarum facile principis Opera, utilissimis argumentis et adnotationibus illustrata et accurate castigata. Florentiæ, apud Juntas. 8. Junt. Typogr. Annal. pag. 236.

— Bucolica, cum scholiis 'Phil. Melanchthonis, Willichii, Eobani

Digitized by Google

Hessi, Leon. Kulmanni. Antverpiae, apud Io. Loe. MDXLIII. mense Maio.' 8. Maittair. Ind. pag. 330.

— Bucolica. Parisiis, apud Mich. Vascosanum. 4. Biblioth. Rœver. P. I. pag. 252. n. 659.

— Tityrus, Ecloga, allegorica interpretatione illustrata per Jo. Bellofilium. Parisiis, apud Simonem Colinæum. 8. Maittair. Ind. pag. 330.

— Fulvii Ursini Notæ in Servium, et Fr. Robortelli Explanationes in Virgilii Æneidos libr. I. collectæ a Jo. Bapt. Busdrago. Lugduni. 8. Conf. Th. Crenii Animadv. philol. P. IV. c. 1. pag. 7.

1544 P. Virgilii Mar. universum poëma, exactissime castigatum. Servii integra expositio: Probi—Joannisque Vivis Allegoria, Iodoci Willichii super Georgic. expl. etc. etiam varietates lectionum cum a Jo. Pierio tum ab aliis doctissimis viris hactenus observatæ. Venetiis, apud Hieron. Scotum. fol. Expressa juxta Venetam 1541. et 1542.

— Gryphiana V. Opera cum opusculis—omnia accuratius emendata. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 16.

— Egnatiana IV. Bucolica, Georgica, et Æneis, cum commentariis Servii et Æl. Donati. Basileæ, per Hieron. Curiouem. fol. Extabat in bibl. Lud. Bern. L. B. de Zech an. 1780. divendita. Typographi Basil. nomen addimus ex Catal. libr. Mannhemii an. 1779. distractorum. Eaque igitur sit, quam Basileensem Egnatianam laudat Burmannus Sec. in præf. ad Virgilium.

— Scholia in Georgicorum P. Virgilii Mar. libros IV. doctissima D. Phil. Melanchthonis, nunc primum in lucem edita. Adi. Eobani Hessi Adnotationes: ad hæc brevis explicatio vocabulorum de agricolarum instrumentis per Iodocum Willichium Resellianum. Basileæ, apud Barthol. Westhemerum. Anno MDXLIV. mense Augusto. 8. Non sunt hæc confundenda cum Scholiis Philippi in edd. Paris. Jo. Gastius Brisacensis, qui præfatur, esse ea ex Melanchthonis ore ab auditore quodam excepta, diserte narrat.

— Julii Pomponii Sabini, Grammatici, in omnia Virgilii Opera Commentarii. Basileæ, apud Jo. Oporinum. 8. Vid. supra ad an. 1487.

— Adriani Barlandi Annotationes in quatuor priores Æneidos libros. Antverpiæ. 8.

1545 Gryphiana VI. Parisiis, apud Franc. Gryphium. 8.

Digitized by Google

— Aldina VI. Virgilius, post omnes omnium editiones accurate emendatus. Apud Aldi filios. Venetiis. 8. Renouard Annal. Tom. I. pag. 233.

— Virgilius, Philippi Melanchthonis scholiis illustratus. Coloniæ. 8.

1546 Opera, cum Maphæi supplemento et Phil. Melanchthonis annotationibus. Basileæ, per Nic. Brylinger. 12. Alia exemplaria habent annum 1545.

— Opera, cum comment. Servii et annotatt. ex Doleti Comment. LL. Brixiæ, apud Ludovicum Britannicum. fol. Conf. supra an. 1536.

— Gryphiana VII. Opera cum opusculis. Lugduni, per Seb. Gryphium. 16.

— P. Virgilii Mar. Partheniæ Mantuani Opera, post omnes omnium editiones nunc demum revisa et emendatiora reddita. Ælii Antonii Nebrissensis—ecphrases admodum familiares—' Apud inclytam Granatam.' 4. Vid. Specimen Biblioth. Maians. pag. 37. De fonte editionis non constat.

— Eclogæ. Francofurti ad M. 8.

Ad hanc ætatem porro pertinent editiones sequentes sine anni nota:

•• Manuale Vergilianum. P. V. M. (P. Virgilii Mar.) poëtarum facile principis Bucolica Georgica et Æneid' Iodoci Badii Ascensii sententiarum dilucidatione inornata.

' Subduxit morti vivax pictura Maronem
Et quem parca tulit reddit imago virum.'

Figura ligno incisa, sistens Virgilium etc. Hæc in fronte fol. 1. a. Folio eodem b. ' Laus soli Christo. Ludovicus Hohenwang Elchingensis Lectori salutem plurimam dicit.' Accedunt in fine Probæ Falconiæ Virgilii centones, et Index moralitatum in Enchiridion Virgilianum. 8. s. a. et l. charactere literarum neogothico et ingrato. Panzer Tom. XI. pag. 540.

•• Virgilius s. a. l. et typogr. 8. cum Aldi Manutii epistola. Italico charactere. Reddit Aldinam priorem. Excusa est Lugduni; vid. Renouard Annal. Tom. II. pag. 197. Inter Florentinas Juntarum retulit Panzer Tom. VII. pag. 12. sub anno 1509. Conf. Maittair. Tom. II. pag. 149.

•• Editio Colinæana s. a. 8. memoratur in Bibliotheca Reg. Paris. n. 828. et in Biblioth. Smith. pag. DI. De eadem agit Maittair. Tom. III. pag. 318.

•• Bucolica et Georgica, cum commento familiari (Herm. Torren-

Digitized by Google

tini.) Parisiis, impressa per Felicem Balligault. s. a. 4. Biblioth. Bunav. Tom. I. pag. 302. Etiam in Biblioth. Hulsiana et aliis laudari videas.

•• Æneidos libri VI. sine titulo, 4. memorantur Maittairio in Indice Annal. pag. 331.

•• Æneis, novis et elegantioribus formis expressa. Lipsiæ. 4. s. a. Panzer Tom. VII. pag. 236.

•• P. Virgilii Mar. quinque carmina pulcherrima. 1. de Viro bono. 2. de Ludo. 3. de Venere et Baccho. 4. de Livore. 5. de Litera Pythagoræ. Fr. Bapt. Mantuani Carmen votivum ad beatam Virginem. 4. s. a. et l. Panzer Tom. IX. pag. 195. Forte eadem cum ed. s. a. et l. quam sub. an. 1503. recensuimus.

ÆTAS III. PULMANNO—FABRICIANA. 1546—1636.

A principibus: Theod. Pulmanno, Philologo summo, qui haud notis modo Virgilium illustravit inde ab an. 1546. sed et exemplaria veterą cum impressa, tum Msta maxime ad textum emendandum adhibuit, quod ipse in præfatione editionis suæ III. an. 1564. profitetur, adeoque textum Plantinianis suppeditavit; et Ge. Fabricio Chemnicensi, accuratæ doctrinæ viro, qui cum in ipso poëtæ textu emendatius edendo cum laude versatus est, tum Servii et Donati Commentariis castigandis egregiam operam adhibuit, cujus fructus in publicum produxit primum editio Henricopetrina I. an. 1551. repetita mox, et variorum interpretum commentariis locupletata, seu onerata, an. 1561. 1575. 1586. et Lud. Lucii studio 1613. Præter hæc duo nomina, superioribus Pierii, Rob. Stephani, cett. superaddita, celebrantur Jo. Hartungi, Petri Nannii, Fulvii Ursini, Pauli Manutii, novæ Aldinæ an. 1555. curatoris, cujus etiam notas cum observationibus Fabricii junctas emendatius excudit Christoph. Plantinus; unde novum post Pulmannianas genus Plantinianarum extitit. Cui tertium successit cum pereruditis Germani Valentis Guellii commentationibus et Jos. Scaligeri castigationibus in Appendicem Virgilii et Frid. Lindenbruchi notis. Aldinæ, Pauli Manutii annotationibus ornatæ, successit Aldina Jo. a Meyen, Belgæ, scholiis celebris, neque tamen eo melioris notæ. Rob. Stephanianæ cessere ab an. 1577. illis Henr. Stephani. Gryphiana

Digitized by Google

quoque inde ab anno 1560. novam curam experta est. Accessere in Germania post Fabricium Greg. Bersmannus, inde ab anno 1581. cultus, et Frid. Sylburgius, Erythræanæ emendator. Paul. Gabianus an. 1565. edidit variationem lectionis in Virgilium e Codice Mediceo collectam. Sanctandreana an. 1589. nova recensione et libro antiquarum lectionum commendabilis, cum ejus filiis, Commelinianis. Servius in Virgilium post Fabricium ex antiquissimo exemplari longe melior et auctior prodiit an. 1600. cura P. Danielis, quam editionem Genevenses secutæ sunt. Idem quoque protulit Fabii Planciadis Fulgentii librum de Continentia Virgiliana auctiorem; uti Junium Philargyrium in Bucolica et Georgica primus Fulvius Ursinus. Ex novis Commentatoribus hac ætate palmam inter multos tulere Germanus Valens (Vaillant) Guellius ab an. 1575. Jac. Pontanus S. I. ab an. 1599. Jo. Lud. de la Cerda, doctissimus interpres, ab an. 1608. et Frid. Taubmannus. Ceterorum interpretum plerumque vulgarium, quos ex indice hujus ætatis cognoscere liceat, agmen claudit Thomas Farnabius, ab an. 1634. futuris ætatibus familiaris.

1546 Pulmanniana I. P. Virgilii Mar. Opera, Theodori Pulmanni annotationibus illustrata. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 16. Memoratur tum aliis, tum Burio Biblioth. instr. n. 2680. Probabile tamen est Heynio, per errorem eam laudari, anno male exarato pro 1564. ad quem an. vide.

— Fabriciana I. P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, et Æneis, cum adnotationibus. Lipsiæ, per Valentinum Papam. 8. A Phil. Becchio, tum adolescente, posthæc Professore Basileensi, conscriptas adnotationes has, quæ fere sub Georg. Fabricii nomine venire solent, notat Heynius ex Gesneri Biblioth. per Frisium pag. 689. commendatque Joach. Camerarius in Epistola ad Georg. Fabricium VII. Kal. Octobr. sed nullo anno adscripto data, ac forsan huic editioni primum, uti deinceps et aliis præfixa. In eadem epistola Camerarius profitetur, se descriptum ex Fabricii Msto Virgilium Lipsiam asportasse et excudendum curasse. Quod Mstum nullum aliud potuit esse, quam exemplar, quod Fabricius prelo subjiciendum paraverat: nam scriptos Codices Fabricius habuit nullos.

1547 Gryphiana VIII. P. V. M. Opera cum opusculis. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 12.

Digitized by Google

— Virgilius Phil. Melanchthonis adnotationibus illustratus. Tiguri, apud Froschhover. 4.

1548 Gryphiana IX. P. Virgilii Mar. Opera, notis et argumentis et scholiis illustrata. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 8. Crevenna Vol. III. pag. 193.

— Opera, cum Pierii castigationibus. Brixiæ. fol. Laudatur a Petr. Burmanno in Admonit. de edit. Masvic.

— P. Virgilii Opera indubitata cum reliquis et dubiis. Lipsiæ. 8. quo titulo editiones fere e Georg. Fabricii recensione insignitæ sunt. Memorari eam vidit Heynius, sed de anno dubitat, an forte sit legendum 1568.

— Bucolica, cum Herm. Torrentini commento. Antverpiæ. 8. Conf. Th. Crenii Animadv. philol. P. IV. c. i. pag. 6.

— Georgicorum libri IV. Phil. Melanchthonis scholiis illustrati. Parisiis, per Thom. Richardum. 4. Maittair. Tom. III. pag. 410. Ex eadem officina 1549. Æneis, et 1550. Bucolica prodiere. Unde fit, ut edd. Virgilii Parisinas horum annorum passim laudari videas.

— Jo. Lud. Vivis in Bucolica Virgilii Interpretatio. Parisiis, per Thom. Richardum. 4.

1549 Roberti Stephani V. minor. P. Virgilii Mar. Opera. Lutetiæ, ex officina Rob. Stephani. 12.

— Opera et opuscula, cum Maphæi Vegii supplemento Æn. Basileæ. 8. Extat in Biblioth. Francof. ad Mœn.

— Æneidos libri. Parisiis, apud Thomam Richardum. 1549. et ad calcem: 'Excudebat Thomas Richardus. 1548.' 4. Vid. an. 1548.

— Iod. Willichii Scholia posteriora in P. Virgilii Mar. Bucolica. Ejusdem Commentarii in Virgilii Opuscula, de re Hortensi, et Epigrammata ethica. Basileæ, apud Jo. Oporinum. 8. Sic quidem Bibl. Rœver. P. II. pag. 179. n. 1220. Harlesius et Heynius eam recensent sub an. 1548.

1550 Gryphiana X. P. Virgilii Mar. Opera, una cum Opusculis, quæ ejus nomine circumferuntur, omnibus. Omnia denuo ad castigatissimorum exemplarium fidem quam accuratissime emendata. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 12. Crevenna Tom. III. pag. 193. Heynius sub hoc anno refert eandem 8. nos ad annum seq.

Digitized by Google

— Bucolica. Parisiis, apud Thomam Richardum. 4. Vid. ad an. 1548.

1551 Gryphiana XI. Operum. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 8. Ex Catal. biblioth. Coll. quondam S. I. Lovaniensis 1779. divenditæ.

— Henrico-Petrina I. P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, et Æneis, (et Carmina minora cum commentariis,) nunc cum veris commentariis Tib. Donati et Servii Honorati summa cura editis et diligenter emendatis (per Georg. Fabricium.) Accesserunt his Jo. Hartungi Annotationes in libros Maronis Æneidos diligenti cura ab ipso authore collectæ. Item Bonfinis super locum quendam Æn. libr. IV. ubi IN et ET incuria quadam sibi positum videtur. Cum Indice duplici—summa cura et fide ab eodem Fabricio collecto. Basileæ, apud Henricopetri. fol. Quod ad Donatum et Servium attinet, hæc editio inter classicas est referenda. Donatum Neapoli secum attulerat Fabricius, h. e. editionem ibi vulgatam an. 1535. In ipso poëta nihil operæ tum quidem collocasse videtur, certe nullos Mss. consuluisse. Epistola ad Valent. Gravium præfixa jam an. 1547. data est, ut adeo quatuor annos sub prelo sudasse Virgilium necesse sit.

— Fabriciana II. Operum cum Carminibus minoribus. Lipsiæ, per Valent. Papam. 8. Expressa ex ed. Lips. 1546. Vid. Gesneri Biblioth. per Frisium pag. 268. b. unde intelligitur, Virgilio a Georg. Fabricio emendato tum primum lectionis varietatem ejusdem viri accurate docti industria accessisse. Quod etiam Georg. Fabricii Epistola ad Joach. Camerarium VIII. Cal. Febr. 1551. scripta confirmat, quæ in edd. Lips. ante Culicem præfigi solet.

— Bucolica, cum commentario Herm. Torrentini. Antverpiæ. Exc. Jo. Verwithhaghen. 8. Maittair. Tom. III. pag. 605.

— Dialysis quatuor librorum in Georg. Virgilii: auctore D. Iodoco Will. (Willichio) Ruselliano. Signorum prognosticorum de tempestatibus aëris physica explanatio, eodem auctore. 'Francofurti ad Viadr. in offic. Jo. Eichhorn.' 8. De consilio et scopo Æneidos etc. eodem auctore, ibid. 1551. 8.

1552 Juntina VII. major. Opera ad vet. P. Bembi et A. Naugerii exemplarium fidem castigata, cum Servii, Donati, et aliorum commentariis. Venetiis, apud Juntas. fol. Vide ed. 1525.

Digitized by Google

1554 Opera cum scholiis Phil. Melanchthonis et Christoph. Hegendorphini. Moguntiæ. 8.

— Gryphiana XII. Opera (una cum Opusculis) novis argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium quam diligentissime restituta. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 8. c. figg. Prædicat in præfat. Gryphius castigandi interpungendique diligentiam: nova argumenta apposita et scholia, quibus loca, inprimis ex Græcis poëtis, adscripsit, quæ Virgilius imitatus est.

— Bucolica, cum commentario Rich. Gorræi Parisiensis. Lugduni, apud Gul. Rouillium. Maittair. Tom. III. pag. 648.

— P. Virgilii Mar. Æneidos libri IV. priores, Latine et Gallicis versibus interprete Ludovico de Masures. Ejusdem Georgica, Latine et Gallicis versibus interprete R. le Blanc. Parisiis, apud Car. l'Angelier. 8. Maittair. Ind. pag. 331.

1555 Aldina P. Manutii I. Virgilius. Corrigente Paulo Manutio Aldi filio. Venetiis, apud Paulum Manutium. 8. Renouard Annal. Tom. I. pag. 293. Virgilii poëma emendatum a se etiam in præfatiuncula pronuntiat P. Manutius. Ita v. c. Æn. XII. 221. primus induxit 'tabentesque genas.' Annotationes nondum in hac ed. apparent. Conf. an. 1558.

— Erythræi II. Operum, cum ejus scholiis et indice. Venetiis, apud Io. Ant. Sabium. 8. Index an. habet 1556. vel seorsim excusus h. a. Repetita ex prima an. 1538. et 1539. Conf. Junckeri Notit. hist. bibl. publ. Gymn. Isenacensis an. 1709. pag. 81.

— Gryphiana XIII. Opera cum Opusculis, ad castigatissimorum exemplarium fidem emendata. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 12. Bibl. Emtinck. P. IV. pag. 439. n. 400.

— P. Virgilii Mar. Opera omnia innumeris pene locis ad veterum Petri Bembi Cardinalis et Andreæ Naugerii exemplarium fidem postrema hac editione castigata, cum XI. commentariis, Servii præsertim ac Donati, ad suam integritatem restitutis, et aliis omnibus, quorum nomina versa pagina monstrantur. Vita ipsius authoris a Donato perquam copiosissime descripta. Copiosissimusque Index adjectus est. Denuo post omnes omniumque editiones perquam diligentissime castigata atque elaborata. Venetiis, apud Hieron. Scotum. fol. In pag. aversa primum ita scriptum

Digitized by Google

est: 'Interpretantur Servius Bucolica, Georgica et Æneida: Donatus, ad integritatem restitutus, Æneida: Probus et Mancinellus Bucolica et Georgica: Ascensius Bucol. et Georg. Æneida et opuscula: Augustinus Dathus quædam in Æneide: Jac. Constantius Phanensis quædam in Georgicis: Domitius Calderinus Opuscula: cum annott. Phil. Beroaldi et Angeli Politiani. Hic acc. Jo. Pierii Valeriani castigg. et varietates Virgilianæ lectionis.' Tum sequitur elenchus opusculorum XXV. quam maxima fieri potuit diligentia emendatorum; n. Culex, Diræ in Battarum etc. Ultimum est, in Priapum lusus. Ipse contextus in hac ed. est in multas minores partes dissectus, et singulis statim adjectæ sunt adnotationes varii generis pretiique. Harles. Supplem. ad brev. Not. Litter. Rom. P. I. pag. 366. seq.

— Eclogæ, Latine et Gallicis versibus, prior interprete Clem. Maroto, novem proximæ Richardo le Blanc, cum notis interpretis. Parisiis, apud Carolum l'Angelier. 8. Maittair. Ind. pag. 331.

— Bucolica, P. Rami prælectionibus exposita. Parisiis, apud Andr. Wechelum. 8. quas, uti seqq. ejusdem in Georgica, ne pueris quidem in manus dari velit Heynius. Recusæ tamen sæpius, et a Jo. Frisio excerptæ.

— Seb. Corradi Commentarius, in quo P. Virgilii Mar. liber primus Æneidos explicatur. Florentiæ, excudebat Laur. Torrentinus. 8. Maittair. Tom. II. pag. 669.

1556 Gryphiana XIV. Opera, cum supplemento Maphæi et Opusculis, novis et argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium quam diligentissime restituta. Lugduni, apud Seb. Gryphium. 8. Maittair. Tom. III. pag. 684. Vide modo de ed. Gryph. 1554.

— P. Virgilii Mar. Opera, una cum Opusculis, quæ ejus nomine circumferuntur, omnibus. Antverpiæ. Excudebat Mart. Nutius. 12.

— Opera, scholiis illustrata. Accedunt Christoph. Hegendorphini annotationes in Georgica. Lugduni, apud Antonium Vincentium. 12. Bibl. Rœver. P. II. pag. 323. n. 159.

— Fabriciana I. Lipsiensis repetita fertur quibusdam h. an. Lipsiæ. 8.

— Bucolica. Lugduni, apud Theobaldum Paganum. 8. Maittair. Tom. III. pag. 685.

Digitized by Google

— Bucolicorum explicatio perscripta de commentatione Joach. Camerarii: cum indicatione et interpretatione locorum Theocriti Eobani Hessi: Jo. Sturmii in priores tres eclogas commentariolus. Argentorati, per Blasium Fabricium. 8.

— Martini Crusii Scholia in I. II. et III. Virgilii eclogam. Argentorati, apud eund. 8.

— Georgica, cum P. Rami commentariis. Parisiis, apud Andr. Wechelum. 8. Maittair. Ind. pag. 330.

1557 Fabriciana III. P. Virgilii Mar. Operum majorum Tomus I. minorum: Culex etc. Tomus II. ex recognitione Georg. Fabricii, cujus observationes Virgilianæ lectionis accessere. Argentorati, apud Rihelium. 8. Vide paulo ante ad an. 1551. Hæc est illa editio, de qua Fabricii epistola in vita per Schreberum conscripta pag. 206. est accipienda, Fabricianarum quodammodo princeps.

— Opera una cum Opusculis etc. Lugduni, apud Theob. Paganum. 8. Videtur ex Gryphiana an. 1556. fluxisse.

1558 Aldina P. Manutii II. Virgilius Maro, Pauli Manutii annotationibus, in libri margine ob studiosorum commodum adscriptis, illustratus. Venetiis, apud Paulum Manutium Aldi F. 8. Pleraque ex Servio hausta. Alia admixta non magni momenti, etiam a seqq. editoribus. Sugillat hæc scholia H. Stephanus in præf. suæ editionis.

— P. Virgilii Mar. universum poëma (et Carmina minora) cum Servii et Iod. Badii Ascensii interpretatione; Probi Joannisque Vivis Allegoriis; Jo. Willichii eruditis super Georgica commentariis; quibus accesserunt Cœlii, Scopæ, Constantii, Campani, Crucii lucubrationes et annotationes. Venetiis, apud Mariam Bonellum. fol. Ad ed. Venetam Scoti 1544. excusa, et vulgo pro accuratissima habita.

— Opera, cum scholiis Phil. Melanchthonis. Parisiis, apud Thom. Richardum. 4.

1559 Opera, Phil. Melanchthonis scholiis illustrata. Francofurti. 8.

— Bucolica, cum præfat. P. Rami. Parisiis, apud Andr. Wechelum. 8. Conf. Engelii Bibl. select. pag. 163.

— P. Nannii, Alcmariani, in P. Virgilii Mar. Bucolica commentaria docta et accurata, nunc primum in lucem edita. Basileæ, per Jo. Oporinum. 12. Post mortem Nannii, qui adhuc præfatus est, edidit illa Theodoricus Langius. Textus est in minutas sectio-

Digitized by Google

nes divisus, commentario, maximam partem grammatico, statim subjecto, et Theocritus diligenter comparatus. Conf. Goëtzii Mem. Bibl. Dresd. II. pag. 301. seq. Num in Georgica quoque et Æneida commentatus fuerit Nannius, quod ex elencho editionum Heyniano suspicari licet, nescio, atque dubito: saltem Langius in epistola scribit, Nannium, fatis interceptum, Bucolica tantum ad finem perduxisse. Harles. Introduct. in Not. lit.-Rom. P. II. pag. 306.

— Lamb. Hortensii Montfortii Enarrationes in sex priores libros Æneidos Virgilianæ. His accesserunt illustres annotationes in sex ejusdem poëtæ posteriores libros, eodem Lamb. Hortensio auctore. Item rerum et verborum copiosus Index. Basileæ, per Henricum Petrum et Jo. Oporinum. fol. Commentarii in sex priores libros sunt amplissimi, et non carent eruditione; verum pro more istorum temporum congesta sunt plurima ad singulas voces, sententias et loca, quæ ad poëtam nihil faciunt; quæ monitu opus erat, frustra quæras. Breviores sunt leviores annotationes in sex reliquos libros, neque tamen eo meliores.

1560 Ad hunc forsan annum referenda est Erythræana, quæ supra ad an. 1500. per Franc. Rampazetum excusa, pro I. habita est. Conf. an. 1565.

— Aldina P. Manutii III. P. Virgilius Maro. P. Manutii annotationes, et Homeri loca magis insignia, quæ Virgilius imitatus est, in margine notata. Venetiis, apud P. Manutium Aldi F. 8. Vide modo an. 1558.

— Gryphiana XV. P. Virgilii Mar. Opera, una cum Opusculis, quæ ejus nomine circumferuntur. Omnia denuo ad castigatissimorum exemplarium fidem quam accuratissime emendata. Lugduni, apud hæredes Seb. Gryphii. 12. Nova hæc est recensio Antonii Gryphii, qui priori patris Sebastiani præfationi suam præmisit Kal. Dec. 1560. scriptam, in eaque hæc profitetur: ‘quem’ (Virgilium) ‘ut emitteremus, undique conquirendis multis exemplaribus, quæ calamo et stylo exarata nobis ipsa vetustate magnopere probarentur, neque sumptibus, neque labori unquam parcendum putavi. In quo permagna gratia habenda est D. L. Fabricio I. U. C. Mediolanensi, publicæ utilitatis studiosissimo: qui de proavis et atavis suis nobis exhibito vetustissimo exemplari fecit, ut quod antea sine sensu legeretur libro VI. Æneid. pag. 273.’ (hujus ed. alias post v.

Digitized by Google

774.) 'Hi Collatinas imponent montibus arces Pomerios' etc. nunc interpositione versiculi (775.) nunquam antehac excussi, ne animadversi quidem: 'Laude pudicitiæ celebres, addentque superbos Pomerios' etc. 'totus locus planus et perspicuus efficiatur.' Sed in hoc pro thesauro carbones. Vide Heynium ad eum locum. Extat in Biblioth. Bipont.

1561 Henrico-Petrina II. Bucolica, Georgica, et Æneis, cum veris Donati et Servii et Probi Commentariis a Georg. Fabricio emendatis: notis item recent. Pomponii Sabini, Phil. Beroaldi, Jo. Hartungi, Iod. Willichii, Georg. Fabricii, Bonfinis, Vivis, Cœlii Rhodigini, Barlandi, Scopæ, Constantii Campani, Crucii et alior. Basileæ, apud Henricopetr. fol. Ejus fundus est ed. 1551.

— Tigurina I. Jo. Frisii. P. Virgilii Mar. poëmata quæ extant omnia, Phil. Melanchthonis annotatiunculis illustrata; adjectis figuris ligno incisis et doctissimorum virorum scholiis et annotationibus. Tiguri, apud Christoph. Froschhover. 8. Sequitur sine dubio ed. 1547. Post præf. Phil. Melanchthonis ad lectorem Jo. Frisius Tigurinus præfatur epist. Christoph. Froschhovero juniori inscripta Kal. Mart. 1561. qua contextum collatis optimarum editionum exemplaribus quam diligentissime correctum et emendatum affirmat. Idem annotationes breves in Bucolica et Georgica ex variis interpretibus, inprimis P. Rami prælect. item difficilium vocabulorum interpretationem Germanicam adjecit. Acc. Christoph. Hegendorphini in Georgica annotatiunculæ. Ex Steph. Doleti de L. L. Commentariis in Æneid. decerptæ annotationes. Repetita Francof. an. 1567.

— Pulmanniana II. Opera, Theod. Pulmanni studio correcta, cum Maphæi Vegii Æneidos libro XIII. Antverpiæ, apud Plantinum. 8.

— Venetam Virgilii editionem an. 1561. fol. memorari vidit Heynius; quam tamen nullam aliam esse arbitratur, quam mox memorandam Ven. 1562.

1562 P. Virgilii Mar. universum poëma, cum absoluta Servii Honorati Mauri, Grammatici, et Badii Ascensii interpretatione: Probi et Jo. Vivis in Eclogas allegoriis, Iodocique eruditis super Georgica commentariis. Quibus access. Lud. Cœlii Rhodigini, Jo. Scoppæ Parthenopæi, Jac. Constantii Fanensis, Franc. Campani Colensis, Jac. Crucii Bonon. necnon alterius docti

Digitized by Google

hominis lucubrationes et annotationes in loca difficiliora. Elegantissimæ præterea librorum omnium figuræ, argumenta, lectionum denique varietates, quas et Jo. Pierius et alii doctissimi viri hactenus observarunt. Quæ non, ut antea, plurimis fœdata mendis, sed acri studio emendata, atque omni, quantum licuit, ex parte expolita emisimus, quod alios libros cum nostro conferentibus patebit. Venetiis, apud Jo. Mariam Bonellum. fol. Nitida editio, et si fides est habenda laudi in titulo jactatæ, at superioribus sæculis solenni, bonis et emendatis annumeranda. Conf. supra an. 1558.

— Bucolica cum verborum contextu, per Herm. Torrentinum triviali stylo familiariter discussa. Antverpiæ, per Jo. Latium. 8.

1563. Aldina P. Manutii IV. P. Virgilius Maro. Pauli Manutii annotationes, et Homeri loca magis insignia, quæ Virgilius imitatus est, in margine notata. Venetiis, apud P. Manutium Aldi F. MDLXIII. 8. Repetitio ed. 1560. Renouard Annal. Tom. I. p. 339.

— P. Virgilii Mar. omnia quæ extant Opera, novis et argumentis et scholiis illustrata, denuoque ad fidem castigatissimorum exemplarium quam diligentissime restituta. Basileæ, apud Nic. Bryling. 8. Tota ad Gryphianam an. 1554. exacta, habet post vitam Virgilii præfationem et scholia Melanchthonis.

— Seb. Reguli in I. Æn. Virgilii ex Aristotelis de Art. poët. et rhet. præceptis Explicationes. Bononiæ per Jo. Rubeum. 4. Partes II. quarum altera prodiit 1565. Ad Aristotelis præcepta, quo quidem modo illa tum accipi solebant, Æneis exigitur: propositum esse poëtæ, tolerantissimi et fortissimi principis et perfecti viri simulacrum effictum ostendere; et sic alia a rerum veritate aliena. Reliqua ad subtilitates rhetoricas sunt exacta a poëtices indole alienas. Heyne pag. CCXIX.

1564 Tigurina II. Jo. Frisii. Opera, cum Phil. Melanchthonis et aliorum virorum doctissimorum scholiis. Tiguri. 8. Vide paulo ante 1561.

— Pulmanniana III. Opera, Theod. Pulmanni studio correcta. Pauli Manutii annotationes. Homeri loca, quæ Virgilius imitatus est. Georg. Fabricii observationes. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 12. Typis nitidis eleganter expressus liber. Pulmannus in epistola ad Casp. Schetum Corvinum, v. Id. Octobr. 1563. data, exemplaria cum manuscripta, tum

Digitized by Google

typis impressa, se comparasse profitetur.

— Georgica, P. Rami prælectionibus illustrata. Parisiis, apud Andr. Wechelum. 8. Crevenna Tom. III. pag. 204.

— P. Bembi de Virgilii Culice et Terentii fabulis libellus. Florentiæ. 4.

1565 Erythræi III. Opera, ad Nic. Erythræi recensionem. 'Venetiis, apud Franc. Rampazetum, expensis Meleh. Sessae.' 8. Memoratur a Sylburgio in præf. ed. Francof. 1583.

— Georgica, brevibus P. Manutii et aliorum annotationibus illustrata. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 8.

— Bucolica et Opuscula minora. Antverpiæ, apud eund. 8.

— Varia lectio in Virgilium a Paulo Gabiano collecta (e Cod. Mediceo.) Brixiæ. 8.

1566 Erythræi IV. Opera, ad Nic. Erythræi recensionem. 'Venetiis, ex officina Franc. Laurentini.' 8. Memoratur Sylburgio in præfat. ed. Francof. 1583.

— Opera (cum Opusc. minor.) Pauli Manutii annotationes in margine ascriptæ: Homeri loca insignia, quæ Virgilius imitatus est: Georg. Fabricii Chemn. Observationes Virgilianæ lectionis. 'Antverpiæ, ex offic. Plantin.' 8. Nihil aliud egit Plantinus, quam ut Manutianas editiones an. 1555. 1558. 1560. repeteret. Ipse in præfatione, se exemplar Venetum, et, quod ex Veneto deinde editum sit, Lugdunense, rectitudine et veritate superasse profitetur.

— Bucolicorum Virgilii simplex et dilucida metaphrasis—auctore M. Mentone Gogrevio. 'Vitebergæ per heredes Georg. Rau.' 12.

1567 Erythræi V. Opera, e Nicol. Erythræi recensione. Lugduni. 8. 2 voll.

— P. Virgilii Mar. Poëmata quæ extant omnia, adjectis figuris et doctissimorum virorum scholiis ac annotationibus. 'Francofurti ad Mœn. apud Ge. Corvinum Feyerabend et her. Wigandi Galli.' 8. Est repetitio Tigurinæ 1561.

1568 Fabriciana IV. Opera ex recognitione Georg. Fabricii. 'Lipsiæ, per heredes Valentini Papæ.' 8.

— Opera (cum Opusculis minor.) Pauli Manutii annotationes in margine ascriptæ: Homeri loca insignia, quæ Virgilius imitatus est: Georgii Fabricii Observatt. Virgilianæ lectionis. 'Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum.' 8.—Repetitio ed. 1566.

Digitized by Google

— Virgilius collatione Scriptorum Græcorum illustratus, opera et industria Fulvii Ursini. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 8. Est hic libellus Leovardiæ 1747. recusus cum nonnullis Valkenari opusculis. Doctrinam facile agnoscas; judicii subtilitatem in multis, quæ comparata sunt, desideres.

1569 Eclogæ, cum argumentis sive rhetoricis dispositionibus Phil. Melanchthonis, et paraphrasi ac scholiis Steph. Riccii. Gorlichii, excudebat Abr. Fritsch. 8.

1570 Virgilii Opera omnia, Culex, Diræ etc. Londini, apud Henr. Bynnemann. 8. Brüggeman A View of the English editions etc. pag. 536.

— Tigurina III. Jo. Frisii, cum scholiis Melanchthonis et aliorum. Tiguri. 8. Vide an. 1564.

— In P. Virgilii Bucolica Commentarii 'Mich. Barth. Lipsiae, apud Jo. Rhamba.' 8.

1571 Fabriciana V. P. Virgilii Opera indubitata. Bucol. Georg. Æneis. Quibus accesserunt et alia quædam lectioni et studio puerili profutura. Cum brevibus quidem sed non contemnendis annotationibus, et indicatione diversæ scripturæ de admodum vetusto libro. Emendata omnia multo nunc etiam quam antea accuratius, studio et industria Georgii Fabricii Chemn. 'Magdeburgi, per Matthaeum Giseken.' 8. Adjecta tamen minora carmina cum epist. Georgii Fabricii 1551. Recenset Heynius sub an. 1571. Sed in bibliotheca publica Argentor. exstat ejus exemplum, quod præfert annum 1570.

1572 Opera, cum notis Pauli Manutii et Georg. Fabricii. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 8. Ex ed. 1566. repetita.

1572 et 1573 P. Virgilii Appendix, cum supplemento multorum antehac nondum editorum veterum poëtarum. Acc. Josephi Scaligeri in eandem commentarii et castigationes. 'Lugduni, per Guil. Rouillium.' 8. Catalecta Virgilii jam prodierant Vincent. 1479. Venet. 1480. et 1484. Brix. 1485. Ald. 1517. et 1534. hinc ad calcem edd. Junt. et aliar.

1573 Tigurina IV. Operum, cum notis variorum. 'Tiguri, apud Christoph. Froschhover.' 8. Vid. an. 1570.

— Bucolica, cum versione Germanica Stephani Riccii. Lipsiæ. 8. Vid. Verss. Germ. h. a.

1574 Opera, cum commentariis Servii et variorum. Venetiis. fol. Conf. an. 1562.

Digitized by Google

— Commentarii docti, breves ac succineti in P. Virgilii Mar. quatuor libros Georgicorum, clarissimi viri et poëtæ celeberrimi Jo. Stigelii studiosæ juventutis gratia in lucem editi, anno Christi 1574. 'Mulhusii. Excudebat Georg. Hantsch.' 8. Inscripsit Christiano Duci Saxoniæ, Electoris filio, Henricus Thylo Mag. Ecclesiæ Smollensis Pastor, qui Stigelii annotationes ab ipso dictatas in Acad. Jenensi exceperat an. 1555. Singulis libris Georgicorum præmittitur Modestini Icti argumentum: post textum sequuntur notæ Stigelii.

1575 Henrico-Petrina III. 'Basileæ, ex officina Henricopetrina.' fol. Repetita post 1551. et 1561.

— Plantiniana Valentis. Virgilius et in eum Commentationes et Paralipomena Germani Valentis Guellii. Ejusdem Virgilii Appendix cum Jos. Scaligeri commentariis et castigationibus. Antverpiæ, ex officina Christophori Plantini. fol. Commentarii Valentis, non infimæ notæ, novum editionum genus constituunt, at in textu nihil operæ posuit.

— Mich. Barthii Comment. in Bucolica. Lipsiæ. 8.

1576 Aldina I. c. scholiis Meyeni. Bucolica. Georgica. Æneis P. Virgilii Maronis Mantuani doctiss. virorum annotationibus illustrata opera et industria Jo. a Meyen Bergizonii Belgæ. Venetiis. MDLXXVI. apud Aldum (juniorem.) 8. Sæpius repetita, quia scholarum usibus inserviit; at in criticarum editionum censum non venire potest. Expressa est ex ed. Manut. an. 1558.

— Inclyta Æneis—in regiam Tragicomœdiam, servatis ubique heroicis versibus non minori industria quam labore concinne redacta: a Jo. Lucienburgio, Juris Candidato. 'Francofordiæ Moeni.' 4. In decem actus deductam vides Æneidem. Quantumvis absurdum hominis consilium oculis tamen subjicere potest, quantopere dramatica narratio regnet in carmine epico; quam multa ex dramatis natura ei insint; et quam facile primi tragici in id incidere debuerint, ut in Iliade plurium tragœdiarum argumenta inesse intelligerent. Heyne pag. CCXXII.

1577 P. Virgilii Mar. Opera. Londini, per Jo. Kingston. 8.

—(s. a.) Henrici Stephani I. P. Virgilii Mar. Poëmata (Buc. Georg. Æneis.) novis scholiis illustrata, quæ Henr. Stephanus partim domi nata, partim e virorum doctorum libris excerpta dedit. Ejusdem Henr. Stephani Schediasma de dilectu in diversis apud

Digitized by Google

Virgilium lectionibus adhibendo. Typis Henr. Stephani. 8. Scholia in margine sunt apposita, maxime ex Servio. Plura in Maronem meditabatur vir doctus; vid. præf. Multa bona complectitur Schediasma, nec tamen nova.

— Virgilius. 'Francofurti, ex officina haeredum Chr. Egenolphi.' 8.

— Lamb. Hortensi Montfortii Enarrationes doctissimæ atque utilissimæ in XII. libros P. Virgilii Mar. Æneidos. His accedunt Nascimbæni Nascimbæniï in priorem P. Virgilii Epopœæ partem explanatio, et Christoph. Landini allegoriæ Platonicæ in XII. libros Æneidos. 'Basileae, ex officina Henricopetrina.' fol. Vid. 1559.

— In P. Virgilii Mar. Bucolica Annotationes H. Eobani Hessi poëtæ. Scholia item Leon. Kulmanni, quibus artificium poëticum explicatur. 'Coloniae Agripp. ad intersignium Monocerotis.' 8.

1578 P. Virgilii Mar. Poëmata, quæ extant, omnia. Adjectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis ac annotationibus, partim antehac, partim nunc primum publicatis. 'Francofurti apud Georg. Corvinum, impensis Jo. Feyerabend.' 8. Sequitur ed. a. 1567.

1580 Pulmanniana IV. P. Virgilii Mar. Opera, Theod. Pulmanni studio correcta. Pauli Manutii annotationes, &c. (ut in ed. 1564.) Antverpiæ, ap. Christoph. Plantinum. 8.

— Aldina II. c. scholiis Meyeni. Opera cum scholiis 'Jo. a Mayen. Venetiis, apud Aldum Pauli fil.' 8. Vid. an. 1576.

— Bucolica et Georgica paraphrasi exposita. Auctore Nicolao Frischlino Alemanno. Tubingæ, apud Alex. Hockium. 8. Quam rationem sequi voluerit in interpretando, expositum ab eo est in Epistola ad Georg. Burckhardum in Philolog. Epist. Centuria e bibliotheca Goldasti (Francof. 1600. 8.) p. 279. seq.

1581 Tigurina IV. Opera, cum scholiis Melanchthonis et alior. Tiguri. 8.

— Bersmaniana I. P. Virgilii Mar. Opera, cum notis Greg. Bersmani. Lipsiæ. 8. c. figg. Bersmanus scholia in marginem coëgit partim ex vett. annott. partim ex recentibus Joach. Camerarii, P. Victorii, Adr. Turnebi, Jos. Scaligeri, Germ. Valentis, Henr. Stephani, Ob. Giphanii, &c. commentationibus et emendatt. partim ex suae doctrinae penu addidit, atque in locorum quo-

Digitized by Google

rundam difficilium explicatione usus est veteri Ms. cujus copiam ipsi fecerat Lud. Camerarius, Joach. fil. Post Opera Virgilii edidit is etiam librum XIII. Maphæi, Epigrammata, Culicem ex P. Bembi castigatione, Diras, &c. Catalecta ex emendatione Jos. Scaligeri. Finem facit Lectionis emendatæ ratio ex antiquorum Grammaticorum et librorum observatione, reddita a Georg. Fabricio. Sæpius deinceps repetita editio.

— Opera, cum notis marginalibus. Lugduni. 12.

1582 Erythræi VI. P. Virgilii Mar. Opera ad Nic. Erythræi recensionem. 'Venetiis, apud Rampazeti et Sessae heredes.' 8. Repetita secundum ed. 1565.

— Opera, cum metaphrasi Gallica Roberti et Antonii Chevaleriorum. Parisiis. 4.

— Bucolica, Petr. Rami prælectionibus exposita. Edit. IV. Francofurti. 8.

1583 Henrici Stephani II. P. Virgilii Mar. Poëmata, novis scholiis illustrata, &c. Editio secunda. Typis Henr. Stephani. 8. Conf. Maittair. Tom. III. pag. 787. et vid. an. 1577.

— Erythræi VII. emendatior. P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Æneis, Nic. Erythræi opera in pristinam lectionem restituta, et ad rationem ejus indicis digesta, additis ejusdem Erythræi scholiis, cum duplici epistola Frid. Sylburgii. 'Francofurti, apud heredes A. Wecheli.' 8. Sylburgius in præf. se cum Jo. Opsopœo Erythræi Virgilium cum Indice ab innumeris nævis librariorum seu typographorum negligentia illatis repurgasse ait, quæ inprimis edd. Venetas 1565. 1566. 1582. fœdaverant. Igitur ad ed. I. 1538. seq. omnia recensuisse videtur. Mirari tamen licet, virum doctum operam Erythræi nugatoriam curis suis dignam habuisse. Index quoque separatim occurrit hoc titulo: 'Vocum omnium ac rerum in Virgilio Sylvae, auctore Nic. Erythræo.' Francof. 8.

— Aldinæ h. a. e Ms. Carpensi, ab Heynio laudatæ, nulla fit mentio apud Renouardum. Vide vero sub an. 1585.

1584 Georgica, Petri Rami prælectionibus illustrata. 'Parisiis, apud haeredes Andr. Wecheli.' 8.

1585 Gryphiana XVI. P. Virgilii Mar. Opera, cum annotationibus Pauli Manutii in margine et Georg. Fabricii observationibus Virgilianæ lectionis. Lugduni, apud Ant. Gryphium. 8. Biblioth. Emtinck. P. IV. pag. 303. n. 1442.

Digitized by Google

— Aldina Operum, cum Pauli Manutii notationibus, et figuris. Venetiis, Aldus. MDLXXXV. 8. Renouard Annal. Tom. I. pag. 409.

— Opera. Venetiis, apud Jo. Gryphium. fol. Repetitio editionis Ven. apud Scotum 1544. et ap. Bonellum 1558. Heyne pag. CCXXIV.

— Opera, cum figuris, notis variorum, et præf. Phil. Melanchthonis. Coloniæ. 8.

— Georgicorum libri IV. cum versione Germanica Steph. Riccii. Erphordiæ. 8.

1586 Pulmanniana V. Operum, ex Theod. Pulmanni recensione. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 16. Est hæc ed. ab ipso Plantino inscripta Lævino Torrentino Antv. M. D. XXCVI. Kal. Januariis.

— Henrico-Petrina IV. Operum cum comment. Tib. Donati et Servii, et cum notis variorum. 'Basileae, apud Henricopetri.' fol. Vid. 1575.

— P. Vergilii Bucolicon, Georgicon et Æneidos vocum omnium ac sylvæ rerum Index (Nic. Erythræo auctore) ab Ant. Maria Basso, Cremonensi, ita accommodatus, ut Vergilianis libris cujuscunque impressionis facile serviat: annotationes præterea, quæ passim in aliorum librorum marginibus ascriptæ erant, in hoc ab eodem in unum collectæ leguntur. Venetiis, per Damianum Zenarium. 8. Catal. Bibl. Reg. Paris. Poëtes n. 845.

— Georgicorum post omnes omnium commentationes non contemnenda enarratio—edita studio Greg. Bersmani Annæbergensis. 'Servestae. Excudebat Bonav. Faber.' 8. Est ea enarratio poëtæ in Academia Lipsiensi publicis lectionibus facta. Bersmanus tum Gymnasio Servestano illustri præerat, cum hanc ederet partem primam in lib. Georg. I. et II.

1587 Junius Philargyrius in Bucolica et Georgica Virgilii, primum prodiit adjunctus 'Fulvii Ursini notis ad Catonem, Varronem et Columellam.' Romæ. 8. Notat in præfat. ipse Ursinus, id quod res docet, non esse integrum Junii Philargyrii commentarium, sed excerpta tantum quædam ex eo: quæ cum legisset ille inserta fragmento vetustissimo Serviano, (quod olim ipsi literis Longobardicis exaratum dono dederat Paulus Manutius favente Aldo filio) nullius autem interposito auctoris nomine discreta, sed a Servianis expositionibus tantum his notis sejuncta, 'Et aliter;' reperit deinde in margine Codicis Virgiliani exscripta

Digitized by Google

manu Angeli Politiani, et quidem diserte sub Junii Philargyrii nomine; eodemque nomine ab Angelo in Miscellaneis laudata. Adjunctæ pag. 281. ejusdem Ursini Notæ ad Servium in Buc. et Georg. jam an. 1543. a Busdrago Lugduni excusæ. Diversæ sunt notæ Ursini in Collat. Græc. scriptor. cum Virgilio 1568. Ex utrisque excerpta inseruit Commentariis suis Burmannus. Heyne pag. CCXXIV. seq.

1588. Pulmanniana VI. Operum, ex Theod. Pulmanni emendatione. Antverpiæ, apud Christoph. Plantinum. 8.

— Bersmaniana II. Opera, argumentis et scholiis virorum doctissimorum illustrata, cum indicatione diversæ scripturæ, et alia, omnia congesta et edita studio Greg. Bersmani. Lipsiæ. 8.

— Æneidos libri VI. priores, cum Steph. Riccii comment. Vitebergæ. 8.

1589 Sanctandreana s. Commeliniana I. P. Virgilii Maronis Opera, olim a Pierio Valeriano Mss. ope restituta, nunc denuo vetustissimo eum exemplari collata. Accedunt antiquarum lectionum liber, Fabii Planciadis Fulgentii liber de allegoria Virg. et alia nonnulla (Jun. Philargyrius. Ursini notæ ad Servium. Velius Longus de Orthographia et Cassiodorus de Orthographia.) 'In officina Sanctandreana' 8. Catal. Bibl. Reg. Paris. Poëtes. n. 847. Conf. Burmann. in præf. Virg. Masvic. pag. XLIX. Cum Hieron. Commelinus, alias Sanctandreanus dictus, ab anno 1586. Heidelbergæ sedem fixerit, patet hanc editionem Heidelbergæ vidisse lucem.

— Pulmanniana VII. Opera, a Theod. Pulmanno emendata. Antverpiæ ex offic. Plantiniana. 8.

— Bucolica et Georgica cum paraphrasi Nicodemi Frischlini. Francofurti. 8.

— Fabii Planciadis Fulgentii liber de expositione Virgilianæ continentiæ: Junii Philargyrii in Bucolica et Georgica Virgilii commentariolus: Fulvii Ursini notæ ad Servium in Virgilium: Velius Longus de orthographia, M. Aur. Cassiodori de orthographia liber. Heidelbergæ, apud Commelinum. 8. In titulo subjicit, 'Ex his Fulgentius nunc primum editus est,' et in præfat. duobus exemplaribus se usum esse ait, quorum alterum Petrus Veckmanus, alterum F. Modius ex bibliotheca Fuldensi descriptum communicaverat.

— Nathanaëlis Chytræi in Virgilium Prolegomena. Et in ejusdem

Digitized by Google

Eclogam primam Collectanea. 'Rostochii. Excudebat Steph. Myliander.' 8.

— Fabii Paulini, Utinensis, Hebdomades, sive septem de septenario libri, habiti in unius Virgilii versus explicatione: 'Obloquitur numeris septem discrimina vocum. Venetiis, apud Franc. Franciscium.' 4.

— Baldass. Theod. Gorii Res Virgiliana, h. e. phrases et epitheta. Gorlicii. 8.

1590 P. Virgilii Bucolica, Petri Rami prælectionibus exposita, quibus poëtæ vita præposita est. Editio quinta. 'Francofurti, apud haeredes Andr. Wecheli.' 8.

— Ciris et Elegia ad Val. Messalam. Parisiis. 8.

1591 Fabriciana V. Operum. Lipsiæ. 8. Repetita ex IV. an. 1568.

— Opera omnia (etiam Carmina minora) adjectis figuris egregie depictis et doctissimorum virorum scholiis, annotationibus ac novis argumentis ex variis interpretibus congestis. Coloniæ, apud P. Horst. 8. In margine sunt breves annotationes et var. lect. Adjectæ annotationes Jo. Frisii et ex Doleto in Æneidem. Videtur Tigurina aliqua expressa esse. Vid. 1561.

— Opera. Londini, per Franciscum Coldock. 4.

— Bucolica, serio emendata, cum scholiis Franc. Sanctii Brocensis. 'Salmanticae, apud Didacum a Cussio.' 8. Repetita in Sanctii Opp. Tom. II. pag. 151.

— Nicolai Grimoaldi viri doctiss. in P. Virgilii Maronis quatuor libros Georgicorum in oratione soluta Paraphrasis elegantissima. Oxonii in æde Christi, anno Sereniss. regis Edouardi sexti secundo confecta. Cum notis W. Haydock. 'Londini. Excudebat Georg. Bishop et Radulph. Newbery.' 8. Elegantissima profecto paraphrasis. De Grimoaldo vid. Wood Athenæ Oxon. Vol. I. pag. 178.

1592 Pulmanniana VIII. Opera, a Theod. Pulmanno emendata. Lugduni Bat. ex offic. Plantiniana. 12. vel 8.

— Gryphiana XVII. Opera, cum annotationibus Pauli Manutii, etc. Lugduni, apud Ant. Gryphium. 8. Vid. 1585. Insunt quoque Carmina minora.

1595 Pulmanniana IX. Opera e Theod. Pulmanni emendatione. 'Lugduni Bat. ex offic. Plantiniana apud Raphelengium.' 8. Est hæc Raphelengii I. quam plures dein secutæ.

Digitized by Google

— P. Virgilii Mar. Appendix, cum castigationibus et commentariis Jos. Scaligeri, curante et edente Frid. Lindenbruch, cujus et notæ additæ. Lugduni Bat. apud Raphelengium. 8.

— Opera, in locos communes digesta. Duaci. 8.

1596 Fabriciana VI. P. Virgilii Mar. Opera indubitata [inest tamen Culex et alia] e recensione Georg. Fabricii Chemn. 'Lipsiae, impensis V. Voegelini. Imprimebat Mich. Lantzenberger.' 8. Repetita ex superioribus.

— Bersmaniana III. Operum. Lipsiæ. 8. Ex ed. 1581.

— Erythræi VIII. (Sylburgiana II.) Francofurti, typis Wechel. 8. Repetita ex I. an. 1583.

— Lamb. Hortensii Enarrationes in XII. libros P. Virgilii Mar. Æneidos. Basileæ, ex officina Henricopetrina. fol. Repetita ex ed. 1577.

— Nascimbæni Nascimbænii Explanationes in Æneidos libros V. priores. Basileæ. fol.

1597 P. Virgilii Mar. Opera, cum figg. notis variorum, et præf. Phil. Melanchthonis (suppresso ejus nomine). Coloniæ, per Groswinum Culenium. 8. Ex ed. 1585.

— P. Virgilii Mar. Poëmata, lectionum varietatibus, recentium duorum optimæ notæ exemplarium fide collectis, locupletata. Quibus ad calcem addita est epithetorum Virgilianorum appendix. Studio et opera Christ. Egenolphi F. 'Francofurti, apud Io. Saurium, impensis heredum Petri Fischeri.' 8. Laudatur Vulpio in Supplem. Fabricianæ Notit. lit. qui de ea hæc refert: 'Leguntur in hac ed. Maphei Vegii Laudensis liber, et omnia Poëmata et Catalecta copiosa Virgilio a diversis tributa: post quæ sequuntur Annotationes breves in Bucolica et Georgica, ex variis interpretibus a Io. Frisio Tigurino collectae. Item difficiliorum vocabulorum interpretatio Germanica per eundem: et ex Doleti Comm. de lingua Lat. annotatiunculae succinctae in libros Aeneid. Christoph. Hegendorphini. Librum exornant tabulae non ineleganter ligno incisae.' Est igitur filia Tigurinæ. Sed et jam supra laudavimus editionem Francof. Egenolphi an. 1577.

— Virgilius in locos communes digestus. Tournon. 12.

1598 Georgicorum libri IV. enarrationibus, quæ commentarii in loco esse possunt, illustrati a Federico Ceruto, Veronensi. Veronæ, apud Aug. Tamum. 8.

Digitized by Google

— Rob. Titii ad Georgica Virgilii Prælectiones quatuor. 'Bononiae, per heredes Io. Rossii.' 4.

1599 Henr. Stephani III. P. Virgilii Mar. Poëmata Henr. Stephani scholiis illustrata. 'Excudebat Paullus Stephanus.' (Genevæ.) 8. Secundæ an. 1583. per omnia est consimilis.

— Commeliniana II. P. Virgilii Mar. Opera, ex vetustissimo eoque accuratissimo bibliothecæ Palatinæ Ms. exemplari nitori pristino restituta, cum Indice Erythræi. Addita Fulgentii Planciadis Virgiliana continentia cum aliis nonnullis ad hujus poëtæ intelligentiam necessariis. 'E bibliopolio Commeliniano.' 8. Curata est hæc ed. a Juda Bonutio, Hier. Commelini sororio, et inscripta Paullo Melisso. Repetita an. 1603.

— Opera, doctissimorum virorum notationibus illustrata opera 'Io a Meyen. Francofurti, ex officina Io. Saurii.' 8.

— Symbolarum libri XVII. quibus P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Æneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur per Jac. Pontanum S. I. 'Augustae Vindel. ex offic. Io. Praetorii.' fol. Eximius hic habetur Commentarius. In calce voluminis adjuncta est paraphrasis librorum trium priorum et trium posteriorum Æneidis.

1600 P. Virgilii Mar. Opera et in ea Mauri Servii Honorati Commentarii ex antiquissimis exemplaribus longe meliores et auctiores. Ex bibliotheca P. Danielis I. C. Accessit Fabii Planciadis Fulgentii liber de continentia Virgiliana auctior e Ms. Cod. Item Junii Philargyrii commentariolus in Bucolica et Georgica Virgilii. Parisiis, apud Seb. Nivelle. fol. Nobilissima editio propter Servii commentarios, quos sequentes fere edd. hinc expressere, sed alia aliis vitiosius. Historiam Codd. P. Danielis vide in 'Voyage litteraire de deux Benedictins' Tom. I. pag. 65. De Fulgentii libro an. 1589. et de Jun. Philargyrio an. 1587. primum editis vide supra ad h. a.

1601 Commeliniana III. P. Virgilii Mar. Opera, etc. cum Indice Erythræi. 'E bibliopolio Commeliniano.' 8. Omissæ in hac ed. Erythræi observationes.

— Opera, cum notis Pauli Manutii et Georgii Fabricii. Genevæ. 8.

— Virgilius in locos communes digestus, cum Indice ab Ant. Maria Basso ad numerum versuum accommodato. Coloniæ Agripp. 8.

1602 Operum Cl. V. Nicodemi Frischlini Pars paraphrastica, qua

Digitized by Google

continentur P. Virgilii Mar. Bucolica ex Plauto et Terentio, Georgica ex Catone, Varrone, Columella et Plinio, Æneidos libri duo priores ex Livio, Cæsare et Cicerone, etc. 'Francofurti ad Moen. typis et sumptibus Io. Spiessii et heredum Rom. Beati.' 8. Idem libellus jam an. 1580. expressus, præter paraphrasin in lib. I. et II. Æneidis, quæ nunc primum accessit.

1603 Commeliniana IV. P. Virgilii Mar. Opera collata ad antiquissimum bibliothecæ Palatinæ Ms. exemplar, cum Indice Erythræi. 'In bibliopolio Commeliniano.' 8. Repetita ex ed. 1599. quam tamen haud optima fide vulgatam pronuntiat Allatius ad Antiqq. Hetruscas pag. 58. Eandem correctissimo indice ornatam laudat Barthius ad Statium Tom. I. pag. 258.

— Erythræi IX. (Sylburgiana III.) Opera, cum scholiis et indice Nic. Erythræi. Hanoviæ, typis Wechel. 8.

— Opera. In Corpore poëtarum Lat. Vol. I. Genevæ, exc. Sam. Crispinus. 4.

— Alberici Gentilis, I. C. Professoris regii, Lectionis Virgilianæ variæ liber ad Robertum filium. Nunc primum in lucem editus. Hanoviæ, apud Guil. Antonium. 8. Sunt scriptæ ad filium octennem, criticæ tamen ac philologicæ cum multa exspatiatione in jus romanum. Nec tamen ultra Bucolica procedunt.

1604 P. Virgilii Mar. Opera. 'Ex officina Plantiniana Raphelengii.' 12.

— Symbolarum libri XVII. quibus Virgilii Bucolica, Georgica et Æneis ex probatis auctoribus declarantur, comparantur, illustrantur per Jac. Pontanum. 'Lugduni, apud Io. Pillehotte.' fol. Vide 1599.

1605 Christoph. Landini Allegoriarum in Virgilium libri II. Aureliæ Allobr. 12.

1608 Commeliniana V. ex tertia recusa. 8.

— Erythræi X. (Sylburgiana IV.) Hanoviæ, typis Wechel. 8. Repetitio ed. 1603. Bibl. Emtinck. P. IV. pag. 303.

— Erythræi XI. (Sylburgiana V.) Lugduni. 8.

— Opera, cum scholiis Jo. a Meyen. Francofurti. 8.

— Bucolica et Georgica, argumentis, explicationibus et notis illustrata a Jo. Lud. de la Cerda Toletano. Madriti. fol. Omnis viri docti opera in commentando versatur: lectionis nulla cura: sæpe ea interpolata.

Digitized by Google

— Ciris. In eam Commentariolus Casp. Barthii. 'Ambergae, ex typograph. Schoenfeldiano.' 8.

1609 Opera, cum Servii commentariis. Parisiis. fol.

— Virgilius, cum notis variorum. Antverpiæ. 8. Laudatur Harlesio in Introduct. ad Not. lit. Rom. Part. II. pag. 309.

— Culex, cum comment. Frid. Taubmanni. Vitebergæ. 8.

1610 Opera, cum Servio P. Danielis. Coloniæ Allobrog. 4. Ex editione 1600.

— Opera, cum figg. lectionum varietatibus, et doctissimorum virorum scholiis ex variis interpretibus congestis, in gratiam studiosæ juventutis denuo edita. 'Impensis et typis Friderici Hartmanni bibliopolae Francofurti ad Oderam.' 8. Præmittitur huic editioni præfatio Phil. Melanchthonis. Præter illius scholia marginalia habet post Opuscula Virgilii annotationes breves in Bucolica et Georgica, e variis interpretibus a Jo. Frisio Tigurino collectas. Item difficiliorum vocabulorum interpretationem Germanicam per eundem. Tum ex Doleti Comm. de L. L. annotatiunculas in libros Æneidis Christophori Hegendorphini. Imitata est igitur edd. Tigurinas Jo. Frisii.

— P. Virgilii Mar. Poëmata, cum libro suppl. Maphæi Vegii, Epigrammata, etc. cum annotationibus brevibus ex variis interpretibus collectis, et difficilium vocabulorum interpretatione Germanica opera Jo. Frisii Tigurini. 'Francofurti, apud Nic. Hofmann.' 8. Est repetitio ed. Francof. 1567.

— Melch. Laubani archetyporum analyticorum ad integram P. Virgilii Mar. Æneidem libri VII. Lignicii Siles. 4. Biblioth. Emtick. P. IV. pag. 122.

— Thesaurus P. Virgilii, in communes locos jampridem digestus a Mich. Coysardo S. I. nunc ab eodem recognitus et indice locupletatus. 'Lugduni, apud Io. Pillehotte.' 12.

1611 P. Virgilii Mar. Opera recusa in Corpore veterum Poëtarum Lat. 'Aureliae Allobr. apud Sam. Crispinum.' 4. Vol. I. pag. 600-748. Vide an. 1603.

1612 Jo. Lud. de la Cerda Commentarii in VI. priores libros Æneidis. Madriti. fol. Conf. 1608. De Operum Virgilii editione Lugdunensi cum comment. Cerdæ vid. an. 1617.

— Compendium Operum Virgilianorum, tam oculis, quam manibus omnium expositum, ære ac studio Crisp. Passæi chalcographi, Latine et Gallice. 'Ultrai. Bat. apud Herm. Borculoi.' 4.

Digitized by Google

1613 Henrico-Petrina v. Opera quæ extant omnia, cum commentariis Tib. Donati et Servii Honorati, collectis et emendatis a Georg. Fabricio. Accedunt Probi Grammatici, Pomp. Sabini, Phil. Beroaldi, Jo. Hartungi, Iod. Willichii, Georg. Fabricii, Bonfinis, Lud. Vivis, A. Barlandi et aliorum annotationes, omnia emendata et edita castigatius studio Lud. Lucii, Basil. Acad. Prof. 'Basileæ. per Seb. Henricpetri.' fol. Servii recensio in hac ed. admodum probatur Burmanno præf. ad Virgil. Est tamen totus liber expressus ex ed. 1551. Fabricii notæ ab iis, quæ in reliquis edd. sunt excusæ, diversæ esse feruntur: sunt scilicet pleniores. Conf. I. D. Schreberum in Vita Ge. Fabricii pag. 210. seqq.

— Erythræi XII. Opera, cum Nic. Erythræi scholiis et indice, castigata per Jo. Obsopœum et Frid. Sylburgium. Francofurti. 8.

— Selecta quædam veterum poëtarum Opera [in his Eclogæ Virgilii] cum scholiis Franc. Sanctii. Salmanticæ. 8.

1614 P. Virgilii Mar. Opera, novis annotationibus, e virorum doctissimorum libris excerptis, illustrata, additis Homeri locis insignioribus, quæ Virgilius imitatus est, cum rerum et verborum Indice locupletissimo. 'Coloniae Allobr. apud Petrum de la Rouiere.' 8.

— Introductiones œconomicæ simul et politicæ: sive Virgilii Bucolica et Georgica paraphrasi perpetua illustrata a Nicod. Frischlino. 'Francofurti ad Moen. per Is. Porsium.' 8. Vid. an. 1602.

1616 Bersmaniana IV. Operum. Lipsiæ. 8.

— Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. 'Parisiis, apud Sanlecque.' 12.

— Opera, cum scholiis Jo. a Meyen. Francofurti, apud Nic. Hofmannum. 8.

— Opera repurgata ab Alex. Ficheto S. I. In Corpore poëtarum Latinorum. Lugduni. 4.

1617 Opera, cum notis Pauli Manutii et Georg. Fabricii. Londini. 8.

— Catalecta Virgilii et aliorum Poëtarum Latinorum veterum Poëmatia, cum comment. Josephi Scaligeri (notisque Friderici Lindenbruchi.) 'Lugduni Bat. apud Raphelengium.' 8. Recusus titulus ed. 1595.

Digitized by Google

— Jo. Lud. de la Cerda Commentarii in sex posteriores Æneidis libros. Madriti. fol. Vid. 1612.

— Bucolica, Georgica et Æneis, argumentis, explicationibus, notis illustrata, auctore Jo. Lud. de la Cerda Toledano, S. J. 'Lugduni, sumptibus Horatii Cardon.' fol. 3 voll. quorum primum lucem vidit an. 1619. secundum 1612. tertium 1617. Conf. Crevenna Tom. III. pag. 194.

1618 Opera omnia: Bucolica, Georgica, Æneis, Ciris et Culex; cum commentario Frid. Taubmanni, curante et edente Christiano Taubmanno, Frid. fil. 'Wittebergae, apud Zach. Schurer.' 4. 'Editio Henr. Stephani semper fere pro regula fuit,' sub finem præfat. 'Ciris textum ex Scaligeri, Barthii, et parentis lectionibus restitui. Culicem duorum exemplarium' (noli de Mss. cogitare) 'a parente emendatorum auxilio correctiorem reddidi.' Commentarii diligentissime scripti et ad intelligendum poëtam utilissimi; quibus contentus sit, qui majoribus Cerdæ, Valentis, edd. Henrico-Petrinis et Danielis cett. destituitur.

1619 Pulmanniana x. Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. Amstelodami. 24.

— P. Virgilii Mar. Culex. Apum respublica. Anseris encomium. Disticha de speculo. Vitæ rusticæ encomium. Laudes hortuli. Extant apud Dornavium Amphith. Sapientiæ Socrat. jocoseriæ. Hanoviæ. fol.

— Symbolarum libri XVII. quibus Virgilii Mar. Bucolica, Georgica, Æneis ex probatissimis auctoribus declarantur, comparantur, et illustrantur per Jac. Pontanum. Lugduni. fol.

1620 P. Virgilii Mar. Opera, cum Servio Danielis. Genevæ. 4. Ex ipsa Danielis ed. 1600. vitiosissime exscripta. Cf. P. Burmannum ad Eclogam VIII. 92.

1621 Tarqu. Gallutii Sabini e S. I. Virgilianæ Vindicationes, et Commentarii tres de Tragœdia, Comœdia, Elegia. Romæ, per Alex. Zanettum. 4. Inest acumen haud contemnendum in locis Virgilianis seu vindicandis seu reprehendendis; etsi judicii subtilitatem et sensus elegantiam in iis subinde desideres.

1622 Elzeviriana I. P. Virgilii Mar. Opera e doctorum virorum castigatione: accedit animadversionum liber. 'Lugduni Bat. ex officina Elzeviriana.' 12.

1623 Opera, cum Phil. Melanchthonis et aliorum scholiis. Wittebergæ. 8. c. figg.

Digitized by Google

— Pauli Benii Eugubini in P. Virgilii Mar. Æneidem Commentarii, quibus authoris sententia explanatur et illustratur passim, heroici poëmatis condendi ratio, legibus ac documentis ex ordine promulgatis, ostenditur. Æneis cum Odyssea et Iliade comparatur; simulque demonstratur, quantopere Homerum Virgilius superaverit: quibus accessit Platonis Poëtica. Venetiis, apud Jo. Guerilium. fol. Operosi sunt hi Commentarii, sed parum subtiles.

1624 Bersmaniana VI. Operum. Lipsiæ. 8. cum figuris. Est nobis ad manus exemplar, quod titulo caret, sed dubio procul illa ipsa est. Legitur enim in ultima pagina: 'Goslariæ Iohannes Vogthius excudebat; impensis haeredum Henningi Grossii senioris, bibliopolae Lipsiensis. Anno MDCXXIII.' Praemittuntur Greg. Bersmani Epist. dedicatoria ad Jo. Cas. et Jo. Ern. fratres, Duces Sax. scripta Lipsiæ d. VII. Kal. Apr. 1581. dein Virgilii vita per Donatum; tum Georg. Fabricii Chemn. ad Mart. Pisonem avunculum de excellentia poëtarum apud Latinos carmen, et Jo. Joviani Pontani de Virgilii natalibus, etc. Fr. Modii ad Greg. Bersm. de editis ab eo Virgilii et Ovidii Opp. Æneidi subjungitur Maphei Vegii lib. XIII. Sequuntur novis paginis incipientibus Epigrammata vett. Culex ex Bembi castig. Diræ, Ætna, Ciris, Moretum, Copa, Catalecta ex em. Jos. Scaligeri. Lectionis emendatæ ratio ex antiq. Grammatt. et librorum observatione, reddita a Georg. Fabricio; quæ voluminis finem facit.

1625 P. Virgilii Mar. poëtarum Latinorum principis Opera indubitata omnia. Ad doctiss. R. P. Jacobi Pontani castigationes accuratissime excusa cum indice ejusdem locupletissimo. Reliquis quæ Maronis nomine circumferuntur opusculis seorsim impressis. 'In florentissima Agrippinensium Colonia, sumtibus Bernhardi Gualteri, anno sal. humanae MDCXXV.' In fine: 'Excudebat Henricus Krafft sumtibus Bernhardi Gualteri MDCXXV.' Typographus in praefat. se ad normam Operis symbolici Jac. Pontani, in gratiam philomusæ juventutis, grandiori charactere notatis sententiis, ejusdemque Indice copiosissimo, Virgilii monumenta indubitata recudere voluisse profitetur.

— Opera, studio Th. Pulmanni correcta. Amstelodami. 8.

— Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. Sedani, typis Jo. Janoni. 32. Editio literarum formis minoribus nobilis, quæ ab

Digitized by Google

en nomen Sedanensium accepere. Conf. Burii Bibliogr. instruct. n. 2683. et Crevenna Tom. III. pag. 194.

1627 Opera. In Corpore Poëtarum Latinorum edit. III. Genevæ. 4.

1628 Bucolica, Georgica et Æneis, argumentis, explicationibus, notis illustrata, auctore Jo. Lud. de la Cerda. Coloniæ Agripp. fol. 3 voll.

— Æneæ peregrinationes, h. e. libri sex priores Æneidos analysi simplicissima enodati a Melch. Steinbruck. Coburgi, apud Jo. Forckelium. 16.

1629 P. Virgilii Mar. Opera, cum scholiis Jo. a Meyen. Francofurti. 8. Recusa ex Francof. 1616. Memoratur quoque Coloniensis hujus anni, forte ex 1591. ducta.

1630 Opera, clarissimorum virorum annotationibus illustrata: opera Jo. a Meyen. Parisiis, apud Jo. Libert. 8. Ex Ven. 1580.

— Opera. In gratiam juventutis poëtices studiosæ. 'Hispali, apud Franciscum de Lyra.' 12.

— Opera, ex rec. PP. S. I. Antverpiæ. 8. et 12.

1632 Opera. Genevæ. 12.

— Æneis, cum comment. Nic. Abrami. Mussiponti. 8.

1633 Opera. Antverpiæ. 8.

— Æneis, cum comment. Nic. Abrami. Rothomagi. 8.

1634 Farnabii I. Opera, notis marginalibus illustrata a Thom. Farnabio. 'Londini, sp. Fel. Kingston.' 8.

— Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. 'Amsterodami, apud Iansson.' 12.

1635 Bucolica et Georgica, cum comment. Nic. Abrami Mussiponti. 8.

1636 Opera, cum commentariis Servii, P. Danielis, etc. 'Genevæ, apud Petr. et Iac. Chouet.' 4. Expressa secundum ed. Danielis an. 1600. aut priores Genevenses 1610. et 1620. vitiosa quidem, sed et bona habet ob varias lectt. in libr. I. et II. Æneidis, e collatione Msti Fuldensis cum Mss. Danielis, et Pl. Fulgentii expositionem Virgilianæ continentiæ duorum scriptorum Codd. viri literis amantis collatione emendatiorem. Corrector autem ad Indicem copiosum, utilem et bonum, quin optimum, (judice Th. Crenio s. Crusio Animadv. philol. P. IV. pag. 1. 3.) in Servii Comm. haud curate satis, quod ad numeros

Digitized by Google

paginarum attinet, advigilavit; et ipsum opus mendose excusum fertur.

ÆTAS IV. HEINSIANA I.

1636—1717.

A duumviris, patre Daniele et filio Nicolao, HEINSIIS, quorum ille in edendo Virgilii textu huic proludens per XXVIII. annos, etiam in Schrevelianis obtinuit; principatum relicturus Nicolao filio, qui poëtis Romanis sospitator accessisse celebratur, per XXX. fere annos in recensendo Virgilii textu versatus, prima recensione ab an. 1664. tertia eaque peracta ex Codd. antiquissimis et veteribus Grammaticis, quamvis ipse suas in Maronem Obss. non publicasset, relictas posteræ ætati, præivit omnibus, etiam Jac. Emmenessio, Laughtonum Tonsonianæ curatorem reperienti asseclam, et Car. Ruæo S. I. in ed. II. 1682. in usum Delphini sæpius dein repetita. Heinsianæ III. novas curas, sed leviores, attulit Petrus Burmannus an. 1704. Præter hos Tanaq. Faber, Joan. Henricus Bœclerus, Mich. Maittairius, et Franc. Catrœus nonnihil attulerunt. De Servio post Corn. Schrevelium, Commelinianæ curatorem, Jac. Emmenessius bene mereri studuit. Post Jo. Farnabium, interpretem huic maxime ætati familiarem, qui etiam in Hackianis Schrevelii regnat, et Nic. Abramum, itemque Juvencium invenit socios, surrexit alter Deus minorum gentium Jo. Minellius, ab an. 1674. recturus adolescentum studia; ad cujus modum Christ. Junckerus, infeliciter Virgilium explicare aggressus.

1636 Dan. Heinsii I. P. Virgilii Mar. Opera, Dan. Heinsio recensente nunc emendatiora. Lugduni Bat. ex officina Elzeviriana. 12. Cum rara sit hæc editio, ejusque faciem plures aliæ mentiantur subdititiæ, ad pagg. 1. et 91. respiciendum esse, ubi paucæ literæ characteribus miniatis expressæ esse debent, non atris, de Bure Bibliogr. instruct. n. 2684. docet. Interioris indolis bona habet nulla. Conf. Heynium pag. CCXXXIII. Ad calcem adjunctus animadversionum libellus e doctor. viror. observationibus, jam in edd. Fabric. obvius.

1637 Opera, studio Theod. Pulmanni correcta. Amstelodami, ex officina Blaviana. 16.

Digitized by Google

— Opera, cum commentario Nic. Abrami. Rothomagi. 8.

1641 Opera. Parisiis, e typographia Regia. fol. Splendidum volumen: unum ex quatuor poëtis Latinis excusis prelo Luparensi. Reliqui sunt Terentius, Horatius, Juvenalis et Persius.

— Dan. Heinsii II. Virgilius, e recensione Dan. Heinsii. Lugduni Bat. ex offic. Elzevir. 16. Repetitio ed. 1636.

1642 Bucolica, Georgica et Æneis, cum comment. Jo. Lud. de la Cerda. Coloniæ Agripp. 1642. et 1647. fol. 3 voll. Recusa ex ed. 1628.

— Farnabii II. Opera, cum scholiis Thom. Farnabii. Lugduni Bat. 12. itemque Amst. ex offic. Ianssoniana.

— Copa, cum commentariolo Jo. Weitzii, et Spicilegio in Moretum Septimii Sereni. 'Francofurti, apud haeredes Clem. Schleichii.' 8.

1644 Opera, cum commentario Nic. Abrami. Tolosæ. 8.

1646 Commeliniana Corn. Schrevelii. P. Virgilius cum veterum omnium commentariis et selectis recentiorum notis. Nova editio, inscripta Georgio Valkenier. (Amstel.) Ex officina Abrah. Commelini. 4. Servius ex exemplari editionis P. Danielis 1600. a Cl. Salmasio multis locis emendato, expressus. Usus etiam est Commelinus exemplari Nic. Heinsii, qui varias e Mss. lectiones annotarat. Notas virorum doctorum excerpsit Corn. Schrevelius. Conf. præfat. Post meliores Heinsii editiones hujus quidem non magnus usus est.

1648 Opera, cum commentario Nic. Abrami. Rothomagi. 8. Secundum ed. 1637.

— Æneis, cum versione Gallica. Parisiis. 4. 2 voll. quorum posterius lucem vidit an. 1658. Vid. Verss.

1649 Dan. Heinsii III. P. Virgilii Mar. Opera nunc emendatiora. Amstelodami, apud Lud. Elzevirium. 16.

1650 Farnabii III. Opera, cum notis Thom. Farnabii. Amstelodami, apud Jo. Janssonium. 12.

1652 Dan. Heinsii IV. Operum. Amstel. ap. Elzevir. 12.

— Schreveliana I. Opera, cum notis Farnabii integris, et selectis variorum, opera ac studio Corn. Schrevelii. Lugduni Bat. ex officina Hackiana. 8. Curata hæc ad exemplum reliquarum in Batavis cum notis var. exaratarum; sine judicio, delectu et diligentia. Notæ ascriptæ non quas res postulabat, sed quæ calamo se offerebant.

Digitized by Google

1653 Æneidos liber primus. 'Parisiis, apud Seb. et Gabr. Cramoisy.' 4.

— Æneidos liber duodecimus. Parisiis, apud eosdem. 4. Maittair. Annal. Ind. pag. 329.

1654 Opera, cum comment. Fabrini, Malatestæ et Venuti, Italicæ lingua scriptis. Venetiis. fol. Conf. Bibl. Bunav. Tom. I. pag. 301.

1657 Schreveliana II. Operum, cum notis selectissimis varionum. 'Lugduni Bat. apud Franc. Hackium.' 8. Vid. 1652.

— Clavis anterioris Æneidos, itinera Æneæ notis et tabulis reserans, opera M. Jos. Seizii. Halæ Suevor. per Jo. Reinhard. 1657. 4. Subjicitur: Analysis libri secundi Æneidis—Trojam delineans. Analysis libri tertii, Didoni—ortam—αὐτοχειρίαν—libri quinti Ludos Æneæ, etc. Tum tandem: 'Centrum—Virgilianæ Aeneidos, sive Analysis libri sexti, descensum Aeneae ad inferos—delineans.' Halæ. 1656, 4. Inesse possunt in ineptis his subtilitatibus grammaticis et rhetoricis nonnulla, quæ ingenium forte acuant, si quis otio abundet.

1658 P. Virgilii Mar. Opera, per Jo. Ogilvium edita, et sculpturis æneis adornata. 'Londini, typis Thom. Roycroft.' fol. maj. cum 120. tabb. et cum charta geogr. Volumen magna impensa, et quantum illa ætas ferebat, non sine arte, curatum. Delineandis et incidendis figuris operam dedere clari artifices W. Hollar, W. Faithhorne, P. Lombard, et alii. Repetita ed. 1663.

1659 Opera, cum scholiis Jo. a Meyen. Francofurti. 8. Ex edd. Francof. 1616. et 1629.

1661 Schreveliana III. Operum, cum notis selectissimis varionum. Lugduni Bat. ex offic. Hackiana. 8. Repetita ex ed. 1657.

1662 Opera, cum versione Gallica et adnotationibus Mich. de Marolles. Parisiis. 8. 3 voll.

— R. P. Sebastiani de Matienzo, Burgensis, Soc. Jesu, Commentationes selectæ ethicæ et politicæ in P. Virgilii Mar. Æneidem. 'Lugduni, sumpt. Horatii Boissat et Georg. Remens.' 4. Sunt argutationes fere ad Donati exemplum effusæ, deterioris tamen venæ.

1663 Opera, per Jo. Ogilvium edita, et sculpturis æneis adornata. 'Londini, typis Thom. Roycroft, prostant apud Guil. Wells et Rob. Scott.' fol. chart. reg. Vid. an. 1658.

Digitized by Google

1664 Nic. Heinsii II. P. Virgilius Maro, accurante Nic. Heinsio. 'Lugduni Bat. ex offic. Elzeviriana.' 12. Nobilis editio, e qua melior demum Virgilio lux affulsit. Conf. an. 1676.

— Opera, cum scholiis Jo. a Meyen. Francofurti. 8. Recusa post ed. 1659.

1666 Schreveliana IV. Operum, cum notis selectissimis variorum. Lugduni Bat. ex offic. Hackiana. 8.

— Opera. Basileæ. 12.

1668 Opera. Maceratæ. 8.

1669 Farnabii IV. juncta Abrami notis. P. Virgilii Mar. Opera, cum notis Nic. Abrami et Thom. Farnabii. Parisiis, apud Jo. Henault. 12.

1671 Nic. Heinsii II. P. Virgilius Maro, accurante Nic. Heinsio. Lugduni Bat. ex offic. Hackiana. 16. Vid. 1664. Accessere in hac ed. Culex et Ceiris.

1674 Minellii I. Opera, cum annotationibus Jo. Minellii. Roterodami. 8.

1675 Opera, editio novissima, summa cura recognita et multis mendis purgata. Adjectæ sunt Tanaq. Fabri et nonnullorum aliorum notulæ et emendationes. 'Salmuri, apud Is. et H. Desbordes.' 12. Adjectæ sunt notulæ ex ejus adversariis collectæ; tum Animadversionum libellus, qui et in Fabricianis edd. occurrit.

— Ruæi I. P. Virgilii Mar. Opera, interpretatione et notis illustravit Carolus Ruæus S. I. in usum Delphini. Parisiis, apud Sim. Benard. 4. Est ea inter meliores edd. auctorum Latinorum in usum Delphini referenda, ideoque sæpissime repetita in Gallia non solum, sed et in Anglia, Belgio et Italia. Præmisit is vitam s. historiam Virgilii per Consules pulchre satis scriptam. Supervavit tamen mox hanc I. editio altera an. 1682. ob textum Nic. Heinsii ab Ruæo receptum.

— Minellii II. Roterodami. 12.

1676 Nic. Heinsii III. eaque ob novas curas princeps: P. Virgilii Mar. Opera. Nic. Heinsius, Dan. Fil. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Amstelodami, ex offic. Elzeviriana. 8. et 12. Ex Codicibus vero pæne XXX. quos post Burmannum describit ill. Heynius in Elencho Codicum Virgilii Tom. I. pag. CXLI. seqq. novissimæ editionis, Virgilium emendavit Heinsius: consuluit præterea etiam Grammaticæ rei veteres

Digitized by Google

auctores Latinos: laudatque in Ep. præmissa ad Lectorem ex Codd. maxime præstantissimum illum, unumque instar omnium, qui parem vetustate nullum per Europam universam nunc habet, servatum a multo tempore in Laurentiana Florentiæ bibliotheca —quod ipsum exemplar usibus Aldi Manutii inservivit olim, cujus in orthographico opere laudatur passim possessorem liber tunc nactus Ludovicum Cardinalem Carpensem, a quo postea ad Achillem Statium devenit. (Heinsius erat. Verum nomen possessoris fuit Rudolphus Pius, Card. Carpensis, sub Paullo III. P. M. qui eum Achilli Statio evolvendum permisisse videtur, ac dein bibliothecæ Vaticanæ legavit, ex qua is tandem casu aliquo in Mediceam pervenit.) Quod reliquum est, ipsum Heinsium de orthographica ratione, quam secutus, quædam in eadem Ep. disserentem, (quæ contra novellos antiquitatis nescio cujus simulatores, in minutiis vim Latii ponentes, repetita sint) audiamus: 'Orthographicam scribendi rationem hanc in plerisque, non enim in omnibus, secuti sumus, quam castigatiores libri præferebant. Obsolevit ferme apud nos, quod in usu tamen priscis Romanis frequentissimo fuit, si quid vetustioribus membranis est credendum, ut declinationis tertiæ nominum, quæ casum pluralem in *ium* terminant, quartus casus iisdem in *is* non in *es* terminetur. *Urbs, urbes, urbium, urbis. Gens, gentes, gentium, gentis. Omnis, omnes, omnium, omnis.* Hinc initium Sallustianum: 'Omnis homines summa ope eniti decet.' Atque hac de re cum Priscianus, tum alii ex antiquis Grammaticis, in primis Aulus Gellius, ubertim egerunt: qui disputat operose, cur Maro nunc *tris*, nunc *tres* dixerit. Nam quod *treis* et *omneis* et *urbeis* et *queis*, aliaque id genus non pauca, passim in vulgatis edd. occurrunt, ea Pacuviano Ennianoque digna tempore, non Virgiliano censeamus licet. Habet enim in deliciis Maro archaismos ac veteres loquendi modos, sed sobrie id ac parce, ut mira est huic poëtæ castigatissimi judicii vis in omnibus. Eam certe scribendi rationem illo vivente obtinuisse, ut *omnis*, et *urbis* dicerent, non *urbeis* aut *omneis*, in quarto casu plurali, ex ipsis Cæsaris Augusti nummis liquido apparet, in quorum non paucis, apud me extantibus, civica exhibetur corona cum hac inscriptione, OB CIVIS SERVATOS, Extant et ejusdem Augusti Cæsaris numismata, quorum ab altera parte Divi Julii imago est expressa, additis hisce literis DIVOS IULIUS, non DIVUS. Hinc

Digitized by Google

totiés apud Maronem in præstantissimis libris *Volcanus, Volsci, volnus, volgus, ævom, equom, divom,* et similia. Quomodo et in pervetustis Varronis, Plauti, Terentii, Lucretii exemplaribus scriptum reperias passim. *Ulixes* est in iisdem exemplis constanter admodum, quem nunc *Ulyssem* scribimus perperam ac malo exemplo, uti certius animadversa ad Maronem nostra evincent.'

1677 Farnabii v. Amstelodami. 12. c. figg.

1680 P. Virgilii Mar. Opera in tres Tomos divisa, cum notis integris Servii, Philargyrii, necnon Jo. Pierii variis lectionibus, et selectissimis plerisque commentariis Donati, Probi, Nannii, Sabini, Germani, Cerdæ, Taubmanni et aliorum: quibus accedunt observationes Jacobi Emmenessii, cum indice Erythræi. Lugduni Bat. apud Joan. Hackium. 8. 3 voll. c. figg. Textum sequitur ed. Heinsianæ 1676. Servii notæ ex Genevensi ed. 1636. expressæ: quæ quamvis mendosior illa Danielis 1600. sua tamen habet bona, quibus Danielis editio caret. Observationes Erythræi indici insertas quod post Ant. Mar. Bassam et Commelianam an. 1601. omisit Emmenessius, in eo improbatur. Emmenessius cum in opere immortuus esset an. 1679. absolvit operam Pancratius Masvicius. Magnæ olim fuit auctoritatis editio, antequam Masvicius ipse novam et Burmannus suam edidissent.

1681 Minellii III. 'Roterodami, apud viduam Arn. Leers.' 12.

1682 Ruæi II. in usum Delphini, ob receptum Nic. Heinsii textum ex ed. 1676. præstantior. Parisiis. 4.

— P. Virgilii Mar. Opera. Londini. 12. Catal. libr. Musei Britann. Vol. II. voc. Virgilius.

— Nic. Abrami Commentarius in P. Virgilii Mar. Opera omnia. Rothomagi. 8.

1683 Farnabii VI. Lipsiæ. 12.

— Thesaurus P. Virgilii Mar. in communes locos digestus a Mich. Coyssardo S. I. nunc demum emendatior prodit, opera unius ex eadem societate. Parisiis, apud Cl. Thiboust. 12.

1684 Nic. Heinsii IV. P. Virgilii Mar. Opera. Nic. Heinsius. Dan. F. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Lugduni Bat. typis Jac. Hackii. 12. Est ex edd. Heinsii perfectioris operæ.

— Bucolica et Georgica, post optimas editiones nunc primum

Digitized by Google

emendata, notisque ac scholiis selectis variorum illustrata. Londini. 8.

1685 Nic. Heinsii v. P. Virgilii Mar. Opera. Nic. Heinsius, Dan. F. e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. Amstelodami, ex officina Wetsteniana. 12.

— Farnabii VII. Amstelodami. 12.

1686 Ruæi III. P. Virgilii Mar. Opera, interpretatione et notis illustravit Car. Ruæus, jussu Christianissimi Regis ad usum Ser. Delphini, juxta editionem Parisiensem. Londini. 8.

1688 Nic. Heinsii VI. Amstelodami, ex offic. Elzeviriana. 12.

— Æneis, c. versione Germ. Jo. a Zehmen. Lipsiæ. 12.

1690 Ruæi IV. Amstelodami. 4.

1692 Ruæi V. Amstelodami. 4.

1695 Nic. Heinsii VII. ex editione Elzeviriana recusa. Londini. 8.

— Ruæi VI. recusa juxta editionem Amst. 1692. Londini. 4.

1696 Ruæi VII. Parisiis. 8. 3 voll.

— Ruæi VIII. Londini. 8. Biblioth. Panzeri P. I. pag. 275. n. 2363.

1697 Minellii IV. Roterodami. 12.

— Virgilii Opera ab ipso primum edita, scil. Epigrammata, Poëmatia, Fragmenta—cum comment. et observ. cumque paraphrasi Italico metro concinnata ab Octavio Scarlatino. Bononiæ. P. Maria de Montibus. fol.

1698 Virgilii Opera. Jo. Henr. Boeclerus quondam ex insigni Ms. bibliothecæ Argentoratensis recensuit, et annotationes tam philologicas, quam philosophicas et politicas, in quibus Servii commentarius præcipue illustratur, eleganter suppeditavit. 'Ulmae, apud Wolfg. Beuerlin.' 8. Textus vivo Boeclero fuerat expressus, sed triginta demum ann. post illius mortem opus absolvit alius, qui addidit annotationes in Æneida nec paris pretii, nec admodum multas, ex ore quondam præceptoris sui, Boecleri, exceptas, in quibus variæ Codicis Argentoratensis lectiones afferuntur, crisi interdum adhibita, et ratione Servii, vel potius farraginis plurimorum Grammaticorum (nam Boeclerus ait pag. 52. se inspexisse XIII. exemplaria Mss. quorum nullum cum altero consentiat) crebro habita. Notæ in Bucolica et Georgica admodum jejunæ, et ex Servio, P. Ramo et Frid. Ceruto miserè compilatæ, alium habent auctorem. Adhærent quoque Culex

Digitized by Google

Ciris, Catalecta, et variorum poëtarum in Virgilii opera et vitam præconia, ex recensione Scaligeri.
— Minellii v. Hafniæ. 8.
— Supplementum ad Æneida, seu Æneidos liber XIII. authore C. S. Villanova. Parisiis, per Aubonyn. 8. vel 12.
1700 Minellii VI. Lipsiæ. 8.
— Minellii VII. Herbornæ. 8.
1701 P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Æneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per Henr. Laughton, Bibl. Cantabr. præfectum. 'Cantabrigiæ, typis academicis, impensis Jac. Tonson.' 4 maj. Fere ad solam Emmenessianam exacta. Laughtonus Dissertationem criticam præmisit. Recusa an. 1702. 1707. et 1711.
— Farnabii VIII. Patavii. 12.
1702 Bucolica, Georgica et Æneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per Henr. Laughton. Cantabrigiæ. 8. Repetitio ed. 1701.
— Farnabii IX. Lipsiæ. 12.
1703 Minellii VIII. Londini. 8.
— Minellii IX. 'Rotomagi, apud Iac. Ios. le Boullenger.' 12.
— Opera, cum notis Christ. Junckeri ad modum Minellii. Lipsiæ. 8.
1704 Nic. Heinsii VIII. Petr. Burmanni I. P. Virgilii Mar. Opera. Nic. Heinsius e membranis compluribus iisque antiquissimis recensuit. 'Ultraiecti, apud Guil. van de Water.' 12. Ex Heinsiana an. 1676. religiose expressa, curante P. Burmanno, nisi quod lectionum nonnullarum, quas e Cod. Mediceo Norisius in Cenotaphio Pis. annotaverat ab Heinsio pretermissas, ratio habita est, observante Heynio.
— Minellii X. Roterodami. 12.
1706 P. Virgilii Mar. Opera, ad meliorum Codicum fidem emendata, cum argumentis lucidissimis. 'Vindocini (Vendome) apud Henr. Hyp.' 12.
1707 Ruæi IX. Londini. 8.
— Bucolica, Georgica et Æneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per Henr. Laughton. Cantabrigiæ. 8.
— P. Virgilius Maro singulari studio emendatus. Parisiis, apu Musierium. 12.
1708 Minellii XI. Francofurti. 8. item Lipsiæ. 8.
— Minellii XII. Amstelodami. 12.

Digitized by Google

1709 Novus apparatus Virgilii poëticus, descriptiones, comparationes, et sententias exquisitissimas ex variis poëtis complectens, cura R. P. Laur. le Brun. Coloniæ. 8.

1711 Farnabii x. Lipsiæ. 12.

— P. Virgilii Mar. Opera, cum notis selectis Abrami, Farnabii, Juvencii et aliorum, et omnium verborum indice. Rothomagi, apud Lallemantium. 12.

— Opera, cum notis Christ. Junckeri ad modum Minellii. Lipsiæ. 12. Ex ed. 1703.

— Bucolica, Georgica et Æneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita per Henr. Laughton. Cantabrigiæ. 8.

1712 Farnabii XI. ex recensione Nic. Heinsii, cum notis Thom. Farnabii. 'Amstelodami, apud Ianssonio-Waesbergios.' 12.

— Ruæi x. Londini. 8.

1713 Ruæi XI. Venetiis. 4.

— P. Virgilii Mar. Opera. Inter Opera et Fragmenta veterum Poëtarum a Mich. Maittaire edita Londini. fol. Vol. I. pag. 359. seqq.

1714 P. Virgilii Mar. Operum editio nova ceteris omnibus emendatior. Parisiis, apud Jo. Barbou. 4. et 12.

1715 Opera. Londini, ex officina Jac. Tonson et Jo. Watts 12 maj. per Mich. Maittaire, qui varias lectiones ex Veneta per Leon. Achatem 1472. et Mediolanensi 1474. præmisit.

— Ruæi XII. Parisiis. 12. 4 voll.

1716 Minellii XIII. Londini. 8.

— P. Virgilii Mar. Opera, typis excusa nova methodo, qua, sine commentariis, intemerato atque emendatissime dato textu, multa lectori commoda emergunt, prout per præfationem patet et summam modi editionis: in studiosæ juventutis gratiam; opera et cura, necnon sumtibus, Gulielmi Binaldi. Dublini. 24. cum accentibus.

— Opera, cum versione Gallica et notis criticis et historicis Franc. Catrou. Parisiis. 12. 6 voll.

1717 Nic. Heinsii IX. P. Virgilius Maro, accurante Nic. Heinsio. 'Amstelodami, apud Ianssonio-Waesbergios.' 12.

Digitized by Google

ÆTAS V. HEINSIANA II.
1717—1807.

Triumviralibus Pancratii MASVICII, Petri BURMANNI I. et Christiani Gottliebii HEYNE, curis perfectior. De Masvicii post Emmenessium in Virgilium meritis ad ejus editionem sub an. 1717. quædam monemus. Superavit eum mole editionis et critica cura æmulus et obtrectator Burmannus, Heinsii vestigia legens, cujus etiam Obss. ad Virgilii lectionem firmandam primus protulit, textum et poëtæ et Servii cet. accuratius constituendo inde ab an. 1744. et 1746. ceterum ipse ad interpretationem poëtæ parum attulit. Quo major gratulatio decernenda fuit Heynio, non solum critico acuto et modesto, sed et interpreti a sapientia pulchri et doctrina veriori instructo, qui utramque artem attulit in ed. ampliori an. 1767. edi cœpta, et an. 1775. absoluta; dein auctius et emendatius repetita an. 1788. 1800. 1803. Egregiam vero operam huic ætati ab an. 1741. præstitere, Jo. Cajetanus Bottarius, Codicis antiquissimi Vaticani cum figuris ære incisis novus editor et collator, ac Petrus Franc. Fogginius, Codicis Medicei illo etiam præstantioris editor. Supersedere post illos potuit Ant. Ambrogius, interpres Virgilii Italus, sed parum criticus, sumtuoso magis quam utili Virgilii ex Cod. Mediceo edendi labore. Ex Anglis Codd. VII. conferendo Jo. Martyn, Georgicorum et Buc. editor, magis tamen ab interpretatione, quam a critica arte laudatus, et si placet, Alex. Cuninghami, præstantissimi Horatii editoris, posthumæ curæ, Virgilio haud obfuere. Successere his viri ingenio et doctrina præstantes, Gilbertus Wakefield, novæ editionis Georgicorum an. 1788. et Operum 1796. in Britannia curator; et Jo. Henr. Voss, auctor versionis Germanicæ, summa cum arte factæ, doctissimisque commentariis instructæ. Ceterum in edendo magnifice vel splendide poëta certarunt Angli, Galli et Batavi; unde ditiores gaudent in Londinensibus Brindleii, Parisinis Philippei s. Coustelerio—Barbouianis, Birminghamiensibus Baskervillii, Glasguensi cet. maxime vero in Londinensi ære incisa cum figg. 1750. Knaptonii et Sandbyi, et illa an. 1753. cum verss. Pitti, Wartoni etc. Ejusdem magnificentiæ est illa Henr. Justicii Hagæ Comitana 1753. In Ambrogiana 1763. seq.

Digitized by Google

gaudent Itali. Habent tandem, uti Batavi Farnabios et Minellios, ita Galli suum Invencium, Angli suum Cookium, et qui istis omnibus inferior est Stierlingium, Germani, præter Minellium quem suum fecere, Junckerum, et vernaculos interpretes commentatoresque, ac novissime Braunium, ceteros, qui elegantiæ officiunt.

1717 Masviciana. P. Virgilii Mar. Opera cum integris Commentariis Servii, Philargyrii, Pierii. Accedunt Scaligeri et Lindenbrogii Notæ ad Culicem, Cirin, Catalecta. Ad Cod. Ms. Regium Parisiensem recensuit Pancratius Masvicius. Leovardiæ, excudit Franciscus Halma. 4. 2 voll. c. figg. Præstantior editio, quamvis Petr. Burmannus I. in admonitione de hac ed. succinente fratris fil. Petr. Bermanno II. in Præf. ad Virg. 1746. graviter in ea carpat supinam negligentiam, desidiam et errores Masvicii, tum quod, licet vitiosas Danielis edd. Genevensem, (sed et editio 1636. sua bona habet) et Amstel. Commelinianum Schrevelii in Servii Commentariis edendis secutus, Thom. Munkeri emendd. sublegit, et indicem Erythræi ex Emmenessiana novis erroribus cumulatis descripsit. Conf. etiam Acta erud. Germ. Vol. V. n. 4. pag. 112. seqq. Idem æmulus hanc ed. ad Emmenessii I. Schrevelii excusam esse contendit; cum vere sit ad Heinsianam expressa, nisi aliquot in locis, quæ Heinsius non Medicei Cod. auctoritate, sed suis conjecturis ductus receperat. Variæ lectiones notabiliores post Erythræi indicem ex Cod. Parisiensi (Regio) et Markiano (Parrhasiano) subjectæ sunt. Repetita est hæc ed. Venetiis 1736. et ad eam alia minoris formæ Amstelod. an. 1730. nitidissima, et Londinenses Brindleii an. 1744. ac 1753. elegantiores, itemque illæ Paris. Steph. Andr. Philippe 1745. et 1754. exactæ sunt.

— Benedicti Averanii Dissertationes in Virgilium XLV. In ejus Operibus Florentiæ 1717. fol. Tom. I. Vulgaria intolerabili prolixitate recoquit. Subsistit ad Æn. I. 49.

1718 Ruæi XIII. Londini. 8.

— Opera, cum notis Christ. Junckeri ad modum Minellii. Lipsiæ. 12.

— Æneis, cum versione Anglica Jos. Trapp. Londini. 4. 2 voll. Conf. infra an. 1731.

1719 Minellii XIV. Amstelodami. 12.

1722 Ruæi XIV. P. Virgilii Mar. Opera. Interpretatione et notis

Digitized by Google

illustravit Car. Ruæus ad usum Delphini. Nova editio, auctior et emendatior. Parisiis. 4.

— Ruæi XV. Londini. 8.

— Opera, cum notis Germanicis. Halæ ap. Renger. 12.

— Nic. Heinsii X. Amstelodami, apud Wetstein. 12. Ex ed. Ultrajectina 1704.

1723 Ruæi XVI. Hagæ Com. 8. maj. 2 vol.

— Opera, cum notis variorum (h. e. Abrami, Farnabii, Juvencii.) Rothomagi. 8. Ex Rothom. 1711.

1724 Nic. Heinsii XI. Amstelodami, apud Henr. Sauzet. 12. Mendosa editio.

1725 P. Virgilii Opera, quæ supersunt in antiquo Codice Vaticano, ad priscam imaginum formam incisa a Petro Sancte Bartoli in Bibliotheca Camilli Card. Maximi diu servata, etc. fol. Sunt LV. tabulæ ære incisæ. Textus ipse non additus. Crevenna Vol. III. pag. 196. seq. Conf. an. 1741.

— Christophori Augusti Heumanni Notæ criticæ ad Virgilii Eclogam X. In ejusdem Pœcil. Tom. I. Lib. IV. pag. 530. 540.

1726 Ruæi XVII. Parisiis. 4.

— Commentarii in P. Virgilium Mar. nunc primum juxta ordinem verborum, post tamen uberioribus notis locupletandi. Tomus I. II. III. Scribebat D. Gaspar Pinto Correa Theologus Lusitanus, Garalaiensis Barcellorum Collegiata Canonicus Pœnitentiarius. 'Ulyssipone occidentali.' 4. In puerorum usum scripti.

1727 Ruæi XVIII. Londini. 8.

1729 P. Virgilii Mar. Opera, cum versione Gallica et notis Franc. Catrou. 'Parisiis, apud fratres Barbou.' 8. 4 voll.

— Ruæi XIX. Parisiis. 8.

— Æneis, cum versione Anglica Jos. Trapp. 8. 2 voll.

1730 Opera, ex recensione Pancr. Masvicii. Amstelodami, apud Wetstein et Smith. 12. Nitida editio. Sed Masviciana fere cum Heinsiana congruit.

— Minellii XV. Amstelodami. 12.

— Opera, cum notis Germanicis Abr. Kriegelii, scholæ Thom. Lips. Collegæ. Lipsiæ. 8. Kriegelius notis ex doctrina veterum, maxime Mythologia, poëtam illustrare voluit; sed parum hæc opera profuerit studiosis. Repetita tamen sæpius editio.

1731 Opera, cum versione Anglica et notis Jos. Trapp. Londini.

Digitized by Google

apud J. Brotherton. 12. 3 voll. Trappius judicii acumine et elegantia parum se commendat, peccatque forte copia rerum ac verbositate, si viris, non ephebis, scripsit. Sunt tamen in eo plura utiliter monita, quam in multis valde doctis notis. Æneis jam 1718. et 1729. excusa fuerat.

— Opera, cum notis Christ. Junckeri ad modum Minellii. Lipsiæ. 12.

1732 Minellii XVI. Hafniæ. 8.

1733 Minellii XVII. Londini. 8.

— Opera. In Corpore Poëtarum Latinorum Mediolanensi. 4. Tomo V. VI. VII. Vid. Verss. Italicas h. a.

— Opera, cum notis Germanicis Abr. Kriegelii. Halæ. 8.

— Bucolica in ordinem prosaicum disposita; una cum vocabulario explicativo: verborum thematis, regimine et significatione, scansionis tabula, hexametri carminis legibus, et quibusdam quæ occurrunt figg. rhet. In usum juventutis edidit Joannes Stirling. Londini. 8.

1734 Georg. Waddelii Animadversiones criticæ in loca quædam Virgilii, Horatii, Ovidii et Lucani. Edinburgi, apud Rob. Freebainium. 8.

1735 Ruæi XX. Venetiis, apud Seb. Coleti. 4. 2 voll. Ad ed. Parisiensem 1722. recusa.

— Minellii XVIII. Opera, cum annotationibus Minellii a Jos. Ant. de Sylva. 'Ulyssipone occidentali.' 8.

— Opera, cum versione Anglica et notis Jos. Trapp. Londini, apud Jo. Brotherton. 12. 3 voll. Vid. 1731.

1736 Opera, cum notis variorum, ex recensione Pancratii Masvicii. Venetiis, per Jo. Bapt. Paschalium. 4. 2 voll. Ex ed. 1717.

— Opera, cum notis Christ. Junckeri ad modum Minellii. Lipsiæ. 12.

— Opera, cum versione Gallica et notis Landelli de S. Remy. Parisiis. 8. 4 voll.

1737 Opera, cum notis Germanicis. Halæ. 8.

— Opera, cum notis Germanicis. Viennæ Austr. 8.

— Opera, cum notis Germanicis Abr. Kriegelii. Lipsiæ. 8.

— Opera, cum notis Germanicis. Norimbergæ. 8. Textum sequitur editionis Bœcleri 1698.

1738 Nic. Heinsii XII. P. Virgilii Mar. Opera, e recensione Nic. Heinsii. Patavii, excudebat Josephus Cominus. 8. Huic edi-

Digitized by Google

tioni, quæ Heinsianam 1676. collatam cum illa an. 1704. sequitur, præfuit Jo. Ant. Vulpius, qui etiam ad Fabricii notitiam liter. supplementum editionum Virgilii addidit.

1740 Minellii XIX. Hafniæ. 8.

— Ruæi XXI. Londini. 8.

1741 Antiquissimi Codicis Virgiliani fragmenta et picturæ ex bibliotheca Vaticana ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartoli incisæ. 'Romae, ex chalcographia R. C. A.' (Romanæ Cameræ apostolicæ) 'apud Pedem marmoreum.' fol. Exhibet hic liber Codicem Vaticanum antiquissimum n. 3225. cujus possessores olim Jovianus Pontanus, Petrus Bembus ac Fulvius Ursinus fuere, et in quo fragmenta Virgilii nonnulla inde a Georgic. III. servata sunt, cum picturis nitidissimis æri insculptum ad ipsam libri scripturam; et P. M. Benedicto XIV. a Jo. Dominico Compiglia, chalcographiæ C. A. præfecto, inscriptus est. Prius exemplum harum picturarum Camilli Cardinalis Maximi (de Maximis) jussu Bartolus ære expresserat, sed a quo pauca exempla ducta fuere; in quibus cum prima pagina radio exarata vacuum literis recipiendis haberet spatium, titulus cum anno ab aliis aliter est suppletus. Extat exemplum an. 1677. 4. quod ex Memorab. Biblioth. Dresd. Tom. II. pag. 317. laudat Heynius in Elencho Codd. pag. CXXX. alterum s. a. sic inscriptum: 'Iconicae figurae, quae in vetustissimo Codice Virgiliano bibliothecae Vaticanae anno supra millesimum scripto et depicto, visuntur Romae.' Vid. Ephem. Lips. liter. an. 1743. n. VII. pag. 59. Aliud annum 1725. præ se fert, quod vid. supra h. a. Ob paucitatem horum exemplarium Bottarius tandem totum librum vulgare laudabiliter instituit; quem doctissime præfantem, et P. P. Benedictinos in libro Nouveau Traité de Diplomatique Tom. III. pag. 56. seq. iisque astipulantem Heynium si audias, Codicis illius membranacei quadrato volumine, ad nostri fere quaternionis formam, majusculo et quidem capitali Romano rustico charactere, continuis vocibus sine interpunctione exarati, (sed a recentiori manu suppleti) picturis exornati, quibus ille multo etiam magis, quam scriptura, inter viros doctos celebrari cœpit, vetustas haud ultra sæculum quintum assurgit, ita ut picturæ, quæ in vestibus, armis, supellectili, sacrorum ritibus et aliis rebus, altioris antiquitatis vestigia produnt, ex vetustiore libro expressæ meliorem antiquitatis rationem referant.

Digitized by Google

Bottarius etiam XLIV. alia Mss. memorat, et præter picturas inde sumtas, etiam literarum characteres in iis adhibitos ære exprimendos curavit. In fine operis non solum notæ et emendationes in orthographicam rationem Codicis hujus Vaticani exhibentur, sed et collationes Codicis alterius Vaticani n. 3867. Bucolica, Georgica et Æneidem exhibentis, cum editione Emmenessiana 1680. ex offic. Hackiana.

— P. Virgilii Mar. Codex antiquissimus, a Rufio Turcio Aproniano v. c. distinctus et emendatus, qui nunc Florentiæ in bibliotheca Mediceo-Laurentiana adservatur, bono publico typis descriptus. Florentinæ, typis Mannianis. 4. Præstantissimi hujus monumenti editione nil est, Virgilii lectionem quod magis firmet. Est enim integer codex, nec nisi ab initio ad Eclogam sextam, 'Proetides implerunt,' truncatus. Præfationem, cui præmissa est Virgilii imago a S. Bartoli designata cum aliis ornamentis, scripsit editionis curator Petrus Franc. Foggini, primum de melioribus Virgilii curatoribus Pierio, Gabiano, Fabricio, Pulmanno, Nic. Heinsio, Emmenessio et Masvicio, tum de orthographica Codicis Medicei ratione agens. De ipso Codice pluribus agit Heynius in Elencho Cod. Virgilii pag. CXXXIII. seqq.

— P. Virgilii Mar. Opera, interpretatione ac notis illustrata opera et studio Th. Cooke. Londini, impensis Jac. Hodges. 8. Raei operam emendandam sibi sumsit editor. In magna æqualium existimatione liber habitus.

— Opera, in usum juventutis edidit Jo. Stirling. Londini. 8. 2 voll.

— P. Virgilii Mar. Georgicorum libri quatuor. The Georgics of Virgil, with an English Translation and Notes, by John Martyn, Prof. of Botany in the University of Cambridge. London, printed for the Editor by R. Reily. 4. cum XIII. figg. in æs incisis, et variis coloribus ornatis. Splendida editio, ad quam instruendam VII. Codicum varietates habuit, quas ex ea recenset Heynius in Elencho Codd. pag. CXLVII. qui sic de editore judicat: 'Sed viro doctissimo, cujus alioquí laudibus nihil detractum velim, acumen fere criticum, omninoque hoc accuratioris eruditionis genus defuit; itaque nec satis accuratam in iis libris excerpendis, neque in antiquis editionibus, quas plures, admodum raro obvias, apud se habuit, excutiendis operam locasse videtur. Ita nec minus in notis, inter plurimas egregias observationes, multa

Digitized by Google

valde vulgaria operose exponi videas. Præcipua vero dos, qua se commendat Martyni opera, est, quod rei rustieæ et botanicæ intelligentior ille fuit ceteris commentatoribus.'

1742 et 1744 Æneis, cum versione Germanica Jo. Christoph. Schwarzii. Ratisbonæ. 8. 2 voll.

1743 Opera, cum versione Gallica et notis Fr. Guyot des Fontaines. Parisiis, apud Guillot. 8. 4 voll. c. figg.

— Opera, cum versione Anglica et notis Davidsoni. Londini. 8. 2 voll.

— P. Virgilii Mar. Bucolica, Georgica et Æneis. Ex recensione Alex. Cuninghami Scoti, cujus emendationes subjiciuntur. Edinburgi, apud G. Hamilton et J. Balfour. 12. Ita de hac existimat Heynius: Ex schedis ejus et iis, quæ ad marginem ed. Elzev. 1676. alleverat, post ejus mortem vulgata. Variantes lectiones ab aliis e Codd. notatas, et edd. vett. 1470. 1472. 1474. et 1476. excusserat, e quibus pauca excerpta hic subjecta sunt, una cum ejus conjecturis, quæ importune satis in contextum sæpe receptæ sunt.

— Opera, ad fidem optimorum librorum accurate recensita. Gottingæ, ex offic. Acad. van den Hoek. 12.

1744 Heinsio-Burmanniana II. minor, sine notis, proludens majori: P. Virgilius Maro, ex editione Nic. Heinsii et Petri Burmanni. Amstelodami, apud Jac. Wetstenium. 12. Præfatus est Petr. Burmannus II. primi ex fratre nepos. Omissa Heinsii præfatione, sequuntur Donatus de Virgilii vita, et Testimonia de Virgilio, ut in Heinsianis.

— P. Virgilii Mar. Opera. Londini, typis J. Brindley. 12. Ad Masvicii editionem castigata. Recusa an. 1753.

1745 Opera. Curis et studio Steph. Andreæ Philippe. Lutetiæ Parisiorum, sumtibus Anton. Urb. Coustelier. 12. 3 voll. c. figg. Editor in præfatione, Lutetiæ Par. XVII. Kal. Dec. 1744. pag. 6. seq. profitetur quidem, se in edendis Virgilii carminibus præcipuum ducem secutum esse Codicem Mediceum, qualis Florentiæ an. 1741. cura Fogginii descriptus est; sed ipse mox addit, sibi religionem fuisse, ne latum quidem unguem a probatissimis receptisque opinionibus recedere. Neque is sane recessit ab Emmenessi textu, vel Masvicii recensione, adeo ut et varias lectiones notabiliores, singulis Tomis in calce additas, plerasque ex Masviciana editione sumserit.

Digitized by Google

— Ruæi XXII. Neapoli. 4 maj. 2 voll.
— Farnabii XII. Patavii. 12.
— P. Virgilii Mar. Opera, cura Jo. Hawkey. Dublini, e typographia Academiæ. 8. sine notis.
1746 Martyniana Georgicorum editio II. priori 1741. prorsus similis. 'London, printed by R. Reily for T. Osborne.' 8.
— Ruæi XXIII. Londini. 8.
— Heinsio-Burmanniana major, eaque princeps: P. Virgilii Mar. Opera, cum integris et emendatioribus Commentariis Servii, Philargyrii, Pierii. Accedunt Fulvii Ursini, Georgii Fabricii, Francisci Nansii, Jo. Musonii, Tanaquilli Fabri, et aliorum, ac præcipue Nicolai Heinsii notæ nunc primum editæ: quibus et suas in omne opus animadversiones, et variantes in Servium lectiones addidit Petrus Burmannus. Post cujus obitum interruptam editionis curam suscepit et adornavit Petr. Burmannus junior, cum Indicibus absolutissimis et figuris elegantissimis. Amstelædami, sumtibus Jac. Wetstenii. 4. 4 voll. Nic. Heinsii in Maronem observationes, quas ipse an. 1676. quodammodo in scriniis paratas dixerat, opportuno tempore luce publica donandas, post mortem illius an. 1681. pæne cum ipso intercideranf, nisi eas tandem an. 1730. adeptus Petr. Burmannus hac editione in lucem revocasset. Continet inde editio hæc probationes textus Heinsio-Burmanniani ante biennium editi. Sed et Servii Commentarii a plurimis mendis purgati, et quoad fieri potuit integritati suæ restituti sunt. De horum et ceterorum Scholiastarum edd. ac subsidiis, quibus Heinsius et Burmannus usi sunt ad textum poëtæ constituendum Serviumque emendandum, deque aliis rebus criticis, copiose præfatur Burmannus II. Quod ad interpretationem poëtæ attinet, non multum ab Heinsio et Burmanno, præter id quod in Servii Commentt. rectius edendis præstitere, semper auxilii expectet quisquam; cum optimus Virgilii Commentator Chr. Gottl. Heyne plus se ex Cerdæ, Germ. Valentis Guellii, Fulvii Ursini et Jo. Martyni comm. profecisse non inficietur in sua ad Virgilium præf. p. VIII. ed. I. Neque igitur horum virorum editiones Burmanniana non desiderabiles facit.
— Opera. Halæ. 12.
— Virgilius restauratus: sive Martini Scribleri, summi Critici, Castigationum in Æneidem Specimen. Londini. 8.

Digitized by Google

1747 Virgilius collatione Scriptorum Græcorum illustratus, opera et industria Fulvii Ursini. Access. Ludov. Casp. Valckenari Epistola ad Matth. Rœverum, Iliadis Homeri liber XXII. cum Scholiis Porphyrii et aliorum nunc primum editis, et Dissertatio de Codice Leidensi, et de Scholiis in Homerum ineditis. Leovardiæ, ex offic. Gul. Coulon. 8. Poterat fructuosior esse hæc opera, si ad ipsum Ursinum emendandum vel ornandum aliquid conferre maluisset vir doctissimus. Conf. an. 1568.

1748 Ruæi XXIV. Ingolstadii. 8.

— Opera, cum notis brevioribus. Ad usum scholarum. Parisiis, apud Desaint et Saillant. 12 maj.

— Opera. Halæ, ap. Renger. 8.

1749 Bucolicorum Eclogæ decem. The Bucoliks of Virgil, with an English Translation and Notes by John Martyn. London, printed by R. Reily for Th. Osborne. 4 maj. Expectabatur ab eodem viro docto Æneis. Neque tamen lucem vidit præterquam: 'Dissertations and critical Remarks upon the Æneid of Virgil by the late John Martyn.' London. 1770. 8.

— Eadem, ibid. 8 maj.

— Opera, cum notis Germanicis. Norimbergæ. 8.

— Æneis, cum versione Germanica Henrici Herm. Flügge. Goettingæ. 8.

— Virgilius in locos communes digestus a quodam S. I. Coloniæ Agripp. 8.

1750 Bucolica, Georgica, et Æneis, illustrata, ornata, et accuratissime impressa. 'Londini, impensis I. et P. Knapton et Gul. Sandby.' 8 maj. 2 voll. cum 58. figuris ex antiquis monumentis expressis. Est quidem sine notis; sed illustrata figuris, imagines Deorum, Heroum, magnorum virorum, vestium, armorum, rituum, aliaque in Virgilio obvia repræsentantibus ex nummis, gemmis, picturis, etc. antiquis sumtis; cum peculiari significatione, unde sumtæ sint, e quibus exemplaribus expressæ, et ad quæ loca Virgilii referantur. Textus interdum a vulgato ad Cod. Med. et Vat. rediit in locis, quorum index in fine exhibetur. Præmissa etiam Vita per Car. Ruæum.

— Eadem, ibid. 12.

— Bucolicorum editio Martyniana III. Londini, apud Th. Osborne. 8 maj.

Digitized by Google

— Eclogæ, cum versione poëtica Germanica Jo Dan. Overbeck. Helmstadii. 8 maj.

1751 Opera, cum notis Juvencii. Rothomagi. 8.

1753 Opera, ad P. Masvicii editionem castigata. Accessit rerum et verborum in Virgilio observandorum Index accuratissimus. Londini, apud Jo. Brindley. 12. 2 voll.

— Ruæi xxv. Londini. 8.

— The Works of Virgil. In Latin and English. The original Text correctly printed from the most authentic Editions, collated for this Purpose. The Æneid translated by Mr. Christopher Pitt, the Eclogues and Georgics, with Notes on the whole, by Mr. Joseph Warton. With several new Observations by Mr. Holdsworth, Mr. Spence, and others. Also, A Dissertation on the sixth Book of the Æneid, by Mr. Warburton. On the Shield of Æneas, by Mr. W. Whitehead. On the Character of Iapis, by the late Dr. Atterbury; Bishop of Rochester. And, Three Essays on Pastoral, Didactic, and Epic Poetry, by the Editor. (Joseph Warton.) London, printed for R. Dodsley. 8. 4 voll. c. figg. Elegantium hominum conatus. Pitti versio excellit: excellentior est Wartoni. Holdsworthi et Wartoni notæ a doctrina laudantur: sed textum inscitia operarum misere corruptum conqueritur Harwood pag. 188. Recusa est editio an. 1778. 8. 4 voll. Ab Holdswortho alia plura in Maronem ab amicis expectabantur. Eo autem morte erepto prodiere: 'Remarks and Dissertations on Virgil, with some other classical Observations. By the late Mr. Holdsworth. Published with several Notes and additional Remarks by Mr. Spence.' London. 4. 1768. Etsi panca sunt doctrinæ alicujus exquisitæ; inest tamen orationis color aliquis urbani et liberalis ingenii.

— Opera, ex antiquis monumentis illustrata, cura, studio et sumtibus Henrici Justice. Hagæ Com. 8. 1753-1764. 4 voll. quibus, pro quinto volumine, Monumentorum docta explanatio Christoph. Saxii accessit. Potest sane voluptas honesta quæri e splendore et ex figuris scita ac molli manu factis.

— Opera. Argumentis et Chrestomathia illustravit Jo. Petr. Miller. Berolini, apud Ambr. Haude et I. C. Spener. 8.

1754 Opera, curis et studio Stephani Andreæ Philippe. Lutetiæ

Digitized by Google

Parisiorum, typis Jos. Barbou. 8 min. 3 voll. c. figg. Recusa ex ed. 1745. Philippei apud Coustelier.

1755 Bucolica, Georgica, et Æneis, ad optimorum exemplarium fidem recensita. 'Edinburgi, apud G. Hamilton et I. Balfour.' 8. 2 voll. Nitida editio.

— Georgicorum editio Martyniana III. Londini. 8.

— Minellii XX. Lipsiæ. 12.

1756 Opera, cum notis Germanicis Abr. Kriegelii. Francofurti. 8.

1757 Eadem. Francofurti ad Viadrum. 8.

— Bucolica, Georgica, et Æneis. Birminghamiæ. Typis Jo. Baskerville. 4 maj. Splendidissimum opus et characterum nitore commendatissimum in charta lævigata. Fuit ea inter exempla prima luxus hujus literarii, quo ab animo et ingenio voluptas ad oculos traducta est. Aliam in 8. vide 1766.

1758 Bucolica, Georgica, et Æneis, ex editione Petri Burmanni. 'Glasguae, in aedibus academicis excudebant Robertus et Andreas Foulis.' 12. Specimen artis in academia Glasguensi typographicæ, annuo apud Scotos præmio condonatæ.

1759 Minellii XXI. Lipsiæ, apud Car. Lud. Jacobi. 8.

— Opera, notis ad modum Minellii illustravit I. P. Petreius. Flensburgi. 8.

— Bucolicorum libri IV. cum notis criticis et explanatt. œconom. Jo. Martyni, Germanice versi (a Jo. Jac. Dusch.) Hamburgi et Lipsiæ. 8 maj. Vid. infra Versiones Germ. Duschius ita repetiit Martyni editionem, ut textum Latinum, ab eo constitutum, et ex Heinsiana recensione maxime ductum, retineret, Martyni notas verteret Germanice, et suam ipsius versionem calci adjiceret, doctisque illustraret animadversionibus, et criticis et exegeticis, in quibus sæpe discessit a lectione et interpretatione Martyni: nec longa doctaque præfatio est omittenda.

— Diræ, Copa et Catalecta. In Petr. Burmanni sec. Anthologia veterum Epigrammatum et Poëmatum Tom. II. Amstelodami. 4.

1760 Ruæi XXVI. Ingolstadii. 8. 3 voll.

— Opera, cum notis Germanicis. Norimbergæ. 8.

1762 Opera, cum notis Germ. Abr. Kriegelii. Beroliui. 8.

1763 Bucolica, Georgica, et Æneis, ex Cod. Mediceo-Laurentiano descripta, ab Ant. Ambrogi Florentino S. I. Italico versu reddita, annotationibus atque variis lectionibus, et antiquissimi Cod. Vaticani figuris pluribusque aliis veterum monumentis ære inci-

Digitized by Google

sis, et Cl. Virorum dissertationibus illustrata. Romæ. 'Excudebat Io. Zempel, sumtibus Venantii Monaldini.' fol. max. 3 voll. quorum secundum 1764. tertium 1765. lucem vidit. Ambrogius Virgilii poëmata Italicis versibus expressa jam 1758-1762. Romæ 4 voll. vulgaverat, et hic forte subsistere debuerat: rei enim criticæ parum peritus, magnis sumtibus valde inutilem splendidæ editionis molem emisit.

— Bucolicorum Eclogæ decem: or, P. Virgilius Maro's ten Eclogues of Bucolicks, made exceedingly easy, and rendered familiar, by a private Tutor. The Words being reduced to their natural Order of Construction, and a very close and literal Translation. With Accents to regulate the Pronunciation in both Languages; together with a geographical, poetical, and historical Index; the Arguments of the several Pastorals; and marginal Letters referring to a scanning Table for measuring the Verse of every Line. For the Use of Schools and private Gentlemen. By a young Adventurer in the classical Way, upon the Plan of Dr. Stirling and others. London. Davis. 8.

1764 Opera, c. vers. Italica G. Pizioli. Liburni. 8. 2 voll.

1765 Ruæi XXVII. Londini. 8.

1766 Bucolica, Georgica, et Æneis. Birminghamiæ, typis Jo. Baskerville. 8. Repetitio ed. 1757.

— Opera, cum notis Germ. Abr. Kriegelii. Berolini. 8.

1767 Opera. Parisiis, typis Barbou. 12. 2 voll. c. figg.

— Heyniana I. major: P. Virgilii Mar. Opera, varietate lectionis et perpetua annotatione illustrata a Chr. Gottl. Heyne. Accedit index uberrimus. Lipsiæ, sumtibus Caspari Fritschii. 1767-1775. 8 maj. 4 voll. Poëta quidem, ut ait ill. editor, ipse ex Burmanni recensione, quæ Heinsianam sequitur (1744) unice expressus est. Textui proxime subjiciuntur Varr. lectt. ex Burmanniana ed. majore, præter paucissimas inutiles, excerptæ inque melius digestæ, adjecto etiam judicio; itemque ex Pierianis notationibus, ex recensione Eclogarum et Georgicorum Martyniana, ex Cod. Mediceo cura Fogginii expresso, fragmentis Vaticani a Bartolo excusis et Cod. Rom. variis lectt. tum e tribus Codd. ab ill. viro Jul. Car. Schlægero missis, tandem Reiskii ad Georg. conjecturis; etc. Ab hisce prudentius separavit annotationem perpetuam, qua consultis Servii, cett. veterum Commentariis, et ex recentioribus Cerdæ, Valentis Guellii, Ursini, Mar-

Digitized by Google

tyni, Trappii, Wartoni, cet. sua doctrina pulchrique sapientia maxime adjutus enucleavit doctrinam Virgilii, et orationis poëticæ indolem et causas. Quæ præterea ad illustrandum poëtam majus poscebant commentandi genus, ea rejecit in proœmia, vel excursus. Itaque Tomus I. post præf. Elenchum Codd. in Varietate laudatorum, et editionum annales, qui earum natales et familias, quantum licebat, exponerent, vitam Virgilii, quæ Tib. Cl. Donato ascribitur, notis illustratam, tum aliam ejusdem vitam per annos digestam proprio studio, quam excipiunt Testimonia de Virg. Argg. in Æn. et Epitaphia, præmissam Eclogis habet elegantissimam Disq. de Carmine bucolico, uti Georgica proœmium; Æneis præambulas habet, Disq. 1. de carmine epico Virg. 2. de rerum in Æn. tractatarum inventione; et singulis Æn. libris in fine adjecti sunt Excursus. Tom. IV. præter præf. et proœmia in Cul. Cirin cum excurs. Catal. et Mor. tum addenda et corrigenda ad priores Tomos, maxime I. ac præmissam ei notitiam Codd. et Edd. tum ad Comm. in Buc. et Georg. Claudit opus index uberrimus, Maittairiano substrato, ad exemplum indicum Burmannianis Poëtarum editionibus subjectorum adornatus ab Heynianæ disciplinæ alumno eruditiori E. G. Glandorfio. Nihil igitur in ed. hac desideres, quod ad instaurandam ex summi poëtæ studio antiquitatis et Latii sapientiam, melioresque juvenum et magistrorum artes augendas valeat.

1770 Opera. Halæ. 12.

— Opera, Latine et Anglice, cum annott. Londini. 8. 2 voll. Vide Versiones Anglicas h. a.

— Æneis, cum versione Germanica Henr. Herm. Flüggii. Goettingæ. 8.

— Critical Observations on the Design of the sixth Book of the Æneid. (by Edward Gibbon.) London. 8. Recusa ibid. an. 1794. 8. et in Opp. Gibboni 1796. 4. Tom. II.

— Dissertations and critical Remarks upon the Æneids of Virgil, containing, among other interesting Particulars, a full Vindication of the Poet from the Charge of an Anachronism with Regard to the Foundation of Carthage. By the late John Martyn, Editor of Virgil's Georgics and Bucolics. London. 12. Sunt ea viri docti adversaria parum digesta et tumultuaria, existimante Heynio.

Digitized by Google

1771 Opera, in usum juventutis edidit Jo. Stirling. Londini. 8. 2 voll. Repetitio ed. an. 1741.

— Geographie de Virgile, ou notices des lieux dont il est parlé dans les Ouvrages de ce Poëte, accompagnée d'une Carte geographique, par Mr. Helliez. Paris. 12. Auctor ordine alphabetico locorum situm descripsit, eorumque memorabilia, et quæ ad historiam naturæ, mores, incolarumque negotia pertinerent, et quomodo illorum nomina nunc audiant, breviter neque absurde enarravit.

1773 Walchii, Prof. et Rect. Gymn. Schleusingani, de eo quod nimium est in imitatione Homeri Virgiliana meletema criticum. Schleusingæ. 4.

1774 P. Virgilii Mar. Bucolica et Georgica, tabulis æneis olim a Jo. Pine, sculptore regio defuncto, illustrata. Opus paternum in lucem profert Robertus Edge Pine. Londini. 8 maj. 1 vol. Sane multa ex antiquitate ingeniose ad Virgilium accommodata; pleraque longius petita, communia omnibus poëtarum locis eandem rem verbo attingentibus, et vulgaria. Ad poëtam usus inde promitti potest aut nullus aut exiguus. Ad delectationem tamen facere possunt figuræ plurimum; modo delineatoris peritioris opera et cæli usus subactior accessisset.

— Opera, in duas partes distributa, ex recensione et cum animadversionibus Burmanni. Lipsiæ, apud Georgi. 8 maj. 2 voll. Editio nullo facta consilio et plane inutilis, quam curavit Jo. Georg. Frid. Franz. A. L. M. Vol. I. præmissam habet P. Burmanni præf. de ed. Masvic. Notæ Burmanni, quibus ejus nomen non ascriptum fuit, imprudenter omissæ sunt ad Æn. Lib. VII. usque, et ubi Burmanni notæ absque superiorum editorum animadversionibus parum intelligantur, aliorum interpretum observationes contractas dedit Franzius; neque id tamen diligenter et ubique factum. Mendis quoque scatent omnia, præsertim in notis, maxime in Græcis. Franzius etiam indicem Erythræi breviorem, sed brevem nimis adjecit.

1776 Ruæi XXVIII. Londini. 8.

— Jo. Schraderi Liber emendationum. Leovardiæ. 4. Etiam in Culice et Ciri corrigendis multus est.

1777 Ruæi XXIX. Londini. 8.

— Opera. Londini. 12. Repetitio ed. Maittairianæ an. 1715.

Digitized by Google

— Bucolica, Georgica et Æneis, ad optimas editiones accurate expressa. 'Edinburgi: excudebant Bell et Murray; veneunt autem apud G. Gordon et C. Elliot.' 12. Ad ed. Cuninghami 1743. et Burmannianam an. 1746. exacta.

— Gottfr. Chr. Haberland Specimen animadversionum in Bucolica, adjunctum scripto: 'De consilio Horatii Od. lib. III. 3.' etc. Jenæ.

1778 Bucolica, Georgica et Æneis. Ex editione Petri Burmanni. 'Glasguae, in aedibus academicis excudebat Andreas Foulis.' fol. 2 voll.

— Opera, cum versione Anglica. Londini. 8. 4 voll. Repetitio ed. 1753. ubi vid. In titulo hæc dicitur accuratior priori.

— Opera, ex rec. Petr. Burmanni. Accedit Maphei Vegii Laudensis Supplementum XII. librorum Æneidis. Herbipoli, ap. Stahel. 8. sine notis.

— Opera, ex rec. Chr. Gottl. Heynii. Norimbergæ, ap. Riegelium. 8 min.

— Opera. Mannhemii, cura et sumtibus Societatis litteratæ. 8 min. 2 voll. Vol. I. post præf. ad bibliopolarum modum scriptam et vitam Virgilii Donato ascriptam, etiam illam sui juris fecit, quam ill. Heynius per annos digestam scripsit, continetque dein Buc. Georg. et ex Opusculis Culicem, Cirin, tandem Catalecta et Moretum. In fine sunt variæ lectiones notabiliores (ex Heyniana varietate nullo certo delectu excerptæ.) Vol. II. Æneida cum varr. lectt. et indiculo edd. breviori ac mendoso.

— Opera, cum notis Germ. Abr. Kriegelii. Francofurti ac Lipsiæ 8.

1779 Opera. Parmæ, e regio typographeo. 8.

— Heyniana minor I. Opera, in tironum gratiam perpetua annotatione novis curis illustrata a Christ. Gottl. Heyne. Lipsiæ, sumt. Casp. Fritschii. 8 min. 2 voll. quorum posterius prodiit 1780. Textus, ut in majori, est Heinsii Burmannianus, rectiori interpunctione sæpe distinctus. Omissis vero notis criticis et excursibus s. disquisitionibus annotationem tantum habet, quæ ad intelligentiam carminis pertinet, maxime in Buc. Georg. felicius mutatam, correctam auctamque.

— Opera, breviariis et notis Hispanicis illustrata ad usum puerorum. Madriti. 8.

— Opera. Perpetuam annotationem adjecit Henricus Braun. Mo-

Digitized by Google

nachii. 8. 2 voll. Editor est idem, qui et Cæsarem, Ciceronis Oratt. sel. Corn. Nep. Curtium, Eutropium, Melam, Phædrum, Sallustium, Tacitum in gratiam scholarum Boicarum, uti jam an. 1761. Aug. Vindel. Ovidii Tristia cum notis publicavit.

— Theocrito, Mosco, Bione, Simmia, etc. greco-latini—con la Bucolica di Virgilio latino-greca (Danielis Alsworth jam Romæ 1594. edita) vogarizzati et forniti d'Annotazioni da Eritisco Pilenejo, P. A. (s. Giuseppe Maria Pagnini ex ord. Carmel.) Parmæ, ex typogr. reg. 4. 2 voll. Textus est Heinsii. Ceterum versionis Ital. auctor idemque notarum scriptor nil dignum tulit tanto promissor hiatu, ab elegantia et critica arte alienus. Conf. Comm. rer. novar. Goettingenses Germ. scriptos de rebus erud. s. Anzeigen 1781. Vol. II. p. 654-656.

— Rutgers. Ouwens Noctes Haganæ. Franequeræ. 4 maj. Libr. III. c. 19-29. de multis locis Virgilii disputat.

1780 Opera, perpetua annotatione illustrata in usum scholarum Daniæ et Norwegiæ. Edidit M. Jac. Baden, in Univers. Havn. Prof. Eloq. P. O. Havniæ. 8 maj. 2 voll. Annotatio est, observante Harlesio, Heyniana, omissis excursibus et lectionis varietate, ut ipse Badenius in præf. profitetur: interdum contracta, interdum dilatata nil fere novi habet, nisi quod aliquoties in Georg. nomina herbarum attulit Danica: in textu autem aliquot lectiones admisit, quas Heynius in notis suis probaverat. Hac igitur editione sine ullo dispendio careat, quicunque Heyniana utitur.

— Moretum et Copa. Inter Poëtas Latinos minores a Jo. Christ. Wernsdorfio editos Altenburgi. 8. Tom. II. pag. 264. seqq.

1781 Ruæi xxx. Londini. 8.

1782 P. Virgilii Mar. Opera, ex fide Nic. Heinsii, ope triginta Mss. restituta, cum notis integris Car. Ruæi S. I. ad tertiam editionem Parisinam exactis in usum vicinarum scholarum. 'Coloniae Munatianae (Basileæ) sumptibus Emanuelis Thurneisen.' 12 maj. 3 voll. Præfationem scripsit I. A. W. curator, qui exposito editionis consilio ipse suam operam in ea collocatam describit: 'Et textum quidem ad optimam editionem exegi: Praeambula non necessaria, quae molem augerent, resecui, delevi interpretationem (Ruæi,) Notas omnes retinui, Vitam contraxi, sed et alia praestiti fide magna, molestia nihilo minore.'

— Bucolica. Berolini, ap. Lange. 8.

1783 P. Virgilii Mar. Opera. Accedit Manilii Astronomicon, cum

Digitized by Google

cum notitia literaria. Studiis Societatis Bipontinæ. 'Biponti, ex typogr. Societatis.' 8 maj. 2 voll.

1784 Bucolica, Georgica et Æneis. (Kehlæ, typis Baskervillianis.) 'Apud Societatem literariam typographicam.' 8 maj.

— Opera omnia, ex editione Petri Burmanni. Glasguæ, excudebat Andr. Foulis. 12.

— Georgicon liber primus et secundus, cum versione Anglica, interprete Capel Lofft. Londini. 8 min.

1785 Bucolica, Georgica et Æneis. Ad optimorum exemplarium fidem recensuit Rich. Franc. Phil. Brunck. 'Argentorati, sumtibus bibliopolii Academici.' 4. s. 8 maj. Nitore typographico et cura in vera lectione reddenda commendanda editio.

— Ecloga I. cum Engelii observationibus critico-æstheticis. In 'Magazin der Phil. und. schœnen Litteratur.' Fasc. III. n. 1. Moguntiæ. 8.

1786 Opera. Norimbergæ; ap. Riegel. 8 min.

— Eclogæ X. 'Aros.' 8.

— Georgicorum libri IV. cum versione Græca Eugenii de Bulgaris. Petropoli. fol. Titulum vide inter Versiones Græcas.

1787 Rusæi XXXI. Londini. 8.

— Opera, cum versione Gallica P. Baretti. 12. 2 voll.

1788 Heyniana major II. Opera, varietate lectionis et perpetua annotatione illustrata a Chr. Gottl. Heyne. Editio altera, emendatior et auctior. Lipsiæ, sumtibus Casp. Fritschii. 8 maj. 4 voll. Quibusdam exemplaribus splendidior forma externa, figuris ornata, est addita.

— Georgicon libri IV. Illustrabat, explicabat et emendabat Gilbertus Wakefield, A. B. et Coll. Jesu apud Cantabr. nuper socius. 'Cantabrigiae, typis academicis excudebat I. Archdeacon.' 8. Conf. an. 1796.

1789 Heyniana minor II. Opera, in tironum gratiam perpetua annotatione novis curis illustrata a Christ. Gottl. Heyne. Editio secunda emendatior et locupletior. Lipsiæ, sumt. Casp. Fritschii. 8 min. 2 voll.

— Bucolica, Georgica et Æneis. 'Argentorati, typis et sumtu Phil. Iac. Dannbach.' 4 maj. Repetitio editionis Brunckianæ an. 1785.

— Opera. 'Holmiae, apud Nordstroem.' 8. 3 voll. quorum pri-

Digitized by Google

mum lucem vidit h. a. Secundum prodiit an. 1790. Tertium an. 1791.

— Georgicon libri IV. cum versione Germanica et annotationibus Jo. Henr. Voss. Eutini et Hamburgi, ap. Bohn. 8 maj.

1790 Opera. 'Halae, sumptibus Orphanotrophei.' 12.

— Opera, pristino nitori restituta, cum notis et variis lectionibus ex codicibus et optimis exemplaribus. Parisiis, apud Barbou. 12. 2 voll.

— P. Virgilii Mar. Bucolica et Georgica. Des P. Virgilius Maro Hirtenlieder und Wirthschaftsgedichte, erklärt von I. G. Brieger. Grottkau. 8 maj.

1791 Æneidos P. V. M. Libri XII. Græco carmine heroico expressi, etc. ab Eugenio de Bulgaris, Petroburgi. fol. Vid. Verss. Græcas h. a.

1793 Opera. 'Parmae, in aedibus Palatinis, typis Bodonianis.' fol. impar. curante Equite d'Azara. 2 voll. Splendidissimum typographicæ artis monumentum. Ante oculos habita in poëta recensendo editio Heyniana.

— Opera, varietate lectionis et perpetua annotatione illustrata a Chr. Gottl. Heyne. Editio tertia, auctior et emendatior. 'Londini, typis Rickaby, impensis T. Payne,' etc. 4. 8 voll. Repetitio ed. Heynianæ secundæ.

— P. Virgilius Maro in usum scholarum, ad Londinensem Heynii editionem exactus, excisis Disquisitt. Excurss. et Notarum iis, quæ ad juniorum commoditatem minus pertinere videbantur. Londini, ap. Payne. 8. Repetita an. 1809.

— Æneis, cum notis Germ. Georg. Henr. Noëhden. In Encyclopædia Latinorum poëtarum, Brunsvici edita, Part. IV. an. 1793. seq. 8. 3 voll. Et contextus et notarum fundus est editio Heyniana.

1794 Georgica, cum versione Gallica Jac. Delille. Parisiis. 8 maj.

1795 Opera, locis parallelis ex antiquis scriptoribus et annotationum delectu illustrata in usum juventutis. Accedunt Tabulæ geographicæ, et Index Maittairianus. Oxonii, e typographeo Clarendoniano. 8. 2 voll. Textus est is, quem constituit Heyne; ex cujus quoque editione notæ sunt excerptæ.

1796 Opera: emendabat et notulis illustrabat Gilbertus Wakefield. Londini, impensis Kearsley. 8. 2 voll. Nova est quodammodo

Digitized by Google

textus recensio. Quædam sunt ingeniose et feliciter restituta; multa vero temere infeliciterque tentata. Præcesserat 1788. editio Georgicorum simili modo adornata.

1797 P. Virgilius Maro. Imprimé au Louvre par P. Didot l'ainé, au nombre de 250. exemplaires seulement, ornées de XXIII. estampes d'après les desseins de Gerard et Girodet, peintres. (Parisiis.) fol. maj. Venustissima editio.

— P. Virgilius Maro. Bucolica, Georgica et Æneis. Editio stereotypa. Parisiis, apud Didot. 12.

— Opera, cum versione Gallica, notisque et dissertatione præliminari Blondii. Parisiis. 12. 3 voll.

— Bucolicon Eclogæ decem. Georgicon libri quatuor. Cum versione Germanica et annotationibus Jo. Henr. Vossii. Altenæ, apud Jo. Frid. Hammerich. 8 maj. 4 voll. quorum duo posteriora lucem videre an. 1800.

1798 Opera. Locis parallelis illustravit Jo. Georg. Madlinger, civis Alsatensis. Berolini, sumt. Himburgi. 8 maj. Haud magni pretii editio. Loca parallela sub textu tantum citantur; notæ autem tam criticæ, quam exegeticæ desunt.

1799 Opera. Parisiis, ap. Didot natu majorem. An. VIII. 12.

— Georgica, cum versione Gallica et notis Pampignani. Parisiis. 12.

1800 Heyniana major III. P. Virgilius Maro, varietate lectionis et perpetua annotatione illustratus a Chr. Gottl. Heyne. Editio tertia, novis curis emendata et aucta. Lipsiæ, sumtibus Caspari Fritsch. 8 maj. 6 voll. cum 203. figg. æn.

— Heyniana minor III. P. Virgilii Mar. Opera, in tironum gratiam perpetua annotatione novis curis illustrata a Chr. Gottl. Heyne. Lipsiæ, sumtibus Caspari Fritsch. 8 min. 2 voll.

— Opera, ornata figuris, a Bartolozzio ære incisis. Londini, ap. Dulau. 8. 2 voll. Nitidissima editio.

— Eclogæ, cum versione Galliea P. F. Tissot. Parisiis. 8.

— Eclogæ, cum versione Germ. Jo. Henr. Voss. Confluentiæ. ap. Lassaulx. 4.

— Georgica, cum versione Italica Clem. Blondi. Viennæ. 4.

— Æneidos libri XII. mit einem deutschen Commentar für die studirende Jugend, von Beniam. Friedr. Schmieder. Berlin, in der kœn. Preuss. acad. Kunst und Buchhandlung. 8. 2 voll.

1801 Opera. Lugduni. 18.

Digitized by Google

1802 Bucolica, Georgica et Æneis. Editio stereotypa. Parisiis. 12.
1803 Heyniana major III. recusa Lipsiæ sumtibus Caspari Fritsch. 8. 4 voll. sine figg.
1804 Æneis, cum versione Gallica et notis Jac. Delille. Parisiis. 8 maj. 4 voll. c. figg.
1806 Opera, cum notis Abrami et variorum, et appendice Juvencii. Parisiis. 12.
— Opera, sine notis. Parisiis. 18.
— Virgilius, avec des notes à l'usage des lycées et écoles secondaires; stéréotype d'Herhan. Parisiis. 12.
— Bucolica, cum versione Gallica et notis. Parisiis. 8 maj. c. figg.
— Georgica, inde ab Augusti tempore contra naturam interpolata, ducentis, quibus adhuc laborant, locis ex monachii Traghemensis exemplari sanitati restituere tentat editio hæc problemat. libri primi specimen a Jo. Andr. Duncker. Heidelbergæ, ap. Mohr et Zimmer. 8.
1807 Ruæi XXXII. Parisiis. 12. 3 voll.

VERSIONES.

LUSITANICÆ.

1624 As Eclogas e Georgicas de Vergilio, traduzidas em verso solto Portuguez, com a explicaçaon de todos os lugares oscuros, historias, fabulas que o Poëta tocu: por Leonel da Costa, Lusitano. Em Lisboa. Ger. da Vinha. fol.
1761 Eneida Portugueza, por Franco Barreto. Lisboa. 12.

Digitized by Google

HISPANICÆ.

1516 P. Virgilii Mar. Bucolica, interprete Io. del Enzina. Vid. Canconiero de totas las Obras de Juan del Enzina, con otras cosas nuevamente annaditas. En Zaragoza. fol.

1557 Los doze libros de la Eneida de Virgilio en octava rima. Anvers. 8.

1563 Eadem, en Alcala. 8.

1574 La Eneida de Virgilio por Greg. Fernandez de Velasco. En Toledo. 4.

— Las Eclogas de Virgilio, traduzidas en prosa Castellana por J. Fern. Idiaquesio. En Barcellona. 8.

1577 La Eneida de Virgilio, traduzida en octava rima y verso Castellano, por el Lic. Greg. Fernandez de Velasco, Clerigo. En Toledo. Diego de Ayala. 8.

1585 La Eneida, traduzida por Greg. Fern. de Velasco. En Alcala. 8.

1586 Las Georgicas de Virgilio, nuevamente traduzidas en nuestra lengua Castellana en verso suelto, iuntamente con la decima Ecloga, con muchas notaciones, que sirven en lugar de Comento, por Juan de Guzman. En Salamanca. Juan Fernandez. 12.

— La Eneida de Virgilio, traduzida por Greg. Fern. de Velasco. En Caragoça, Lorenço y Diego de Robles, Hermanos. 8.

1601 Las Obras de P. Virgilio Maron, traduzidas en prosa Castellana por Diego Lopez, con Comento y Anotaciones donde se declaran las historias y fabulas y el sentido de los versos dificultosos que tiene el Poëta. En Valladolid. 4.

1614 Eadem versio. En Madrid. Juan de la Cuesta. 4.

1615 La Eneida de Virgilio, traduzida por Christoval de Mesa. En Madrid. 8.

1618 Las Eclogas y Georgicas de Virgilio, traduzidas por Christoval de Mesa, annadense sus Rimas, y el Pompeio Tragedia. En Madrid. 8.

1620 Las Obras de P. Virgilio Maron, traduzidas en prosa Catellana por Diego Lopez. Con Comento y Anotaciones etc. En Lisboa, por Antonio Alvarez. 4.

1627 Eadem, ibid. 4.

Digitized by Google

1631 Bucolica et Georg. lib. I. interprete P. Luis de Leon. In ejusdem Opp. Madriti.

1641 Las Obras de Virgilio por Domingo de Palacio Villegas. En Madrid. 4.

1650 Las Obras de Virgilio por Diego Lopez. En Lisboa. 4.

1660 Obras de P. Virgilio, concordado en Latin artificial, en Latin natural, en lengua Castellana, de prosa y verso, y en notas Latinas: por el Lic. Abdias Joseph, natural de Cedillo. En Madrid. Domingo Garcia Morràs. 8.

1698 Las Obras de Virgilio por Diego Lopez. Valentia. 4.

— Traduccion poëtica Castellana de los XII. libros de la Eneida de Virgilio, principe de los poëtas Latinos, por D. Juan Franc. de Encisso Monçon. Cadiz. 4.

1779 Todas las Obras de P. Virgilio Maron, illustr. con interpret. y notas en lengua Castellana de L. de Leon, Greg. Hernandez de Velasco, Fr. Sanchez de la Brozas y J. de Guzman, y declaracion de los nombres propios y lugares difficultosos esparcidos por todas las obras; la Vida de Virgilio y noticia de las Traducciones Castellanas de sus obras, por Greg. Mayans y Siscar. Madrid. Barco. 8. 5 voll.

GALLICÆ.

1483 Boece de Consolation en françois translaté par Jehan de Meun à la requete de Philip IV. Roy de France; et livre des Eneides compilé par Virgile translaté de Latin en François. A Lyon par Guillaume le Roy; le dernier de Septembre; l'an mille quatre cens LXXXIII. fol.

1509 Les Enéides de Virgile, translatées de latin en françois par Octavian de Saint-Gelais, et revûes par Jehan Divry, avec miniatures. Paris. Ant. Verard. fol. Paris. Mich. le Noir. fol.

1514 Les Enéides de Virgile, translatées en vers françois par M. Octav. de St. Gelais, et revues par Maitre Jehan Divry.

1516 Les Bucoliques de Virgile Maron, avec cinq autres livres par lui composés; c'est à savoir, Virgile du Vergier, et de la Lettre Pythagoras y grecum; de l'invention des Muses; du Chant des Seraines et de la Roze, tous par rime, translatés du latin en françois par Guil. Mich. dit de Tours, avec l'exposition en prose. Paris. Jehan de la Garde. 4. c. textu Lat.

Digitized by Google

1519 Les Georgiques de Virgile Maron, translatées en françois et moralisées per Guil. Michel dit de Tours. Paris. M. Durand Gerlier. 8.

1529 Les Œuvres de Virgile, translatées du latin en françois par G. M. et O. de St. Gelais. Paris, par Nic. Couteau, pour Galliot du Pré. fol.

— Les Œuvres de Virgile, translatées en vers françois par Ant. et Rob. le Chevalier. Paris. Galliot du Pré. fol.

1532 Les Œuvres de Virgile en vers. Paris, par Jacques le Messie. fol. c. figg.

1540 Les Œuvres de Virgile translatées en vers françois (par St. Gelais.) Paris. Jehan Longis. fol. c. figg.

1541 Les quatre premiers livres des Enéides du trés-élégant poëte Virgile, trad. en prose par Helisienne (Dame) de Crene. Paris, par Denis Janot. fol.

1543 La seconde Eclogue de Virgile, traduite de latin en françois, avec l'épigramme d'iceluy contre oisiveté. Paris. Lois Grandin. 8.

1547 Le premier livre des Georgiques de Virgile, traduit en vers par Jacques Peletier. Dans les Œuvres poëtiques de Jacques Peletier. Paris, par Michel Vascosan. 8.

— Les deux premiers livres de l'Enéide de Virgile, traduits en françois par Loys de Masure. Paris. 4.

1552 Le quatriéme livre de l'Enéide de Virgile, par Bellay. Paris. 12.

— Les quatre premiers livres de l'Enéide en vers françois par Loys de Masure. Lyon, par Jean de Tournes. 4.

1554 Les Georgiques de Virgile, trad. en françois par R. le Blanc. Paris. 8.

— Les quatre premiers livres de l'Enéide, traduits en vers françois par L. de Masure etc. Paris. 8. Vid. inter edd. h. a.

1555 Les Ecloges de Virgile, trad. en vers françois par Clem. Marot et Rich. le Blanc. Paris. 8. Vid. edd. h. a.

1557 Le v. vi. vii. et viii. livre de l'Enéide en vers françois par Loys de Masure. Lyon, par Jean de Tournes et Guil. Gazeau. 4.

1560 Les douze livres de l'Enéide de Virgile, traduits en vers françois par Loys de Masure. Lyon. Jean de Tournes. 4.

Digitized by Google

1561 Le quatrième et sixiéme livre de l'Enéide, trad. par Joachim du Bellay. Dans les Œuvres de Joachim du Bellay. Paris. Federic Morel. 4. Repetita an. 1584. 12.

1574 Les quatre premiers livres de l'Enéide de Virgile, mis en vers heroiques françois par Pierre Trehedan. Geneve. Abel Rivery. 8.

1576 Les Œuvres de Virgile par Loys de Masure. Paris. Claude Micard. 16.

1578 Le treizième livre ou Supplement de l'Enéide de Virgile, fait par Mapheus Vegius; ensemble les Epigrammes selectes, attribuées au dit Virgile: le tout traduit en rime françoise par Pierre de Mouchaut. Paris. Claude Micard. 16.

1580 Les Bucoliques et Georgiques de Virgile, traduites en vers françois, avec la Vie du Poëte etc. par Pierre Trehedan. Genève. Baptiste Pignereul. 8. c. textu Lat.

1582 Les Œuvres de Virgile Maron, trad. en vers françois par Robert et Antoine le Chevalier d'Agneaux. Paris. Thomas Perier. 4. c. textu Lat.

1583 Eadem versio. Paris. Auvray. 8. c. textu Lat.

1607 Eadem, ibid. chés David le Clerc. 8.

1611 Partie du premier et quatrième livre de l'Enéide de Virgile, traduite en vers par Mr. le Cardinal du Perron. Paris. Rob. Estienne. 4.

1615 Les Œuvres de Virgile, latin-franç. traduites en vers, sçavoir, les Bucoliques et Georgiques par Clement Marot et R. le Blanc, et l'Enéide par Louis de Masure; avec le XIIIme ajoûté par Mapheus et trad. par P. de Mouchaut; ensemble les Epigrammes de Virgile, trad. par le même Mouchaut. Cologny. Chouet. 16.

1618 L'Enéide de Virgile en prose françoise. (par Claude Malingre.) Paris. 8.

1621 Les Bucoliques de Virgile en vers françois par Pierre de Marcassus. Paris, chez Ant. Estienne. 4.

1626 L'Enéide de Virgile, traduite par de la Mothe du Tetre et Pelliel. Paris. 8.

1640 Les Œuvres de Maistre François Philon, c ntenant la traduction en vers françois des douze livres de l'Æneide de Virgile, et quelques autres pièces. Agen. Jean Gayau. 8.

1648 L'Enéide traduite en vers françois. Premiere partie. Lat. et

Digitized by Google

Gall. Paris. P. Moreau. 4. c. figg. Continet lib. I—VI. Jungendi huic ed. libri sex posteriores, qui an. 1658. lucem videre eadem forma, interprete Perrino.

— L'Enéide de Virgile, traduite en françois par le Sieur de Tournay. Paris. Sommaville. 4.

1649 Les Œuvres de Virgile, traduites en prose et commentées par Mr. de Marolles. Paris. Cheveaux. fol. c. figg. Præter comment. habet Indicem geographicum, et Compendium originum et historiæ Romanæ a regno Jani usque ad Augusti tempora, libris tribus.

1655 Eadem versio. Paris. fol. c. figg.

1658 L'Enéide de Virgile. Seconde partie, traduite en vers françois par P. Perrin. Paris, chez Etienne Loyson. 4. c. textu Lat. et figg. Vide ad an. 1648.

1662 L'Enéide de Virgile, les Bucoliques et les Géorgiques, avec des remarques, accompagnées d'un traité du poëme epique, par Mr. de Marolles. Paris. Guil. de Luyne. 8. 3 voll. c. textu Lat.

1664 L'Enéide de Virgile, traduite en vers heroiques par P. Perrin. Seconde édition. Paris. 8. 2 voll. c. figg.

1666 Nouvelle Traduction des Bucoliques de Virgile, avec des notes (par Th. Guyot.) Paris. Cl. Thiboust. 12.

— Traduction des quatrième et sixième livres de l'Enéide de Virgile en françois, par Ant. le Maitre. Paris. P. le Petit. 4.

1668 L'Enéide de Virgile, traduite en vers françois, avec des remarques, par Jean Renaud de Segrais, et une dissertation de Samuel Bochart sur la question si Enée a été en Italie. Paris. Thierry. 1668. et 1681. 4. 2 voll.

— L'Enéide de Virgile (les quatre premiers livres seulement) traduction nouvelle par François le Maitre. Paris. P. le Petit. 12.

— Nouvelle Traduction de l'Aristée de Virgile, avec des notes. Lyon, chés la veuve de P. Muguet. 12.

1670 Æneidos liber IV. carmine Gallico. In Ægidii Boilavii Opusculis postumis. Paris. 12.

1673 Toutes les Œuvres de Virgile, traduites en vers françois, avec des remarques, par Mich. de Marolles. Abbé de Villeloin. Paris. Jacques Langlois. 4. 2 voll.

1678 Segræsii Æneis rep. Parisiis. 8.

Digitized by Google

— Nouvelle Traduction des Géorgiques de Virgile, avec des notes. Paris, chez la veuve Cl. Thiboust. 12.

1681 Virgile de la traduction de Mr. de Martignac, avec des remarques. Paris. Jean-Baptiste Coignard. 12. 3 voll.

1687 Virgile de la traduction de Mr. de Martignac. Lyon. 8. 3 voll.

1689 Les Bucoliques de Virgile en vers françois par le Sieur P**** Paris. Cl. Barbin. 12.

1700 Traduction de l'Enéide de Virgile par Mr. de Segrais. Seconde édition corrigée par l'auteur. Amsterdam. 8. 2 voll.

1708 Virgile de la traduction de Mr. de Martignac, avec des remarques. Nouvelle édition, revûe et corrigée. Paris. Mich. David. 12. 3 voll.

— Traduction des Eclogues de Virgile, avec des notes critiques et historiques (par Fr. Catrou.) Paris. Jacques Estienne. 12.

— Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers françois: ouvrage postume de Mr. Martin. Rouen. Maurry. 8.

1712 Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers françois. Ouvrage postume de Jean Renaud de Segrais, donné au public par François Parey Sieur du Fresne. Paris. 8. Specimen hujus metaphrasis, Laus vitæ rusticæ Lib. II. extr. antea editum fuit in Memoriis literariis Trevoltinis an. 1708. pag. 1776.

1716 Les Œuvres de Virgile, en latin et en françois, de la traduction et avec les notes critiques et historiques du P. François Catrou, Jesuite. Paris. Jean Barbou. 12. 6 voll.

1717 Traduction des Œuvres de Virgile en prose poëtique, avec des notes, par Jean Mallemans, Chanoine de Sainte Opportune. Paris. Jean Mariette. 8. 3 voll. Parum fida interpretatio.

— Les Eclogues de Virgile, traduites en vers françois, avec le latin à côté, et diverses autres poësies, par Mr. Richer. Rouen, chés Eustache Herault. 12.

1719 Traduction de l'Enéide de Virgile, par Mr. de Segrais. Nouvelle édition, revûe et corrigée, enrichie de figures en taille-douce. Lyon. André Degoin. 8. 2 voll.

1721 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois, avec le texte à côté et des notes critiques et historiques. (par Jean Cl. Favre.) Lyon. Louis de Claustre. 12. 4 voll.

1724 Les Eclogues de Virgile, traduction nouvelle avec des notes historiques et critiques, où l'on a inséré les endroits que Virgile

Digitized by Google

a imitées de Theocrite, avec un Discours sur la poësie pastorale, par Mr. Vaillant. Paris. Franc. Barois. 12.

1729 Les Poésies de Virgile, de la traduction, etc. du P. François Catrou. Nouvelle édition, revue, corrigée et augmentée. Paris. 8. 4 voll. c. figg.

1733 Virgilii Eclogæ Gallico metro, cum Diss. de scopo Virgilii in scribendis Eclogis. In Anonymi (Mr. de la Roche.) Œuvres mêlées. Paris. 12.

1734 Les Eclogues de Virgile, traduites par Mr. Gresset. à Blois. 8.

1736 Les Œuvres de Virgile, traduction nouvelle, avec des notes historiques et géographiques, par Mr. de Landelle de S. Remy. Paris. 8. 4 voll. c. textu Latino.

— Les Eclogues de Virgile, traduites en vers françois, avec le latin à côté, et diverses poësies, par Mr. Richer. Nouvelle édition, augmentée. Paris. Ganeau. 8.

1739 La quatrième Eclogue de Virgile, traduite en vers françois avec des notes critiques par M. R. D. R. Clermont-Ferrand, Pierre Viallones. 12.

1742 Les Amours d'Enée et de Didon; poëme traduit de Virgile, avec diverses autres imitations d'anciens Poëtes grecs et latins: par Mr. le Président Bouhier. Paris. J. B. Coignard. 12.

1743 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois, le texte vis-à-vis la traduction, ornées de figg. en taille-douce, dessinées et gravées par M. Cochin, avec des remarques par l'Abbé Guyot des Fontaines. Paris. Guillot pere. 8. 4 voll.

— Eadem, ibid. 8. 3 voll.

1746 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois avec le latin à côté, par Mr. l'Abbé de Saint-Remy. Paris. 12. 4 voll.

1749 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois par J. N. Lallemand. Paris. 12. 4 voll.

1759 Les Œuvres de Virgile avec des remarques par l'Abbé Guyot des Fontaines. Paris. 8. 4 voll.

1770 Les Géorgiques de Virgile, traduction nouvelle en vers françois, enrichie de notes et de figg. par Mr. Delille. Paris. Bleuet. 8.

1771 Les Œuvres de Virgile, de la traduction des quatre Professeurs. Paris. 12. 4 voll.

1777 Les Géorgiques de Virgile, traduites par Mr. Delille. Geneve. 12.

Digitized by Google

1783 Les Œuvres de Virgile, traduites par l'Abbé des Fontaines. Paris. 8. 4 voll. c. figg.

— Les Œuvres de Virgile, traduites en françois par Mr. le Blond, avec des Notes et une Dissertation préliminaire. Paris. 12. 3 voll.

1784 Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers françois par Pompignan. Inter ejus Opera, Parisiis 1784. 8. 4 voll.

1787 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois par P. Barrett. Paris. 12. 2 voll. c. textu Lat.

— Les Géorgiques de Virgile, avec une double traduction, l'une litérale et l'autre conforme au génie de notre langue, enrichies de notes par Vidot. Lyon. 8.

1788 Les Œuvres de Virgile, traduction nouvelle par Mr. Gin. Dans la Collection des Œuvres de Mr. Gin. Tom. II. et seqq. Paris. Royez. 12. c. textu Lat.

1789 Traduction en vers françois du quatrième livre de l'Enéide par L. M. Dufour. Paris. Pougens. 8.

— Les Œuvres de Virgile, latin et françois, avec des remarques par l'Abbé des Fontaines. Nouvelle édition. Paris. Plassan. 4 maj. 4 voll. c. figg.

1793 Les Eclogues de Virgile, traduction nouvelle en vers. Paris. Girod et Tesner. 8.

1794 Les Géorgiques de Virgile, traduites en vers françois par Delille. Edition à laquelle on a joint le texte latin avec les notes et les variantes. Paris, de l'imprimerie de Didot jeune, chez Bleuet pere, libraire. L'an 2. de la Républ. 8.

1797 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois par M. le Blond. Paris. 12. 3 voll. Repetitio editionis an. 1783.

— Les Œuvres de Virgile, trad. par l'Abbé des Fontaines. Nouvelle édition. Paris. Plassan. 4 maj. 4 voll. cum textu Lat. et figg.

1798 L'Enéide de Virgile, traduite en vers françois par C. P. Boissiere. Paris. 8. 2 voll.

— Traduction en vers françois du quatrième livre de l'Enéide par L. M. Dufour. Paris. Pougens. 8.

1799 Les Géorgiques d'Hésiode et de Virgile, traduites du grec et du latin en vers françois par Mr. de Pompignan. Avec des notes et remarques. Paris. 12. c. textu Lat.

1800 Les Eclogues de Virgile, trad. en vers françois avec le texte Latin, accompagnées de la traduction en vers de plusieurs mor-

Digitized by Google

ceaux de Théocrite, Moschus et Bion, et de l'épisode de Nisus et d'Euriale, par P. F. Tissot. Paris. Vatar-Jouanrot. 8.

1804 L'Enéide, traduite en vers françois par Jacques Delille, avec des remarques sur les principales beautés du texte. Paris. Giguet et Michaud. 8 maj. 4 voll. cum textu Lat. et figg.

1805 Les Œuvres de Virgile, traduites en françois par Binet. Paris. 12. 4 voll.

— Les Géorgiques, traduites par J. Delille, avec des notes et les variantes. Brunsvic. 12 maj.

1806 Les Bucoliques de Virgile, traduites en vers françois, et accompagnées de remarques sur le texte; pour compléter les Œuvres de Virgile traduites par J. Delille. Paris. Giguet et Michaud. 8 maj. c. textu Lat. et figg.

— Les Œuvres de Virgile, traduites par J. B. Roullier. Paris. 18.

ANGLICÆ.

1490 The Boke of Eneydos, compyled by Vyrgyle. In fine: Here fynyssheth the boke of Eneydos, compyled by vyrgyle, whiche hath be translated oute of latyne in to frenshe, and oute of frenshe reduced in to englysshe by me Wyllm Caxton, the XXII. daye of Juyn the yere of our lorde M. iiij. LXXXX. fol. min.

... s. a. The fourth Boke of Virgill, intreeting of the Love betwene Aeneas and Dido, translated into English, and drawn into a straunge Metre, by Henry Earle of Surry. London, printed by John Day. 4.

1553 The XIII. Buckes of Eneados of the famose Poete Virgill, translated out of Latyne verses into Scottish metir bi the reverend Father in God Mayster Gawin Douglas Bishop of Dunkel, etc. Imprinted at London (by William Copland.) 4.

1557 Certain Bookes of Virgil's Aeneis (sc. Lib. II. et IV.) turned into English metir, by the right honourable Lorde Henry Earle of Surrey. London. 4.

1558 The seven first Bookes of the Eneidos of Virgill, converted into Englishe meter by Thomas Phaer Esquier. London, printed for Jhon Kyngston. 1658. 28 Mai. 4.

1561 The Boke of Virgill. London, printed by William Copland. 4. Forsan repetitio ed. 1553.

1562 The nyne fyrst Bookes of the Eneidos of Virgil, converted into Englishe vearse by Tho. Phaer Doctour of Phisike, with so

Digitized by Google

muche of the tenthe Booke, as since his death coulde be founde in unperfit papers at his house, etc. Printed at London by Rowland Hall for Nicholas England. 4.

1567 The Eclogues of Virgil, translated into English verse by George Turbervile. London. 8.

1573 The whole XII. Bookes of the Aeneidos of Virgill. Whereof the first IX. and part of the tenth were converted into English meeter by Thomas Phaer, and the residue supplied, and the whole work together newly set forth, by Thomas Twyne. Imprinted at London by Wyllyam How, for Abr. Veale. 4.

1575 The Bukolikes of P. Virgilius Maro, with alphabeticall Annotations, etc. Drawne into plaine and familiar Englishe verse by Abr. Fleming. London by John Charlewood. 8.

1583 The firsth foure Bookes of Virgils Aeneis, translated into English heroical verse by Richard Stanyhurst. London, printed by Henry Bynnemann. 8.

1584 The XIII. Bookes of Aeneidos. The first twelve beeinge the woorke of the divine Poët Virgil Maro, and the thirteenth the supplement of Maphaeus Vegius. Translated into English verse to the fyrst third part of the tenth Booke, by Thomas Phaer; and the residue finished, and now the second time new set forth by Thomas Twyne. Imprinted at London by Will. How, for Abr. Veale. 4.

1586 Two of Virgil's Bucolics translated by William Webbe. In his Discourse of English Poetrie. London. 4.

1589 The Bucoliks of P. Virgilius Maro, together with his Georgiks. All newly translated into English verse by A. F. (Abr. Fleming.) Imprinted at London by T. O. (Tho. Orwin.) for Tho. Woodcock. 4.

1591 Virgil's Gnat (Culex) by Edmund Spenser. In his Tears of Muses. London. 4. Rep. in ejusdem Operibus.

1592 The Lamentation of Corydon for the love of Alexis, translated into English hexameters by Abr. Fraunce. Annexed to the second part of his book entitled: The Countesse of Pembrokes, etc. London. 4.

1619 Virgil's Bucolics and fourth Georgic, translated by Mr. Brimsly. 8.

1620 The Destruction of Troy; or, the Acts of Æneas, from the second Book of the Æneids of Virgil, translated from Latin into English by Sir Thomas Wroth. London. 4.

Digitized by Google

1622 Virgil's Georgics, four Books, translated into English, with annotations on each Book, by Thomas May. London. 8.

— Virgil's fourth Book of the Æneids, in English and Latine. London. 8.

1627 Virgil's first Book of Æneis, translated into English verse by George Sandys. Printed with the first five Books of Ovid's Metamorphoses, translated by the same. London. fol. Rep. Oxfordii an. 1632. fol. item Londini 1640. fol. ad calcem Ovidii ab eodem versi.

1628 The Bucolics of Virgil, translated into English by W. L. London. 8.

1629 Virgil's fourth Eclogue, translated into English by John Beaumont. In his Poems. London. 8.

— Virgil's Georgics, translated by Thom. May. London. 8. Repetitio ed. 1622.

1632 The XII. Æneids of Virgil, translated into English deca-syllables by John Vicars. London. 8.

1634 The Bucolics of Virgil, and the two first Satyrs of Juvenal, translated into English verse by John Biddle. London. 8.

1649 The Works of P. Virgilius Maro, translated into English by John Ogilby. London. 8 maj.

1656 The Destruction of Troy, or, an Essay upon the second Book of Virgil's Eneid. By Sir John Denham. London. 4. Repetita in ejusdem Operibus Londini 1667. 1668. 1709. et 1719. 8.

1657 seq. An Essay upon two of Virgil's Eclogues, and two Books of his Æneis, towards the translation of the whole. By James Harrington. London. 8.

1658 Part of the fourth Book of Virgil's Æneis, beginning at v. 437. and ending with v. 583. or Passion of Dido for Æneas, translated into English verse by Edmund Waller. London. 12. Recusa in ejusdem Operibus Londini 1758. 8.

— The Passion of Dido for Æneas, as it is incomparably exprest in the fourth Book of Virgil, translated into English verse by Sydney Godolphin. London. 8.

1660 The fourth Book of Virgil, of the Loves of Dido and Æneas, translated into English by Robert Howard. London. 8. Repetita inter ejusdem Poëmata Londini 1716.

— Æneas Descent into Hell, translated from the sixth Book of the Æneid of Virgil, by John Boys. London. 4.

Digitized by Google

1664 The fourth Book of Virgil's Æneid, on the Loves of Dido and Æneas, translated from Latin into English by Richard Fanshaw. Insertus ejusdem libro inscripto: 'The faithful Shepherd.' Londini. 8.

1684 A new Translation of Virgil's Eclogues, by Thomas Otway. Prodiit in libro, cui titulus: 'Miscellany Poems, containing a new Translation of Virgil's Eclogues, Ovid's Love Elegies, Odes of Horace and other Authors, by the most eminent hands.' London. 1684. 8. Et legitur in 'The Works of Thomas Otway.' London. 1712. 8. 2 voll.

— The second and third Eclogue of Virgil translated by Thomas Creech. In Collectione poëmatum ad versionem antecedentem citata.

— Virgil's Eclogue VIII. the Enchantment, by John Oldham. Inter ejusdem 'Remains in verse and prose.' London. 1684. et ejus Opera Londini 1722. 12. 2 voll.

1692 The first and second Book of Virgil's Æneis, attempted in English by Thomas Fletcher. In ejusdem 'Poems on several occasions, and Translations.' London. 8.

1693 A Translation into English verse from Virgil's first Georgic, beginning at 'In primis venerare Deos,' etc. by Henry Sacheverell. Inserta libro inscripto: 'Examen Poëticum, being the third part of Miscellany Poems,' etc. London. 8.

— A Journey to Tunbridge Wells, with the fourth Book of Virgil's Æneid. London. 8.

1694 Virgil's Dido and Æneas, translated by John Lewkenor. In ejusdem libro, cui titulus: 'Metalus's three Dialogues.' London. 8.

— A Translation of all Virgil's fourth Georgic, except the Story of Aristæus, by Joseph Addison. In 'the Annual Miscellany Poems, etc.' published by John Dryden. London. 1694. 8. Recusa inter Addisoni Opera Londini. 1721. 4. Vol. I. cum quibusdam aliis ex libro III. Æneidos ab eodem translatis.

1697 The Works of Virgil: containing his Pastorals, Georgics, and Æneis. Translated into English verse by Mr. Dryden. Adorn'd with a hundred Sculptures. London, printed for Jacob Tonson. fol. De hac interpretatione Popius in Præf. ad Homerum: 'Dryden's version of Virgil (notwithstanding some human errors) is the most noble and spirited translation I know in any language.'

Digitized by Google

1698 Eadem, ibid. fol.

1701 Eadem, ibid. fol.

1709 Eadem, ibid. 8. 3 voll.

1710 Virgil's Æneis, translated into Scottish verse by the famous Gawin Douglas, Bishop of Dunkeld. A new Edition, wherein the many Errors of the former are corrected and the Defects supply'd from a excellent Manuscript. To which is added a large Glossary explaining the difficult Words, which may serve for a Dictionary to the old Scottish language. And to the whole is prefixed an exact Account of the Author's Life and Writings from the best Histories and Records. Edinburgh, printed by M. Andrew Symson and R. Freebairn. fol. min.

1716 Drydenii versio recusa Londini. 8. 3 voll.

—1726 The Æneid of Virgil, translated into blank verse by Nicholas Brady. London. 8. 4 voll.

1717 Virgil's sixth Eclogue, translated into English verse by Wentworth Dillon Earl of Roscommon. Inter ejusdem Poëmata, Londini. 1717. 8. Et in ejus Operibus, Glasguæ. 1753. 12.

— Virgil's fifth Eclogue, translated into English verse by Richard Duke. Inter ejusdem Poëmata, adjuncta Poëmatibus Com. de Roscommon. Londini. 8.

1718 The Æneid of Virgil, translated into blank verse by Joseph Trapp. London. 4. 2 voll.

1719 Eadem, ibid. 8. 2 voll.

— Virgil's Pastorals, translated into blank verse by Charles Sedley. Inter ejus Opera, Londini h. a. impressa 2 voll. in 12.

— Drydenii interpretatio repetita Londini apud Jac. Tonson. 8. 3 voll. c. figg.

1720 Virgil's last Eclogue, translated into English verse by William Temple. Inserta ejusdem Operibus, Londini. fol. Vol. I. pag. 314 seqq.

1721 Drydenii versio recusa Londini. 8. 3 voll.

1722 Virgil's Eclogue VIII. The Inchantment, translated into English by Mr. John Oldham. Inter ejus Opera, Londini 1722. 12. Vol. II. pag. 238-246.

1723 Part of the Story of Orpheus, being a Translation out of the fourth book of Virgil's Georgic. By John Sheffield Duke of Buckingham. Inter ejus Opera, Londini. 4. 2 voll.

1724 Virgil's Husbandry, or an Essay on the Georgics: being the

Digitized by Google

second Book translated into English verse: to which are added the Latin text, and Mr. Dryden's version. With Notes critical and rustical. (By William Benson.) London. 8.

1725 Virgil's Husbandry, or an Essay on the Georgics: being the first Book. Translated into English verse: to which are added the Latin text, and Mr. Dryden's version. With Notes critical and rustical. (By William Benson.) London. 8.

1727 The Episode of Orpheus and Eurydice, translated from the fourth Georgic of Virgil by Walter Harte. In ejus 'Poems on several occasions.' London. 8.

1728 Orpheus and Eurydice, from Virgil's fourth Georgic, translated into English verse by William Pattison. Inter ejus Opera poëtica, Londini. 8. Vol. I. pag. 139-145.

1729 The Æneid, translated by Jos. Trapp. London. 8. 2 voll.

1730 Drydenii versio repetita Londini. 12. 3 voll.

1731 The Works of Virgil translated into English blank verse: with large explanatory Notes and critical Observations. By Joseph Trapp. London. 12. 3 voll.

1735 Eadem, ibid. 12. 3 voll.

— The Beginning of the 4th Book of Virgil's Æneis, newly translated into blank verse, according to the measures of the French heroic Poetry, by a Gentleman of Mongomeryshire. In The Gentleman's Magazine for October 1735. pag. 616.

1736 The second Book of Virgil's Æneid in four Cantos, with Notes, by John Theobald. London. 4.

1737 An Introduction of the ancient Greek and Latin Measures into British Poëtry. Attempted in the following pieces, viz. A Translation of Virgil's first Eclogue. A Translation of Virgil's fourth Eclogue. Jacob and Rachel, a Pastoral. London. 8.

— The Æneid of Virgil translated into English Verse by Richard Maitland, Earl of Lauderdale. London. 12. 2 voll.

1739 The first Book of Virgil's Æneid, translated into blank verse by Alexander Strahan. London. 8.

1740 The Æneid of Virgil, translated into English by Mr. Pitt. London, printed for R. Dodsley. 4. 2 voll. Recusa in Wartoni editione Operum Virgilii Lat. et Angl. Londini. 1753. et 1778. 8. Vol. II-IV.

1741 Georgica, ex versione et cum notis Jo. Martyn. Londini. 4 maj. Titulum vide inter edd. h. a.

Digitized by Google

1743 The Works of Virgil in Latin, and a prose Translation with notes by Mr. Davidson. London. 8. 2 voll.

1746 Jo. Martyn interpretatio Georgicorum. The second edition. London; printed by R. Reily, for T. Osborne. 8.

1748 Drydenii versio repetita Londini. 12. 3 voll.

— Davidsoni interpretatio recusa Londini. 8. 2 voll.

1749 Bucolicorum Eclogæ decem, ex interpretatione et cum notis Jo. Martyn. Londini. 4 max. Conf. supra edd. h. a.

— Eadem, ibid. 8 maj.

1750 Eadem, ibid. 8 maj.

— The first Georgic of Virgil, translated into English verse. London, Dodsley. 4.

1753 The first six Books of Virgil's Æneid. Translated into blank verse by Alexander Strahan. London. 8.

— The Works of Virgil in Latin and English. The original Text correctly printed. The Æneis translated by Chr. Pitt, the Eclogues and Georgics with Notes by Jos. Warton. With several new Observations by Mr. Holdsworth, Spence and others. London. Printed for R. Dodsley. 8. 4 voll. Conf. edd. h. a.

1754 Davidsoni interpretatio repetita Londini. 8. 2 voll.

1755 The Georgics of Virgil, etc. by John Martyn. The third edition. London. 8.

1758 Drydenii versio recusa Londini. 12. 3 voll.

1760 The first Pastoral of Virgil in English verse, attempted by James Peacock. London. 4.

1761 Translations from Virgil, by James Beattie. In ejus 'Original Poems and Translations.' London. 8.

1763 Drydenii versio recusa Londini. 12. 3 voll.

— Davidsoni interpretatio repetita Londini. 8. 2 voll.

— Bucolicorum Eclogæ x. Londini. 8. Titulum habes inter edd. h. a.

1764 The Æneid of Virgil, translated into English blank verse by Mr. William Hawkins. Oxford. 8.

1766 The Works of Virgil, translated into English by Robert Andrews. Birmingham, printed by John Baskerville. 8 maj.

1767 The Æneid of Virgil, translated into blank verse by Alexander Strahan. London, printed for A. Millar, T. Cadell, and T. Payne. 12. 2 voll. Volumini primo præmissa legitur: The first

Digitized by Google

Eclogue of Virgil translated into English verse by the late Dr. Atterbury, Bishop of Rochester, jam primum edita.

— The Georgics of Virgil, translated by Thomas Neville. Cambridge, printed by J. Archdeacon for W. Thurlborn. 8.

1768 Remarks on the first Eclogue of Virgil, with a version of that Pastoral subjoined. (By Edward Burnaby Greene.) In ejus 'Translation of the Works of Anacreon and Sappho,' London. 12. pag. 231-253.

1770 The Works of Virgil translated into English Prose, as near the Original as the different Idioms of the Latin and English Languages will allow. With the Latin text, and Order of Construction in the same Page; and critical, historical, geographical and classical Notes, in English, from the best Commentators both Ancient and Modern; beside a very great Number of Notes entirely new. For the use of Schools as well as of private Gentlemen. In two Volumes. The fifth Edition, revised and corrected from the best Editions of the Original. London. 8.

1772 Drydenii versio repetita Londini. 12. 4 voll. c. figg.

1778 The Answer of Proteus to Aristæus in Virgil's fourth Georgic. By John Gray. Inserta ejus 'Translation of some Odes and Epistles of Horace.' London. 8.

1780 The first Eclogue of Virgil translated into English by John Caryll. In John Nichols's 'Select Collection of Miscellany Poems.' London. 8. Vol. II. pag. 1.

— The Georgics of Virgil, translated into English blank verse by William Mills. London. 4.

— The Ciris of Virgil translated into English verse (by Edward Burnaby Greene.) Adjuncta ejusdem Greenii versioni Argonauticorum Apollonii Rhodii, Londini. 8. 2 voll.

1782 Drydenii versio recusa Londini. 12. 4 voll. c. figg.

1783 A new Translation of Virgil's Eclogues on a more liberal Plan than ever yet attempted. (By Dr. William Green.) London. 8.

1784 The first and second Georgic, attempted in blank verse. (By Mr. Capel Lofft.) London. Owen. 8 min. c. textu Lat.

1785 Davidsoni interpretatio repetita Londini. 8. 2 voll.

1786 The Eclogues of Virgil, translated into English verse by William Graham. Carlisle. 8.

Digitized by Google

1787 The second and fourth Books of Virgil's Æneid, translated into English verse by John Morrison. London. 8.

1790 Davidsoni interpretatio recusa Londini. 8. 2 voll.

1794 The Æneid of Virgil, translated into blank verse by James Beresford. Oxford. Johnson. 8.

1795 The tenth Eclogue of Virgil, and a passage in the Æneid, beginning Book II. v. 692. translated into English verse by Gilbert Wakefield. In ejusdem 'Poetical Translations from the Ancients.' London. 8.

1800 The Georgics of Virgil translated by William Sotheby. London. Wright. 8.

BELGICÆ.

1589 De twaelf boecken van Æneas door Virgilius. Antw. 8.

1597 Bucolica et Georgica, dat is, ossenstal en landwerck P. Virgilii Maronis, in rymdicht vertaalt door K. v. Mander. t'Amst. 8.

1609 De twaalf boecken Æneas, genannt in 't Latyn Æneidos, beschreven door Virgilius Maro, in Duytscher talen overgheset door Corn. van Ghistele. tot Rotterdam. 8.

1646 P. Virgilius Maroos werken, vertaalt door Jo. v. Vondel. t'Amst. 4.

1659 Eadem, ibid. 12.

1660 Eadem, ibid. 4.

1661 De eersten ses boeken van P. Virgilius Maroos Æneis, in Nederduytsche rymen gebragt door J. Westerbaen. 's Gravenh. 8.

1662 De Æneis van P. Virgilius Maro, bestaande in XII. boeken, in Nederduytsche rymen gebragt door J. Westerbaen. 's Gravenh. 8.

1679 Bucolica a W. G. v. Foequenbroch. In ejus Thalia, Amst. 1679. 8.

1737 P. Virgilius Maroos werken, vertaalt dor Jo. v. Vondel. l'Amst. 4.

GERMANICÆ.

1515 Uergilij maronis dreyzehen Æneadischen Bücher von troia-

Digitized by Google

nischer zerstœrung, vnd vffgang des Rœmischen Reichs. Durch Doctor Murner v'tutscht. Maximiliano Dem durchlüchtigen, vnüberwintlichen, Milten, Fridsamen vnd angeborner fürsichtigkeit weisen Fürsten dise gelerte gab. A. E. J. O. V. In fine: 'Hie endet sich das dreizehend Buch Eneidos. Vnd ist getrucket vnd seligklich vollendet in d' keiserlichen freien stat strassburg von Joannes Grüningern vff Montag nach sant Bartholomeus tag. Im iar so man zelt von der geburt Cristi tusend fünffhund't fünfzehen.' fol.

... Eadem s. a. Wormatiæ, fol.

1543 Virgilii Maronis dreyzehn æneadische Bücher von troianischer Zerstœrung, und Aufgange des rœmischen Reichs. s. l. 8. Ex superiori repetita, sed emendatior.

1545 Eadem Wormatiæ, ap. Gregor. Hofman. 8.

1559 Eadem Francofurti ad M. durch David Zœpffeln, zum Eysern Hut, uti legitur in ejus fine. 8.

— Eadem Argentorati. 8. c. figg.

1562 Eadem Francofurti ad M. 8. c. figg.

1567 Virgilii Bucolica in usum puerorum germanice reddita per M. Stephanum Riccium. Lipsiæ. 8.

1571 P. Virgilii Maronis Georgicorum Lib. I. et II. in usum studiosæ juventutis germanice redditi a M. Stephano Riccio. Lipsiæ. 8.

1572 Georgicorum Lib. III. et IV. interprete eodem. Lipsiæ. 8.

1573 Virgilii Bucolica in usum puerorum germanice reddita per M. Stephanum Riccium. Accesserunt item germanica argumenta unde cujuslibet Eclogæ sensus intelligi queat. Lipsiæ 1573. 8. In fine: 'Finis Bucolicorum, quæ primum germanice sunt reddita et in publicum edita Anno 1567. die 5. Februarii. Deinde vero recognita et germanicis argumentis aucta descripta et finita anno Domini 1572. die 23. Maii.'

1580 Eadem recusa ibid. 8.

1585 P. Virgilii Maronis Georgicorum Libri IV. in usum studiosæ juventutis germanice redditi et editi a M. Stephano Riccio seniore. Erphord. 8.

1606 Virgilii Maronis zwœlff Bücher: Item das Buch Maphei von dem thewren Helden Ænea, was der zu Wasser und Land bestanden, etc. Gedruckt zu Jehna. 8. Repetitio versionis Thomæ Murneri.

Digitized by Google

1610 Æneis Virgiliana. Das ist des fürnembsten Lateinischen Poeten P. Virgilij Maronis XII. Bücher von den Geschichten vnd Thaten des Ritterlichen vnnd theuren Helden Æneæ des Troianers, von desselben abzug an, nach der Zerstœrung der Statt Troia, was er zu Wasser vnd Landt, bis auff sein absterben aussgestanden. In artige teutsche Reimen verfasst, durch weiland M. Johann Sprengen gewesenen Kays. Notarium, vnnd Burgern zu Augspurg. Jetzt erstmals in offenem Truck publiciert vnd verfertigt. Gedruckt zu Augspurg durch Christ. Mangen. fol. cum ejusdem versione Iliados Homeri.

1644 P. Virgilii Maronis Æneas von Reisen und Ritterlichen Thaten des gewaltigen und frommen Helden Æneæ in deutsch verfertiget durch M. Bernhardum Melethræum. Hamburg. 8.

1647 Oswald Belings verdeutschte Waldlieder oder x. Hirten-Gesprœche Virgilii Maronis in deutsche Verse übersetzt. Herausgegeben durch M. Adam Olearium. Halle. 8.

1648 Eadem, ibid. 8.

— Zehn auserlesene Hirtenlieder des Poeten Maronis in deutsche Reime übersetzt (von Chalemus.) Halle. 8.

1649 Oswaldi Belingii versio Bucolicorum recusa Hamburgi. 4. c. figg.

1658 Neu eingekleideter deutscher Virgilius nach Art der Ariana und Arcadia aus dem lateinischen übersetzt von D. S. (Salemyndonis.) Stargard. 12.

1659 Virgilii Hirtenlieder. Deutsch übersetzt von Chr. Haberland. Lübeck. 8.

1660 Virgils vier Bücher vom Ackerbau in ungebunden Deutsch übersetzt von Chr. Haberland. Lübeck. 8.

— Publii Virgilii Maronis, des nie genug gepriesenen Lateinischen Poeten Gedichte, als die zehen Hirten-Lieder: vom Hauss und Feldwesen vier Bücher: wie auch von des Troianischen Fürsten Æneæ Kriegs-und andern Heldenthaten zwœlff Bücher; so in ungebundene Hoch-Teutsche Red übersetzt Johann Valentin. Frankfurt, bey Joh. Beyer: Im Jahr MDCLX. 8.

1664 Georgicorum versio Steph. Riccii repetita Stettini. 8.

1668 Eigentlicher Abriss eines verstœndigen tapffern und frommen Fürsten, von dem fürtrefflichsten Poeten Virgilius in zwœlff Büchern der Troianischen Geschichten entworfen und an dem Æneas—gewisen und geprisen. Verdeutschet und in heroische

Digitized by Google

oder Alexandrinische Reime übergesetzet von M. Michael Schirmer. Cœlln an der Spree. 8.

1671 Jo. Valentini versio operum Virgilii repetita Francofurti. 8.

1672 Mich. Schirmeri versio Æn. recusa Lipsiæ. 8.

1688 P. Virgilii M. Æneis durch Hanns von Zehmen. Leipzig. 12. c. textu Lat.

— Erneuertes Gedæchtniss Rœmischer Tapferkeit an den unvergleichlichen Virgilianischen Helden Æneas, und seinen grossmüthigen Thaten in 50. Kupfern vorgebildet von Joh. (Georg.) Jacob Lang und Ge. Christoph. Eimmart. Nürnberg. 4. Lat. et Germ.

1697 Eadem recusa, cum figg. ab Eimmarto æri incisis. Norimbergæ. 4. cum textu Lat.

— Jo. Valentini versio operum repetita Francofurti. 8.

1705 Eadem, ibid. 8.

1708 Oswaldi Belingii Bucolicorum editio quarta. Wittebergæ. 4.

1711 Virgilii Mar. Bucolica, interprete Nic. Baerio. Bremæ. 4.

1717 Æneid. I. 1-104. vom Amthor. Vid. ejusd. 'Poetischer Versuch einiger teutscher Gedichte und Uebersetzungen.' Flensburg 1717. et 1734. 8.

1719 Georgicorum Liber quartus, a Joanne Grüwel germanice versus legitur in der Brandenburgischen bewæhrten Bienen-Kunst aus eigener und langen Erfahrung, etc. von Johann Grüweln, Kais. gekrœnten Poeten und Burgermeister zu Cremmen. Berlin 1719. 8.

1723 Das IV. Buch der Æneis des Virgilii, von Benjamin Neukirch. In Hankens geistlichen und moralischen Gedichten. Schweidnitz. 1723. 8. Tomo IV. Rep. Dresdæ 1731-1735. 8.

1724 Jo. Valentini versio operum Virgilii rep. Francofurti. 8.

1725 Uebersetzung in deutscher Helden-Poesie: des Virgilianischen Lobes-und Lebens-Lauf: des grossen Krieges-Helden Æneas. Mit kurz verfasster Beyfügung: erforderlicher Anmerkungen; von Theodor. Ludwig Lau. Elbing. 4.

1732 Des berühmten Poeten Nicolai Despreaux Boileau satyrischer Gedichte zweiter Theil, samt allen Eclogen oder Hirten-Gedichten des Virgilii, etc. von Caspar Abeln. Goslar. 8.

1734 Die erste Ecloge des Virgilius, übersetzt von M. Christ. Clodius. In den Schriften der deutschen Gesellschaft. Zw. Band. p. 457.

Digitized by Google

— Æneidos IV. 1-295. Item Rede der erzürnten Dido an den Æneas, ex eodem libro, übersetzt von Amthor. Vid. ejus a 'Poetischer Versuch einiger teutscher Gedichte und Uebersetzungen,' pag. 409-441.

1737 Probe einer Uebersetzung der Æneis des Virgilius Maro in deutsche Verse, v. 1-160. von Pyra. Vid. Krit. Beitr. Part. 17. pag. 89. seqq.

1739 Des Proteus Rede an den Aristæus, aus Virgils IV. Buche der Georgicorum übersetzt durch M. Ge. Friedr. Bærmann. In den Schriften der deutschen Gesellsch. Dritt. Th. Leipzig 1739. 8. p. 469. seqq.

1742 et 44 Des P. Virgilius Maro Æneis, ein Heldengedicht, in eben so viel deutsche Verse übersetzet, und mit einer Vorrede des Hn. Prof. Gottsched begleitet: sammt einem Vorberichte des Uebersetzers, worinnen den wider dieses Werk gemachten Critiken begegnet wird, herausgegeben von Jo. Christoph. Schwarz. Zwey Theile. Regensburg bey H. G. Zunckel. 8. Antecesserat hanc universi operis versionem, ejusdem auctoris 'Probe einer deutschen Uebersetzung der Æneis des Virgils in gereimten Versen.' Regensb. 1742. 8.

1743 Theod. Lud. Lau versio Æneidos repetita Hamburgi.

1745 Virgils sechste Ekloge (von einem Ungenannten.) In den Bremischen Beytrægen. I Theil. 3. St. Braunschw. 1745. 8.

1745-50 Virgilii Eclogas aliquot germanice translatas edidit Jo. Dan. Overbeckius in dem Neuen Büchersaale der schœn. Wissenschaft. und. fr. Künste. Leipzig. 8.

1749 Virgils erstes und zweites Buch vom Landwesen als ein Muster der æchten Rœmischen Dichtkunst alter Zeiten zum Vergnügen des Witzes und zur Verbesserung des Geschmacks in deutschen Versen herausgegeben (von Joh. Dan. Overbeck.) Lübeck. 4.

— Virgils Æneis, von Flügge. Gœttingen. 8. Rep. an. 1770. ubi vid. tit.

1750 Des Publ. Virgilius Maro Hirtengedichte zum Vergnügen des Witzes und zur Verbesserung des Geschmacks mit Anmerkungen und gegenübergesetzten Latein in deutschen Versen herausgegeben von Joh. Dan. Overbeck. Mit einer Vorrede des Hrn. Prof. Gottsched begleitet. Helmstædt. 8.

1755 Die Rede der Dido, von Lindner. In Lindners Anweisung zur guten Schreibart. Kœnigsb. 1755. p. 218.

Digitized by Google

1758 Die Hirtengedichte des Publius Virgilius Maro, aus dem Lateinischen übersetzt (von C. L. Lieberkühn.) Berlin. 8.

1759 P. Virgilii Maronis Georgicorum Libri IV. mit critischen und œconomischen Erklærungen Herrn D. Johann Martyns, Lehrer der Botanic zu Cambridge und anderer der berühmtesten Ausleger. Nebst einer deutschen Uebersetzung und Anmerkungen. Zum Gebrauch der Schulen, um die Jugend zu einer frühern Erlernung der Haushaltungskunst zu ermuntern (von Joh. Jac. Dusch.) Hamburg und Leipzig. 8. Idem vir doctus singulas particulas ex libris Georgicorum versibus germanicis donavit in den Briefen zur Bildung des Geschmacks. Erst. Th. 1764.

1761 Jo. Christoph. Schwarzii Æneis repetita Ratisb. 8.

1768 Der Honigbau (Lib. IV. Georgic.) aus dem Lateinischen des Virgils übersetzt von Joh. Mich. Engel. Erfurt. 8.

1769 Virgils fünfte Ecloge, von Ramler. In Batteux Einleitung in die sch. Wissenschaften übersetzt von Ramler. Dritte Ausgabe. Leipzig. 1769. 8.

1770 Æneis, ein Heldengedicht des P. Virgilius Maro, erster Theil, der die sechs erstern; zweiter Theil, der die sechs andern Bücher enthælt, in deutsche Verse übersetzt von einem Mitgliede der deutschen Gesellschaft in Gœttingen (Flügge.) Gœttingen. 8.

— Der Æneide erstes Buch. Den Kunstrichtern zugeeignet. Büzow und Wismar. 8.

— Virgils Æneis, elftes und zwœlftes Buch. Gœttingen. 8.

1771 Die Rede der Dido, von Kinderling. Inserta ejusdem Grundsætzen der Beredsamkeit. Magdeb. 1771. p. 231.

— Virgils fünfte und siebente Ekloge, von C. A. Schmid. In der Anthologie der Deutschen. Zw. Theil. Leipzig. 1771. 8.

1772 Virgils erste und zweite Ekloge, von Küttner. In dem 2. St. des Journals für Liebhaber der Lit. p. 150. 154.

— Virgils fünfte und siebende Ekloge, von Anton. In der treuen Uebersetzung hebr. und. a. a. Gedichte. Leipzig 1772. ubi et singula loca ex Libr. IV. Æneidos ab eodem conversa leguntur.

— Virgils vier Bücher von dem Feldbau, Weinbaume, und den Bæumen, der Viehzucht und Bienenwartung, übersetzt von J. B. Sedletzki. Augsburg. 8.

— Der Æneide erstes Buch v. 1-343. von Küttner. In dem Journal für die Liebhaber der Litteratur. 1772. 8.

Digitized by Google

— Der Æneide Zweites Buch, v. 1-557, von einem Ungenannten. In Schirachs Magazin. Zw. Band, 1. St. Halle 1772. 8.

1773 Tityrus und Melibœus. Virgils erste Ekloge, von einem Ungenannten. Vid. Belustigungen für allerley Leser. Erst. Band. Leipzig. 1773. 8. p. 124.

— Das erste Buch der Æneis, in dem Sylbenmasse des Originals. Greifswalde. 8.

— Die zweite Rede der Dido, mit dreierley Uebersetzungen verglichen. Vid. Jugendfrüchte des K. K. Theres. 2. Samml. Wien 1773. 8.

1775 Menalk und Mopsus, nach Virgils fünfter Ekloge. Frankfurt und Leipz. 8.

1777 Virgils Eklogen (von Neide.) Leipzig. 12.

— Die zweite Rede der Dido, aus Virgils Æneis gezogen. Vid. Deutsches Museum 1777. M. Merz.

1779 Sechzig Oden aus dem Horaz, und drey Eklogen aus dem Virgil (I. VII. et IX. von Ernst Wilh. von Wobeser.) Leipzig. 8.

— Orpheus und Eurydice (Georgic. IV. 454-527.) von Christian Graf zu Stollberg. Vid. Gedichte der Grafen Chr. und Fr. Leop. zu Stollberg. Leipzig 1779. 8. Add. Sammlung der besten zerstreuten Uebersetzungen. Berlin 1783. 8. p. 14. seqq.

— Erstes Buch der Æneide, metrisch übersetzt von Bodmer. In den litterarischen Denkmalen. Zürich 1779. 8.

— Virgils Æneis, erster Gesang, von Ch. Ad. Overbeck. In dem deutschen Museum 1779. 12. St. p. 489-517.

1780 Virgils Æneis, deutsch, mit einem Versuch erläuternder Anmerkungen für junge Leute, vorzüglich aus Lipparts Daktyliothek (von Lucas Vincent Seehusen.) Zwey Bände. Hamburg. 8.

1781 Virgils Eklogen, nebst einem Anhang einiger Idyllen (von Cludius.) Bremen. 8.

— Virgils Georgika aus dem Lateinischen übersetzt von Joh. Heinrich Jakobi. Halle. 8.

— Proben einer deutschen Æneis (Lib. I. et IV.) nebst lyrischen Gedichten von G. F. Streudlin. Stuttgard. 8.

1782 Virgils Eklogen, aufs neue verdeutscht von K. H. Jœrdens. Berlin und Stralsund. 8.

— Virgils Lehrgedicht von der Landwirthschaft in vier Gesängen. Aus dem Lateinischen übersetzt von J. F. Herz. Hamburg. 8.

Digitized by Google

1783 Des P. Virgilius Maro Gedicht von der Landwirthschaft, übersetzt von H. P. C. Esmarch. Flensburg und Leipzig. 8.

— Virgil von der Landwirthschaft, vier Bücher, metrisch übersetzt und mit Anmerkungen erläutert von J. C. F. Manso. Jena. 8.

— Virgils Landleben. Erster Gesang (v. 1-168.) von Voss. Im deutschen Museum 1783. Erst. St. pag. 10. seqq.

— Virgils Æneis, von Franz Regis Crauer. Zwey Bænde. Luzern. 8.

— Virgils Æneis, verdeutscht von Thaddæus Plazzary. Zwey Bænde. Biberach. 8.

— Das erste Buch der Æneis, übersetzt von Jœrdens. In der Sammlung der besten zerstreuten Uebersetzungen. Berlin 1783. 8.

— Æneis B. 2. v. 201-244. Laocoon. v. 469-553. Pyrrhus in dem Palaste. B. 3. v. 655-680. die Cyclopen. B. 4. Dido in der Grotte und Fama v. 160-188. Die zürnende Dido v. 362-387. Die geängstigte Dido v. 450-473. B. 5. Die Faustkæmpfer v. 368-472. Von Hottinger. In dem Schweitzerischen Museum. Erst. B. Zürich 1783.

— Æneis B. 4. v. 1-392. von einem Ungenannten. Vid. Sammlung der besten zerstreuten Uebersetzungen. Berlin 1783. p. 217-242.

— Virgils schœnste Episode vom Nisus und Euryalus, metrisch übersetzt und mit einigen Anmerkungen begleitet; ein Versuch (von Schnarr.) Rinteln und Leipzig. 8.

1784 Probe einer Uebersetzung von Virgils vier Büchern vom Feldbau, von H. C. Hirzel. In dem Schweitzerischen Museum. Zürich. 1784. St. 4. p. 379-382.

— Virgils Æneis, aus dem Lateinischen übersetzt von Joh. Fr. Herz. Leipzig. 8.

1785 Virgils erste Ekloge mit kritischen Betrachtungen von Mich. Engel. In Engels Magazin der Phil. und schœn. Litt. Dritt. St. 1785.

— Virgils fünfte Ekloge, von Weinrich. Im deutschen Merkur 1785. Mon. Aug.

— Lob der Philosophie und des Landlebens. (Georgic. II. 458-542.) Alles liebet mit Wuth. Die Liebe ist in allen dasselbe.

Digitized by Google

(Georgic. III. 219-285.) von Aug. Rode. Vid. Rodens phil. und andere Gedichte. Hamburg 1785. 8. p. 124. seqq.

— Virgils Æneide, übersetzt von Christ. David Jani. Erster Theil. Halle. 8.

— Nisus und Euryalus eine Episode aus dem neunten Buche der Æneis, von J. Alxinger. Im Neuen deutschen Merkur 1785. Repetita in ejusd. Poëmat. Clagenfurti 1788. 8.

— Versuch einer vollstændigen Uebersetzung des Virgils von Joh. Friedr. Herz. Hamburg. 8.

1786 Virgils siebente Ekloge, von Weinrich. Im deutschen Merkur 1786. Mon. Jul.

— Virgils Lehrgedicht von der Landwirthschaft, übersetzt von Joh. Friedr. Herz. Hamburg. 8.

1787 Virgils Eklogen, übersetzt von H. P. C. Esmarch. Schleswig. 8.

— Virgils Gedicht von der Landwirthschaft, übersetzt von H. P. C. Esmarch. Zweite Auflage. Flensburg. 8.

— Virgils Georgicon, in deutsche Hexameter übersetzt von Joh. Heinr. Jung. Mannheim. 8.

1788 Specimen novæ Georgicorum versionis dedit Jo. Henr. Voss in dem Musenalmanach 1788. Hamburg.

— Orkus und Elysium, ein Bruchstück aus dem sechsten Buche der Æneide (v. 265. ad fin.) von Neuffer. In Posselts wissenschaftlichem Magazin. B. 3. 1788.

1789 Virgils Hirtengedichte in deutschen Jamben und Hexametern frey übersetzt, und mit Anmerkungen begleitet (von Alexander Weinrich.) Marburg. 8.

— Pollio, Virgilii Ecloga IV. germanice vertit, notisque illustravit L. Christoph. a Burgsdorf. 4.

— Publii Virgilii Maronis Georgicon Libri quatuor. Des Publius Virgilius Maro Landbau, vier Gesænge. Uebersetzt und erklært von Joh. Heinr. Voss. Eutin und Hamburg. 8 maj.

— Virgils Æneas, deutsch, mit einem Versuch erlæuternder Anmerkungen für junge Leute, vorzüglich aus Lipperts Daktyliothek. Dritte verbesserte Auflage. Hamburg. 2 Theile. 8.

— Versuch einer vollstændigen Uebersetzung des Virgils von Joh. Friedr. Herz. Zweite Auflage. 8.

1790 Virgils Eklogen, metrisch ins Deutsche übersetzt und mit

Digitized by Google

Anmerkungen erläutert von J. G. Gericke. Breslau und Hirschberg. 8.

— Des P. Virgilius Maro Lehrgedicht vom Landbau, übersetzt von Carl Gottl. Bock, nebst einer Vorrede von Gottfr. Aug. Bürger. Leipzig. 8.

— P. Virgilii Maronis Bucolica et Georgica; des P. Virgilius Maro Hirtenlieder und Wirthschafsgedicht, erklärt von J. G. Brieger. Grotkau. 8.

1791 Virgils siebende Ekloge. Item die Tänzerin (Copa.) Von Voss. In dem Vossischen Musenalmanach 1791.

— —— fünfte Ekloge, von Denis. Vid. ejusd. 'Ossians und Sineds Lieder.' Wien 1791. et 92. 4.

— Proben einer neuen Uebersetzung der Æneis, von einem Ungenannten (IV. 296-392.) Vid. der Neue teutsche Merkur 1791. St. 6.

1792 Virgils fünfte Ekloge, von Voss. In dem N. teutschen Merkur 1792. St. 1.

— Versuch einer neuen prosaischen Uebersetzung der Æneide von Crede (I. 85-143. 521-578. VIII. 190-267.) Vid. ejusd. 'Animadversiones in loca quaedam vett. poëtt.' Marburgi 1792. 8.

— Das zweite und dritte Buch der Æneis, in Stanzen übersetzt von Fr. Schiller. In der Neuen Thalia. Erst. zw. und sechst. St. Leipzig 1792. 8.

1793 Virgils Hirtenlieder von J. A. H. Mühlhausen. 8.

— Tityrus, Virgils erste Idylle, von Voss. In dem Vossischen Musenalmanach 1793. p. 155.

— Virgils Lehrbuch von der Landwirthschaft, vier Bücher, von J. A. H. Mühlhausen. 8.

— Virgils Werke verdeutscht. Erster Band, dessen Æneide. Et alio titulo: Virgils Æneide in zwölf Büchern aufs neue übersetzt, nebst den nöthigen erläuternden Anmerkungen. Frankfurt am M. 8. Conf. an. 1805.

1794 Die Zauberin, Virgils achte Idylle, von Voss. In dem Vossischen Musenalmanach 1794. p. 52.

— Eadem Ecloga, interprete Mund. Vid. die Neue Blumenlese deutscher Originalgedichte und Uebersetzungen. Thorn. 1794. 8.

— Virgils Æneis, deutsch, mit einen Versuche erläuternder Anmerkungen für junge Leute vorzüglich aus Lipperts Daktyliothek. Leipzig. Vierte verbesserte Auflage. 8. 2 Theile.

Digitized by Google

— Das siebende Buch der Æneis, von Neuffer. In der Neuen Thalia Th. 4. St. 6. 1794. 8.

— Virgils Schild des Æneas aus B. 8. v. 608-728. von J. D. Hartmann. Vid. ejusd. 'Hesiods Schild des Herakles, nebst den Schildern des Achilleus und Æneas von Homer und Virgil.' Lemgo 1794. 8.

— Nisus und Euryalus. Aus dem neunten Buch der Æneis, vom Neuffer. Vid. das Conzische Museum für die gr. und rœm. Litteratur. Zürich und Leipzig 1794. 8. p. 130 seqq.

1795 Virgils vierte Ekloge übersetzt und erklæret von Joh. Heinr. Voss. Probe einer neuen Ausgabe. Altona. 8.

— Sechzig Oden aus dem Horaz, und drey Eklogen aus dem Virgil (von Wobeser.) Zweite verbesserte Auflage. Gœrlitz. 8. Vid. ad an. 1779.

— Virgils Landbau, ein Lehrgedicht in vier Büchern, aus dem Lateinischen übersetzt von einem Officier (Joh. Heinr. von Boguslawsky.) Berlin. 8.

1796 Virgils Æneis, ins Deutsche übersetzt von Joseph Spitzenberger. München. 8.

1797 Virgils vier Bücher von der Landwirthschaft, aus dem Lateinischen übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Joh. Heinr. Jakobi. Zweyte verbesserte Auflage. Berlin, b. Felisch. 8.

1797 et 1800 Des Publius Virgilius Maro lændliche Gedichte, übersetzt und erklæret von Joh. Heinr. Voss. Altona. 8. 4 Theile. c. textu Lat.

1799 Des P. Virgilius Maro Werke, übersetzt von Joh. Heinr. Voss. Braunschweigh. 8. 3 Theile.

1803 Dido. Freie Uebersetzung des vierten Buchs der Æneide, von Schiller. Vide Schillers Gedichte 2ter Thiel. p. 241. sqq. Leipzig 1803. 8.

— Virgils Georgika, neu übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von Karl Gottl. Bock. Kœnigsberg, bey Gœbbels und Unzer. 8.

1805 Virgils Werke verdeutscht. Zweyter Band. Et alio titulo: Virgils zehn Eklogen und vier Bücher vom Landbau, übersetzt und mit Anmerkungen begleitet von J. P. Krebs. Frankfurt am M. b. Hermann. 8. Conf. an. 1793.

1808 Virgils Æneis, ins Deutsche übersetzt von Joseph Spitzenberger. Zweite durchaus verbesserte Auflage. Straubing. 8.

Digitized by Google

ITALICÆ.

1476 P. Maronis Virgilii liber Eneidos feliciter incipit. In fine: 'O voi periti, et anche voi non docti, che legieretti over ascoltareti la nobile opera gia in verso componuda per lo famosissimo Poëta laureato P. Marone Virgilio, etc. et di puoi de verso in lingua vulgare reducta per lo litteratissimo greco Athanagio per consolatione de Constantio figliuolo de Constantino Imperatore, veramente senza dubio alcuno remanereti tutti lieti et contenti neli animi vostri—La qual opera è stata impressa ne la famosa citade de Vicentia. per Hermanno Levilapide da Colonia grande, ne lanno del Signore M. CCCC. LXXVI. adi Marti. XII. Marcio.' 4. Quis fuerit iste Athanagius Græcus, s. Atanagoras, ut aliis vocatur, nobis non cognitum.

1478 L'Eneide tradotta in prosa Italiana da Atanagora Greco. In Venetia. 4. s. n. typogr.

•• La Georgica di Virgilio. (Tradotta in terza rima da incerto.) 4. s. a. l. et typogr. circa an. 1480.

•• Prefatione di Bernardo Pulci nella Bucolica di Virgilio. In fine Eclogæ decimæ: 'Fine della decima et ultima egloga della Bucolica di Virgilio interpretata di latino in vulgare per Bernardo Pulci a Lorenzo de medici.' 4 min. s. a. l. et typogr.

1481 Prefatione di Bernardo Pulci nella Bucolica di Virgilio. In fine: 'Impressum Florentiae per me Antonium Bartholomei Miscomini A. D. MCCCCLXXXI. die ultimo Februarii feliciter.' 4.

— Virgilio Eneide, tradotto in lingua Italiana. In fine: 'Bononiae, per Ugonem de Rogeriis MCCCCLXXXI. die XXIII. Augusti.' 4.

— Eadem. In Milano, per Ugone de Rogerj. 4.

1484 Bernardi Pulcii versio Bucolicorum repetita Florentiæ 4. teste Mazzuchelli.

1491 L'Eneide di Virgilio. In fronte fol. 1. 'Incomincia il libro de lo famoso et excellente Poëta Virgilio Mantuano chiamato la eneida vulgare: nel quale si narrano li gran facti per lui descripti et appresso la morte de Cesare imperatore cum la morte de tutti le gran principi et homini di gran fama li quali ali di nostri sono stati in Italia come legendo chiaramente potrai intendere. In Bologna per Ugone de Rogerii 1491. die 23. Augusti.' 4. Sed

Digitized by Google

falso hunc librum versionibus Æneidis accenseri docet Morelli in Catal. Pinell IV. p. 284. 'Non è questo un Volgarizzamento dell' Eneide, ma bensì un Poëma d'autore ignote in ottava rima, in cui niente altro v'e dell' Eneide, fuoriche l'argomento.'

1494 Pulcii versio Bucolicorum recusa Florentiæ, per Ant. Barth. Miscomini. 4.

— La Buccolica di Virgilio in verso volgare tradotta da Evangelista Fossa. In Venezia per Christoforo de Pensis de Mandello. 4.

1520 Buccolicha vulgare de Virgilio composta per el clarissimo poëta frate Evangelista Fossa de Cremona del ordine de Servi. In fine: 'Impresso in Milano per Augustino de vicomercato. Ale spesse de Joanne Jacobo et fratelli de Legnano. Nel anno della nativita del nostro signor Jesu Christo MCCCCCXX. adi XX. de Luio.' 8.

1525 Il Daphni di Virgilio Egloca V. per il Luttareo dal Latino al volgare tradotta (in terza rima.) In Vinesia, per Gregorio de Gregorij. 8.

1528 Virgilio volgare, qual narra le aspre battaglie et li fatti di Enea, nuovamente historiato. In fine: 'Stampato in Vinegia per Nicolo ditto Zoppino di Aristotile de Ferrara. Ne l'anno de nostra salute MDXXVIII.' 8. Ex ed. 1476. repetita.

1532 La Eneide di Virgilio tradotta in terza rima. In fine: 'Stampato in Vinegia per Bernardino di Vitali Venetiano. MDXXXII.' 8. Auctor hujus versionis est Jo. Paul. Vasius, usus antiqua versione manuscripta Thomasi Cambiatoris, quam ita emendavit refinxitque, ut nova plane videri possit.

1534 P. Virgilii Mar. poëtæ Mantuani Æneidos liber quartus. Lo quarto libro dell' Eneida Vergiliana con verso heroico volgar in lingua Thosca tradotta per M. Nicolo Liburnio Vinitiano. In fine: 'Fine della trallatione di Nicolo Liburnio. Stampata in Vinegia per Gio. Antonio de Nicolini da Sabio. MDXXXIV.' 4.

1538 In secondo libro della Æneida di Virgilio tradotto in volgare (del Cardinale Ippolito de' Medici.) Romæ, apud Antonium Bladum. 4. Repetita 1539. et 1540.

1539 La Eneide tradotta in terza rima per Giovanpaulo Vasio. In Venetia. MDXXXIX. In fine: 'Stampato in Vinegia per Bernardino di Vitali Venetiano MDXXXVIII. Mese di Octobrio.' 8.

1540 Il secondo libro della Æneide di Virgilio tradotto in volgare

Digitized by Google

da Hippolito de Medici Cardinale. In Vinegia, per Gio. Antonio e Domenico Volpini. 12.

— Principio del libro secondo dell' Eneida in versi sciolti. Legitur in Opere di Sperone Speroni degli Alvarotti tratte da' Mss. originali. In Venezia 1540. Tom. IV. pag. 389.

— Il quarto di Vergilio tradotto in lingua Toscana in versi sciolti del S. Bar. Carli Piccolomini historiato. In fine: 'In Vineggia, per Giovannantonio e Dominico fratelli di Volpini. Ad instantia de Nicolo d'Aristotile detto Zoppino ne l'anno di nostra salute MDXL.' 8.

— Il sesto di Virgilio, tradotto in lingua Toscana in versi sciolti da M. Giovanni Pollio (Lappoli) Polastrino Nobile Arretino. In fine: 'In Vineggia, per Giovannantonio e Dominico fratelli di Volpini. Ad instantia de Nicolo d'Aristotile detto Zoppino ne l'anno di nostra salute MDXL.' 8.

— I sei primi libri del Eneide di Vergilio, tradotti à piu illustre et honorate Donne. Et tra l'altre à la nobilissima et divina Madonna Aurelia Tolomei de Borghesi, à cui ancho è indirizzato tutto il presente volume. In fine: 'Il fine de i sei primi libri di Vergilio, tradotti in lingua Toscana, et versi sciolti. Stampato in Vinetia per Comin de Trino.' Ad instantia de Nicolo d'Aristotile detto Zoppino. Nel anno MDXL. Adi XII. del Mese di Ottobre.' 8. Lib. I. vertit Alex. Sansedoni. II. Hippolitus de Medici, Cardinalis. III. Bernardinus Borghesi. IV. Bartol. Car. Picholomini. V. Aldobrandus, Nobilis Senensis. VI. Alex. Picholomini. Repetita ib. 1541. et 1544. 8.

1542 Il libro ottavo de la Eneide (in versi sciolti) per M. Giovanni Giustiniano di Candia. In Vinegia. MDXLII. In fine: 'In Vinegia per Giovann' Antonio et Pietro fratelli de Nicolini da Sabio, ad instantia di D. Francesco d'Asola.' 8.

1543 La Georgica di Vergilio da M. Ant. Mario Negrisoli Gentilhuomo Farrarese tradotta in versi sciolti. Alcune Rime del medesimo M. Ant. Mario di varie cose à diverse persone scritte, etc. Ogni cosa novissamente venuta in luce, et con somma diligenza stampata. In Venetia. In fine: 'In Venetia, per Melchior Sessa. Del MDXLIII.' 8.

1544 La Bucolica, tradotta da Vincenzio Menni. Perugia, per Girolamo Bianchino. 12.

1545 La Georgica di Virgilio nuovamente di Latino in Thoscana

Digitized by Google

favella per Bernardino Daniello tradotta e commentata. In fine: 'In Vinegia, per Giovanni de Farri et fratelli.' 4.

— L'undecimo libro di Virgilio, tradotto per Bernardino Daniello. In fine: 'In Vinegia, per Giovanni de' Farri et fratelli.' 8.

1546 Il Moretto, tradotto in versi sciolti per M. Alberto Lollio. In Vinegia, per Gabriel Giolito. 8. Recusa ibid. 1548. 8.

— Il settimo di Vergilio dal vero senso in versi sciolti tradotto per Giuseppe Betussi. Con una Elegia in fine sopra l'Eneida. In Vinegia, per Comin da Trino di Monferrato. 8.

1548 Il quarto libro dell' Eneide, di Lodovico di Lorenzo Martelli. In ejus Operibus Florentiæ 1548.

1549 La Georgica, tradotta per Bernardino Daniello. In Venetia, appresso Jo. Griphio. 4.

1552 La Georgica, tradotta in versi sciolti da M. Antonio Mario Negrisoli. In fine: 'In Vinegia, per Nicolo de Bascarini l'anno della nativita del Signore del mese di Febraio DMLII.' (sic) 8.

1554 Egloghe d'Andrea Lori a imitatione di Vergilio. In Vinegia, appresso Gabriel Giolito de Ferrari e fratelli. 12.

— Della Eneide di Virgilio detta in ottava rima dal Cavalier Alessandro Guarnello Romano, e de Cristoforo Cieco da Forli posto in luce, libro primo. In Roma, per Valerio Dorico. 4.

— Li primi quattro libri dell' Eneide, in ottava rima tradotti da Girolamo Zoppio. Bologna, per lo Benacci. 4. Recusa ibid. 1558. 4.

1555 Il VII. e l'VIII. libro dell' Eneide, tradotti in versi sciolti da Berardino Berardini. In Napoli, per Matteo Cancer. 8.

— Il VII. ed VIII. libro dell' Eneide dal Cerretani. s. a. et l. 8. Integra Cerretani versio lucem vidit 1560.

1556 L'Opere di Virgilio, cioè la Bucolica, la Georgica, et l'Eneida, nuovamente da diversi excellentiss. auttori tradotte in versi sciolti, et con ogni diligentia raccolte da M. Lodovico Domenichi, con gli Argomenti et Sommari del medesimo posti dinanzi a ciascun Libro. In Fiorenza. MDLVI. In fine: 'In Fiorenza. Appresso i Giunti.' 8. Singuli libri hujus collectionis diversos habent auctores. Bucolica vertit Andreas Lori. Georgica Bernardinus Daniello. Librum I. Æneidos Alex. Sansedoni. Secundum Hippolitus de Medici, Cardinalis. Tertium Bernardinus Borghesi. Quartum Lud. di Lorenzo Martelli. Quintum Thom. Porcacchi de Castiglione. Sextum Alex. Piccolomini. Septimum Jos.

Digitized by Google

Betussi. Octavum Leon. Ghini. Nonum Bern. Minerbetti Vescovo d'Arezzo. Decimum Lud. Domenichi. Undecimum Bern. Daniello. Duodecimum Paul. Mini.

1558 Della Eneide di Virgilio detta in ottava rima da M. Vincentio Menni libro sesto. In Fiorenza. 8.

1559 L'Opere di Vergilio, etc. In Vinegia, per Onofrio Farri e fratelli. 8. c. figg. Repetitio ed. 1556. ubi vid.

1560 L'Eneida in Toscano del generoso et illustre Giovine il Signor Cavalier Cerretani. In Firenze, appresso Lorenzo Torrentino Impressore Ducale. 4.

— Il secondo Libro dell' Eneide, dove si contiene la distruttione dell' antichissimo imperio d'Asia, tradotto in ottava rima da G. M. V. (Giovan. Mario Verdezotto.) In Venetia, appresso Francesco Rampazetto. 8.

1562 L'Opere di Vergilio, etc. In Vinegia, appresso Domenico Farri. 8. Similis ed. 1559.

— Della Eneide di Vergilio il quarto libro tradotto in ottava rima per M. Gio. Battista Filippi Genovese. In Genova, appresso Antonio Bellone. 4.

1564 Il primo libro della Eneide di Virgilio ridotto da Giovanni Andrea dell' Anguillara in ottava rima. In Padova, appresso di Gratioso Perchacino. 4. Recusa Venetiis 1565. 8. et Brescia 1605. 12.

1566 Le Pastorali Canzoni di Virgilio, tradotte (in verso sciolto) da Rinaldo Corso. Appresso Astolfo de Grandi Veronese in Ancona. 8.

— Il primo libro dell' Enea di M. Lodovico Dolce. Tratto dall' Eneida di Virgilio. In Venetia, per Giorgio de' Cavalli. 8.

— Il sesto libro dell' Eneida, ridotto da M. Castore Durante in ottava rima. In Roma, appresso Giulio Bolano. 4.

1567 L'Opere de Vergilio, etc. In Venetia, appresso Domenico Farri. 8. Repetitio ed. 1562.

— I sei primi Libri della Eneide, detti in ottava rima da M. Vincentio Menni Perugino. In Perugia. MDLXVII. In fine: 'In Perugia, per Andrea Bresciano.' 8.

1568 L'Opere di Vergilio, etc. In Vinegia, appresso Domenico Farri. 8. Ex ed. 1567.

— L'Opere di Vergilio, etc. Venetia, per Giorgio Cavalli. 8. Repetitio ed. 1556.

Digitized by Google

— L'Enea di M. Lodovico Dolce tratto dall' Eneida di Virgilio. In Venetia, per Giovanni Varisco e compagni. MDLXVIII. In fine: 'In Vinegia, appresso Giovan Varisco e compagni. MDLXVII.' 4.

— Il quarto libro dell' Eneide, in ottava rima di M. Stephano Ambrogio Schiappalaria. Con alcune annotationi di uno suo familiare, poste nel fine. In Anversa, per Christophoro Plantino. 12.

— In quarto libro della Eneida, ridotto in ottava rima da Nicolo de gli Angioli. In Roma, per gli heredi di Antonio Blado Impressori Camerali. 4.

1569 Della Eneide di Virgilio detta da M. Alessandro Guarnelli in ottava rima, et da Christoforo Cieco da Forli posto in luce, libro primo. In Venetia, appresso Dominico de' Franceschi. 8. Repetita ibid. apud eundem 1570. et 1572.

— Il quarto libro dell' Eneida, ridotto in ottava rima da M. Castore Durante Accademico Viterbese. Viterbo, per Agostino Colaldi. 4.

1573 L'Opere di Virgilio, etc. In Venetia, appresso Domenico Farri. 8. Recusa ex ed. 1568.

— Il secondo libro dell' Eneide, ridotto da M. Alessandro Guarnello Romano in ottava rima. In Venetia. Ad instantia di Christoforo Cieco da Forli. In fine: 'In Ven. Appresso Dominico de' Franceschi.' 8. Recusa Venetiis 1574. et 1579. Urbini 1578. 8. Genuæ 1602. Bresciæ 1605. 12.

1576 Il sesto libro dell' Eneide, ridotto in ottava rima da Marc' Antonio Garra di Bene, Medico e Filosofo. In Milano, per Paolo Gottardo Pontio. 8.

1581 L'Eneide di Virgilio Mantuano commentata in lingua volgare Toscana da Giovanni Fabrini da Fighine, et Filippo Venuti da Cortona. Con ordine, che l'espositione volgare è dichiaration della Latina, et la Latina dichiara la volgare, etc. In Venetia, appresso Gio. Battista Sessa et fratelli. In fine: 'In Venetia, nella stamperia de' Rampazetti. Ad instantia de Giovambattista Sessa et fratelli. MDLXXXI.' fol.

— L'Eneide di Virgilio de Commendatore Annibal Caro. In Venetia, appresso Bernardo Giunti et fratelli. 4.

1586 L'Opere di Virgilio, etc. In Venetia, appresso Giacomo Cornetti. 8. Sequitur ed. 1573.

— L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro, di nuovo ricorretta et ristampata. La Bucolica et la Georgica di Virgilio

Digitized by Google

tradotte in versi sciolti: l'una da M. Andrea Lori; l'altra da M. Bernardino Danielli. Di nuovo ricorrette et ristampate. In Mantova, per Francesco Osanna. 12.

1587 Il quarto libro dell' Eneida, ridotto in ottava rima da Ercole Udine. Mantova, per l'Osanna. 4.

1588 L'Opere di Virgilio Mantuano. Cioè la Bucolica, la Georgica, e l'Eneide. Commentate in lingua Toscana, da Giovanni Fabrini de Fighine, da Carlo Malatesta da Rimene, et da Filippo Venuti de Cortona. Nuovamente ornate di vaghe et bellissime figure. In Venetia, appresso gli heredi di Marchio Sessa. fol.

1592 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. In Venetia, appresso Bernardo Giunti. 4.

1593 L'Opere di Virgilio, etc. In Venetia, appresso Paulo Ugolino. 8. Eadem cum ed. 1586.

1596 Eadem, ibid. apud eundem. 8.

1597 Tutte le Opere di Virgilio spiegate e commentate in volgare da Gio. Fabrini, Carlo Malatesta, e Filippo Venuti. In Venezia. fol.

— L'Eneide di Virgilio ridotta in ottava rima dal S. Hercole Udine. In Venetia, appresso Gio. Battista Ciotti. 4.

1600 Eadem, ibid. 12.

1603 La Bucolica di Virgilio, tradotta da D. Girolamo Pallantieri, rendendo verso a verso continuamente, et ora dopo la sua morte da Muzio Manfredi publicata. In Bologna, per Vittorio Benacci. 8. c. textu Lat.

— L'Opere di Virgilio, etc. In Venetia, per Nicolò Tebaldini. 8. Convenit cum ed. 1556.

1604 Tutte le Opere di Virgilio spiegate e commentate in volgare da Gio. Fabrini, etc. In Venezia. fol. Recusa ed. 1597.

— Dell' Eneide di Virgilio di Commendatore Annibal Caro. Roma, per Gio. Angelo Ruffinelli l'anno 1604. In fine: 'In Roma, ad instanza di Gio. Angelo Ruffinelli appresso Guglielmo Faciotto 1603.' 12. c. figg.

— Eadem. In Treviso, appresso Evangelista Deuchino MDCIV. In fine: MDCIII. 4.

1607 L'Eneide di Virgilio, ridotta dal Sig. Ercole Udine in ottave Toscane, e dallo istesso in questa terza impressione riformata, e conformata al senso dell' autore. Aggiunti i principij de versi Latini à ciascuna stanza con la quale sono tradotti. E nel fine

Digitized by Google

di ciascun libro vi sono le osservationi fatte da lui; con le quali si dicchiarano alcuni luoghi difficili di questo Poëma, e si dimonstrano le ragioni, che l'hanno mosso a tradurre molti di questi versi diversamente dall' altrui tradottione et interpretatione. In Venetia, appresso Bernardo Giunti e Gio. Battista Ciotti. 4.

— Egloga prima di Virgilio, tradotta da Constantino Sansonio. Ferumo. 4.

1608 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Roma, per Gio. Angelo Ruffinelli. 24.

— Eadem. Con l'aggiunta delli argomenti, e le figure in rame. In Padova, appresso Pietro Paolo Tozzi libraro. 4.

1609 Eadem. In Padova, per Pietro Paolo Tozzi. 1069. (sic) 24.

1613 Eadem. Con l'aggiunta degl' argomenti e le figure in rame. In Roma, presso Pietro Paolo Tozzi. 4.

— L'Opere di Virgilio, etc. In Venetia, appresso Pietro Miloche. 8. Recusa ex ed. 1603.

1614 La Bucolica di Virgilio. Nuova traduzzione di Sperindio Ghirardelli Venetiano. In Vicenza, per Giacomo Violati libraro in Venetia. 12.

1622 Calatia favola parabolica et virtuosa, del S. Frances' Antonio Tomasi Gentil'uomo Capoano. Con il Moreto di Virgilio posto dal medesimo in ottava rima. Milano, nella stampa Archiepiscopale. 8.

1628 L'Opere di Virgilio, etc. ut in ed. 1588. Nuovamente stampate et diligentemente corrette. In Venetia, appresso i Sessa. fol.

— L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. In Navona (Roma) alla Vittoria per il Sforzino. 24.

1627 Eadem. In Padova, per Pietro Paolo Tozzi. 16.

1637 Dell' Eneide di Virgilio fatta Toscana da Lelio Guidiccioni libri sette. Leguntur inter ejus carmina: Rime di Lelio Guidiccioni. Roma. 1637. 12.

1641 L'Opere di Virgilio, etc. ut 1588. Nuovamente stampate et diligentemente corrette. In Venetia, appresso li Guerigli. fol.

1642 Eneide Toscana del Sig. Lelio Guidiccioni dedicato co' suoi discorsi all' Em. Sig. Cardinale Antonio Barberino. In Roma, appresso Vitale Mascardi. 8.

1643 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. In Padova, appresso Pietro Paolo Tozzi. 4.

Digitized by Google

1649 La Eneide di Virgilio, volgarizzata da Teodoro Angelucci da Belforte. In Napoli, per Ettore Cicconio. 12.

1651 Eneide Libro II. tradotto in Sonetti da Paolo Galleni. In Firenza, per il Massi. 4.

1653 Eneida Libro III. tradotto in Sonetti da Paolo Galleni. In Firenze, per Gio. Antonio Bonardi. 4.

1654 L'Eneide di Virgilio, tradotta in rima Siciliana da Tomaso Aversa. In Palermo, per il Bua. Tom. I. 1654. Tom. II. 1657. Tom. III. 1665. 12.

— Dell' Eneide di Virgilio libro primo, tradotto (in versi esametri) da Bernardo Filippino. In Poësie di Bern. Filippini pag. 62. seqq. 8. s. a. et l. (Romæ, circa an. 1654.)

1659 L'Egloga prima di Virgilio in versi Italiani tradotta. In Poësie di Bernardo Philippini. Roma 1659. 8.

1678 Il Moreto, tradotto (in versi sciolti) da Ciriaco Basilico. Legitur in calce Petronii ab eodem Basilico versi. Napoli 1678. 12.

1680 L'Eneide di Virgilio di Bartolomeo Beverini. In Lucca, appresso Jacinto Paci. 12.

1681 L'Eneide di Virgilio, tradotta in ottava rima da Pier' Antonio Carrara. Con gli Argomenti del medesimo. In Venetia, per Gio. Francesco Valvasense. 12.

1683 L'Opere di Virgilio, etc. ut 1588. In Venetia, per Paolo Baglioni. fol.

— L'Eneide di Virgilio di Bartolomeo Beverini. In Lucca et in Bologna, per Gioseppe Longhi. 12.

1692 Eadem. In Roma, per gli eredi del Corbeletti. 12.

1697 P. Virgilii Mar. Opera, ab ipso primum edita, etc. paraphrasi Italico metro concinnata, exposita ab Octavio Scarlatino ad usum Poliantheæ. Bononiæ. fol. Conf. supra edd. h. a.

1699 L'Eneide di Virgilio Marone, transportata in ottava rima Neapolitana dal S. Giancola Sitillo. Con l'aggiunta all' ultimo d'un Catalogo, in cui si spiegano alcune voci e motti Neapolitani, per maggior facilità de chi legge. Abbellita con nobilissime figure intagliate in rame. In Napoli, nella nuova Stampa di Caratteri forastieri di Domenico-Antonio Parino. 12. 2 voll. c. textu Lat.

1700 Eadem, absque textu Latino. In Napoli, per Carlo Troijsi. 12.

— Giano Bifronte, overo l'Eneide, che composta in verso eroico Latino da Virgilio, e transportata in ottava rima Toscana da

Digitized by Google

Bartolomeo Beverini della Congregazione della Madre di Dio, si dedica all' Altezza di D. Livio Odeschalchi Duca di Sirmio, etc. In Roma, per il Barnabò. 4. c. textu Lat.

1701 L'Eneide di Virgilio, tradotta in ottava rima da Pier' Antonio Carrara. In Venetia, presso il Riva. 12.

1708 Bucolica di P. Virgilio Marone (in verso sciolto, da Antonio Ghisilieri). In Bologna, per Constantino Pisarri. 12. c. textu Lat. Repetita in ejusdem Carminibus: Poësie del Marchese Ant. Ghisilieri. In Bologna 1719. 12.

1714 Di Sertorio Quattromani Gentiluomo ed Accademico Cosentino Lettere diverse. 'Il IV. libro di Virgilio in verso Toscano' (sciolto). Trattato della Metafora, etc. Napoli, per Felice Mosca. 8.

1720 La Bucolica di Virgilio tradotta in terza rima dal D. Andrea Dimidri di Melpignano. Cogli argomenti et annotazioni non meno utili che necessarie per la vera e propria intelligenza di ciascheduna Egloga fatta dal medesimo autore. Napoli, per Nicolò Monaco. 12.

1728 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Con la giunta delle sue Rime notabilmente accresciute, e la Commedia degli Straccioni. In Verona, per Pierantonio Berno. 4.

— Eadem, ibid. per Pierant. Berno. 12.

— Eadem. Con gli Argomenti a ciaschedun Libro in ottava rima, e con la Tavola delle cose più notabili d'una si bell' opra, in questa ultima edizione la più corretta ed accresciuta. In Napoli, a spese di Bernardino Gessari. Nella stamperia di Felice Mosca. 8.

1733 et 1734 Raccolta di tutti gli antichi Poëti Latini colla loro versione nell' Italiana favella. In Milano. 4. Continentur: Tomo V. et VI. l'Eneide, tradotta dal Commendatore Annibal Caro. Tomo VII. Li libri della Georgica, tradotta da Bernardino Daniello, e La Bucolica tradotta da Andrea Lori.

1734 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. In questa impressione da molti errori espurgato. In Venezia, per Stefano Orlandini. 12.

1735 Eadem. In questa edizione di vaghe figure in rame adornato. In Venezia, per Stephano Orlandini. 12.

— Egloga prima di Virgilio, tradotta in versi Italiani. In Prose e Poësie del' Abbate Girolamo Tagliazucchi. In Torino. 1735. 8.

Digitized by Google

1738 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Nuova edizione adornata di figure in rame. Venezia, per Domenico Tabacco. 12.

1739 Di Virgilio Egloga VI. Legitur in Prose e Poesie del Ab. Antonio Conti. In Venezia 1739. Tom. I. pag. 329.

1740 Opere di Virgilio, cioè la Bucolica tradotta da Andrea Lori, la Georgica da Bernardino Daniello; con la vita dell' autore di Tommaso Porchacchi. In Brescia, per Giovanni Colombo. 12.

1741 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Venezia, per Domenico Tabacco. 12.

1742 La Bucolica di Virgilio tradotta all' Altezza Ser. di Giorgio Principe della Gran Britannia da Paolo Rolli Compagno della Reale Societa. Londra. 8. Repetita in Poëtici Componimenti del Sig. Paolo Rolli. Venezia 1753. 8. Tom. I.

1746 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Novissima edizione ornata di figure in rame, ed arrichita con le Traduzioni della Bucolica (del Lori,) Georgica (del Daniello,) e Vita del medesimo Virgilio. Venezia, presso Giammaria Lazzaroni, Domenico Tabacco, e Compagno. 12.

1749 La Georgica di Virgilio, tradotta in versi Italiani da M. Bernardino Daniello. In Napoli, presso Serafino Porsile. 8.

— Li due primi Canti dell' Eneide, tradotti in versi Italiani dal Sig. Giuseppe Torelli. In Verona, per Dionigi Ramanzini. 8.

1750 L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Venezia, presso Giammaria Lazzaroni e Domenico Tabacco. 12.

1757 Le Georgiche di Virgilio volgarizzate in versi endecasillabi sdruccioli da Francesco Cantuti Castelvetri Accademico Ducale. In Modena, per gli eredi di Bartolomeo Soliani. 8.

1758-1762 L'Opere di Virgilio, tradotte in versi Italiani da Antonio Ambrogi Fiorentino. In Roma. 8. 4 voll. Repetita ibid. an. 1763-1765. fol. 3 voll. c. textu Lat. Vid. supra edd. h. a.

1760 La Bucolica di Virgilio, tradotta verso per verso da Girolamo Pallantieri; publicata da Muzio Manfredi, etc. novellamente proposta a' dilettanti di belle lettere. Parma, dalle stampe de' fratelli Borsi. 4. c. textu Lat.

— L'Eneide di Virgilio del Commendatore Annibal Caro. Parigi, presso la vedova Quillau. 8 maj. 2 voll. c. figg.

1761 L'Eglogua X. di Virgilio. Inserta libro inscripto: 'Tempio di Guido del Barone de Montesquieu, con un saggio degli amori

Digitized by Google

de' più celebri Poëti Latini all' Italiana Poësia donato da Gio. Battista Vicini.' Londra 1761. 8.

1764 Opere di Virgilio Marone, tradotte nell' Italiana favella da N. N. (D. Giovanni Pizioli Veneziano.) Livorno, a spese di Domenico Ferrarini libraio Veneto. 8. 2 voll. c. textu Lat.

— Bucolica di Virgilio, tradotta in versi Italiani da G. G. G. (Gioachimo Gabardi Gesuita.) In Carpi. 8.

1765 La Buccolica e le Georgiche di Virgilio, tradotte in versi sciolti da D. Gian-Francesco Soave C. R. S. Con un Poëmetto della maniera di ben tradurre, e un' Orazione di S. Basilio del modo di trar frutti da' libri de' Gentili. In Roma, nella stamperia di San Michele, per Francesco Bizzarini Komarek. 8.

1766 Le Georgiche, tradotte da Presp. Manœo. Parma. 4.

1768 Le Georgiche, tradotte da Alessandro Biancoli. Pesaro. fol.

1790 L'Eneide di Virgilio, tradotta in versi Italiani da Clem. Bondi. Parma. 8. 2 voll.

1792 L'Eneide di Virgilio volgarizzata dal Bar. Beverini. In Neapoli, per Saniacomo. 8.

1797 Le Georgiche di Virgilio, tradotte in versi Italiani da Lod. Antonio Vincenzi. Modena. 8.

1800 Le Georgiche, tradotte in versi Italiani da Clem. Bondi. In Vienna. 4. c. textu Lat.

... Il primo libro dell' Eneide, tradotto in ottava rima da Alessandro Guarnello. In Venezia. 8. s. a. et typogr.

... Il Moreto tradotto in ottava rima da Vincenzo Rai Pratese. Firenze. 8. s. a. et typogr.

DANICÆ.

1680 Bucolica Danico carmine reddidit Petr. Jan. Roiskilde. Hafniæ. 8.

— Georgica, interprete Mich. Christ. Raun, s. Corvino. Hafniæ. 8.

— Bucolica et Georgica, interprete Petro Barous, Ripensi. Hafniæ. 8.

1709 Bucolica, interprete Andr. Trane. Sub titulo: 'Comœdiæ Bucolicæ Mantuanæ.' Hafniæ. 8.

1753 Bucolica et Georgica, per F. Ch. Schœnau. Hafniæ. 8.

Digitized by Google

1781 Bucolica, Danice, cum textu Lat. ita ut singuli poëtæ versus singulis versibus Danicis exprimantur, per S. H. Wold. Hafniæ. 8.

1796 seqq. P. Virgilius Maro's Æneis, efter den Latinske Original ved N. Lang. Nissen. Kopenhagen. 8.

1797 Virgilius om Landbrug. Kopenhagen.

SUECICÆ.

1740 Eclogæ Suecicis versibus redditæ prodierunt Holmiæ. 4. Repetitæ ibid. an. 1752. 4.

1751 Æneis, interprete A. Nicandro. Holmiæ. 4.

1804 Virgilii Æneis, öfwersett af G. J. Adlerbeth. Stockolm. 8 maj.

POLONICÆ.

1590 Polonica Æneidis versio Andreæ Kochanowski Cracoviæ excusa 1590. factaque rarissima; pariterque rara:

1614 Valentini Otwinowski Georgicorum versio: quæ utraque recusa

1755 cum nova Bucolicorum versione, et vita Virgilii Polonico sermone plenius scripta, et Zaluskii Comitis, Magni regni Pol. Referendarii, Bibliotheca poëtarum Polonorum, qui patrio sermone scripserunt, Varsoviæ apud Patres piarum scholarum, sumtibus bibliopolæ regii in Marceville Nicolai. 4.

HUNGARICÆ.

1789 Bucolica in linguam Hungaricam vertit I. Rainis, Presburgi. 8.

1799 et 1804 Æneis, interprete Jos. Kovats. Comaronii, ap. viduam Weinmülleri. 2 voll. 8. Titulus: 'Magyar Eneis, avagy P. Virgilius Marónák Eneás' viseltt dolgairól irtt munkaja. Mellyet Magyar versekbe foglalván Kiadott Kováts Jó'sef, Nagy Kôrôsi Prédikátor.'

GRÆCÆ.

1553 Æneidos liber secundus Græcis versibus redditus per Geor-

Digitized by Google

gium Ethrigeum Oxoniensem Medicum et Græcæ linguæ Professorem. Londini, apud Reginaldum Wolfium. 8. Maittair. Ind. pag. 329.

1563 Moretum, Græca metaphrasi donatum a Jos. Scaligero, occurrit inter ejus Poëmata, ab auctore oblata Petr. Ronsardo a. 1563.

1583 Pollio, Ecloga IV. Græcis versibus expressa ab Eusebio Pamphilo. Lutetiæ, apud Frid. Morellum. 4. Recusa in Maittair. Miscell. Carm. pag. 139. et in Heynii Excursu I. ad hanc Eclog. addita crisi et nota literaria.

1594 Bucolica in Græcum sermonem translata auctore Dan. Alsworth, Anglo. Romæ. Recusa Parmæ an. 1779. una cum Theocrito, Moscho, Bione, Simmia, etc. 2 voll. 4. Vid. supra edd. h. a. pag. CLXXXIV.

1604 Gallum Dorico carmine reddiderunt Jos. Scaliger et Dan. Heinsius. Utraque metaphrasis occurrit in Theocrito Heinsii 1604. edito ap. Commelin. 4.

1786 Τῶν Γεωργικῶν Πουβλίου Οὐιργιλίου Μάρωνος τὰ Δ' βιβλία. Georgicorum P. Virgilii Maronis Libri IV. Græco carmine heroico expressi notisque perpetuis illustrati studio ac labore Eug. de Bulgaris. Petroburgi. fol.

1791 Æneidos P. Virgilii Mar. Libri XII. Græco carmine heroico expressi, notisque perpetuis illustrati studio ac labore Eug. de Bulgaris, qui typis nunc primum ad usum Helleno-Rossiæ juventutis, Græcorum in Rossiaco imperio coloniarum, erudiendæ sunt excusi, jussu Imper. omnium Rossiarum Catharinæ II. Petroburgi. fol.

ÆNEIS VERSIBUS LUDICRIS EXPOSITA.

VERSIBUS *Italicis* ludicra et maccaronica dictione Æneiden prodidit Jo. Bapt. Lallus,[1] Romæ 1633. 8. 1634. 12. Venetiis

NOTA

[1] De hoc *Lallo* Nursiensi videsis Elogia Academiæ incognitorum pag. 221. Janus Nicius Erythræus Pinacothecæ I. cap. 73. pag. 131. 'Virgilii Bucolica et Æneidos libri Etrusco carmine miro lepore ac venustate, facetis amœnisque sententiis in ridiculum conversi: quo in genere scri-

Digitized by Google

1635. 1651. 12. et Maceratæ 1651. 12. unde Paul. Scarronius ansam sumsit *Gallicis* versibus maccaronicis idem tentandi in septem libris Æneidis prioribus (Virgile travesti Paris 1648. 4. repet. ibid. 1652. 1655. 1667. etc. tum in ejusdem Opp. 1737.) et meliori etiam, ut urbanis et doctis videtur, cum successu; vid. Menagiana Tom. III. pag. 145. et Naudæi Dialogum Mascurati et S. Angeli, etc. Postremos vero quinque libros simili genere carminis post Car. Coipeau d'Assouci suppleverunt Jac. Morellus Braseus (Messire Jacques Moreau, Chevalier, Seigneur de Brasey, Capitaine de Cavalerie dans le Régiment de Cuirassiers Espagnols du Comte de Louvigni) Amst. 1716. 12. et Tellierus d'Orville Paris. 1767. 12.[1] Hispanice quoque Toledi 1648. 4. prodiit 'Virgilio degustato, o l'Eneido burlesco en lengua Guasconne del Sr. des Valles de Mountech:' *Anglice:* Scarronides, sive libri I. et IV. Æneidos, carmine Anglico ludicro, Londini 1664. et 1678. 8. auctore Car. Cotton, sæpius dein repetiti; Cataplus, or Æneas his descent to Hell, a mock Poem in imitation of the sixth of Virgil's Æneis. London. 1672. 12. nescio quo auctore; Maronides, or Virgil travestie (lib. V. et VI.) by John Philips. London 1672. et 1673. Scarronides, a mock-Poem on the second Book of Virgil's Æneis in English Burlesque, by John Smyth. London. 1691. 8. The Story of Æneas and Dido, from the fourth Book of the Æneid, burlesqued. Charlestown. 1774. 8. Belgice, libri duo primores Æneidis auctore W. G. van Foquenbroch, in ejus Thalia, Amst. 1679. Germanice: Virgils Æneide (lib. I.-IX.) travestirt von Blumauer. Neue Auflage. Leipzig. 1803. 8. Lepidissimum carmen, invita Minerva continuatum a Carl. Schabero, Francofurti et Lipsiæ 1794. Russico tandem idiomate: Jeneida na Malorossijkij jazyk parelitzio-vannaja J. Kotliarevskim. Petroburgi 1801.

Hujusmodi dictione ludicra sive maccaronica, ut obiter id attingam, primus apud Italos usus est Theophilus Folengus sub Merlini Coccaii nomine: nam perinde ut Fidentianus phrasin Latinam vocesque per jocum immiscuit idiomati Italico, sic ille verba Italica

NOTA

bendi sale facetiisque Lallius omnes sui ævi superavit.' Alios ludicri carminis scriptores refert Jul. Niger p. 185. Bibliothecæ scriptorum Florentinorum, ubi de Franc. Bernio.

[1] Add. 'Virgile gougenard, ou le XII. livre de l'Énéide travesty par Claude Petit-Jehan, Avocat. Paris 1652.' 4.

Digitized by Google

et phrases Hetruscas Latinæ inseruit compositioni, quod deinde Galli, Belgæ, et aliæ nationes sunt imitatæ. Sed illud scribendi genus aspernatur Boilavius in Arte poëtica carmine I. Menagius in Originibus Gallicis pag. 141. et in Miscellaneis Italice editis pag. 322. seq. et multis reprehendit Franciscus Vavassor in libro politissimo ac pererudito de ludicra dictione. Verum si otiosis hominibus placet ridere, ita etiam moveri risum, quid vetat?

Hic explicit Sociorum Bipontinorum Notitia, et nostra incipit: sed inprimis Lectorem in transitu præmonendum volumus, nos, etsi Didoti (Paris. 1797.) et Dulavii (Lond. 1800.) editiones nos non evaserint, earum tamen descriptiones quæ in tabula præcedenti, ed. 2da Argentorati 1808. impressa, prostabant, ex hac nostra rejecisse; partim, quod illæ nimis parcæ fuerant, nec satis eas editiones pro magnitudine et venustate illustraverant; partim, ut, quæ jam diximus, ibi, ubi portum tenuerat Heynius, nos in nostram naviculam conscenderemus.

1798 Publius Virgilius Maro. Bucolica, Georgica, et Æneis. Parisiis. In ædibus Palatinis. M DCC XCVIII. Reip. VI. Excudebat Didot, natu major. Fol. pp. 572.

Hæc editio, tam notis quam commentariis incomitata, nihil offert quod artem criticam aut grammaticam exercere, vel juventutis præceptores sublevare, vel ipsi juventuti studiosæ opitulari, queat: sed tamen suas habet laudes, et eas maximi momenti.

In brevi præfatione enuntiare ausus est Didot, celeberrimas editiones P. Burmanni, Chr. G. Heyne, et Ricardi Brunck erroribus (typographicis nempe) nullo modo vacare, neque etiam Wakefieldi; at quidem editionem Parmensem vel Bodonianam, in ædibus Palatinis, ' in ipsa Virgilii patria, astantibus sacris Poëtæ Manibus, excusam; illam omnium ubique prostantium esse vitiosissimam, etsi, ut in præfatione Bodoniana legitur, luculentissime in folio emissa, charta magna, grandioribus typis, omnique typographico

Digitized by Google

luxu adornata est.' Plurima exempla, eorum quæ in editione Bodoniana menda sunt, præbet Didot. Et hinc fertur ad laudes suæ editionis promulgandas; de qua editor curiosus: 'vigiliis curaque non levi fretus, sed adhuc perspicacis lectoris sagacitatem reformidans, ab omni typographico mendo purgatam ausim pronuntiare.'

Adjiciendum est, interpunctionem esse exactissimam, et novos typos, immo ut Didot ipse affirmat, 'notorum huc usque omnium elegantissimos,' hanc editionem exhibere; purissima et candidissima charta nitentem, et viginti tribus æreis tabulis, arte summa incisis, et ab eximiis pictoribus, Gerard et Girodet (Davidis discipulis, et ei proximos in arte sua honores occupantibus) elaboratam et perpolitam.

Ex præmissis constabit, hanc editionem esse admirandam, et quo minus eos flores vel fructus, quibus homines acuti et critici naris oblectari solent, emittit, eo magis eas illecebras, quibus suam aliis præstitisse editionibus præ se fert Didot, redolere; immo dignissimam evasisse quæ magnatum principumque κειμήλια et bibliothecas publicas ornet, quippe ob pulchritudinem et magnificentiam inter omnes Latinorum poëtarum editiones facile princeps.

1799 P. V. M. Opera. Cura Hunteri. Andreopol. 12mo. 1799 2 vols.

Hæc editio Andreopoliensis, si fas sit conjicere, Edinburgensem æmulari constituebat, et, ut verum fateamur, longe superabat. Hæc immerito audiit, quoad *typicos errores, immaculata;* illa, si hoc dicere liceat, est *longe immaculatior.*

Hunterus, ob lecturas Andreopoli habitas, philologici et critici ingenii famam, ut audivimus, obtinuit, et utinam, cum editoris munus obiturus erat, magis more critico egisset, et notas quasdam Virgilio suo subtexuisset; sed οὐ γρῦ, nisi quæ in præfatione dederit; nec libros argumentis nec indice instruxit, etsi ipse idem duos indices Cæsari, a se edito, bene subjunxit. At simul, quod conabatur, vir acutus bene perfecit. Textum sequitur Heynianum; quoad typos et interpunctionem editio est accurata, et digna quæ virorum literatorum manibus teratur.

Digitized by Google

1800 P. V. M. Opera. Dulau. Lond. 1800. 2 Vol. 8vo.

Hæc Editio, parcius, et ante Didoti, a Bipontinis jam memorata, splendidissima simul et correctissima, Didoti ad amussim sequitur: tabulisque curiose ornatis, et arte summa sculptorum Britannicorum nitens; et simul solita, quoad errores typographicos, ut vocantur, audire *immaculata*, fit digna, quæ in bibliothecarum publicarum pluteis locum, nobilissimo illi Gallico exemplari proximum, possideat.

1808 P. V. M. Opera, cum Notitia Literaria, studiis Societatis Bipontinæ, 2 Vol. 8vo. Prodiit editio prima Biponti a. 1783. Secunda hæc Argentorati a. 1808. sub eodem titulo, nisi quod, Manilio huic editioni non adjecto, 'accedit M. Manilii Astronomicon' omittatur.

Vita Virgilii, a quibusdam Donato perperam ascripta, cum Notitia Literaria de P. Virgilio, in secundo hujus editionis 2dæ tomo extat, quæ prius in primo. Correctior simul et nitida, at sine notis, prodit hæc, nisi hic et inde in Notitiis Literariis: non figuris et ornamentis Heynianis splendet, sed ampla et utilissima Heynii Argumenta, libris singulis præmissa, retinet. De Literariis ejusdem Notitiis, cum in manibus sint, Lector judicabit.

1809 P. V. M. in usum scholarum ad novissimam Heynii editionem exactus, excisis Disquisitionibus, Excursibus, et notis quæ ad juniorum commoditatem minus pertinere videbantur. Lond. 1809. 8vo. pp. 700.—Primo ed. 1793. vid. h. a.

Editio est fere accurate simul et eleganter impressa, et juventutis usui, quod in proposito habuisse profitetur, inprimis idonea: præter ea, quæ prædicavit editor, Argumenta Heyniana, sed multum abbreviata, retinet, et indicem nominum propriorum, gentilium, et aliorum memorabilium utilissimum, a Jo. Alex. Ruperto Bremensi confectum, et novis curis emendatiorem et locupletiorem, subjungit.

1813 P. V. M. Bucolica, Georgica, et Æneis. Editio stereotypica. Parisiis. Ex officina stereotypica Petri Didot natu maj. et Firmini Didot. 1813. fol. pp. 390.

Digitized by Google

Idem editor, qui in editione majori, supra memorata, plurimas preli maculas in aliis editionibus notaverat, una cum illis nunc præmittit Elzeviriana impress. 1636. et Edinburgensem 1755, et notat: 'on ne peut trop apprécier *les nouveaux procédés* stéréotypes des citoyens Firmin Didot et Herhan—procédés à l'aide desquels ils sont sûrs de porter au dernier degré de perfection cette correction si rare et si difficile.' Recte omisit editor Parisiensis *invenit*, nam a prelo Glasguensi plurimis abhinc annis prodiit Sallustius arte stereotypica impressus.[1] Sit vero laudi Didoto, quod officinam suam stereotypicam perfecerit, et quam plurima volumina illa felici arte excuderit. Eam puritatem quæ stabiles typi possunt promittere, liceat hic expectare; at simul, quoad textum ipsum, lectores hoc editor hortatur: 'on les prie de consulter préliminairement les textes de Heinsius, Heyne, Burmann, Brunck, et autres, afin d'éviter de part et d'autre l'embarras et les frais d'une correspondance qui deviendroit alors pour le moins inutile.' 12mo pp. 390.

1816 P. V. M. Opera. Ad fidem optimorum exemplorum castigata. Ed. 2da. Londini, in ædibus Valpianis, 1816. 12mo. pp. 381.

Nitida hæc editio præ se fert tam prioris editionis maculas correxisse, quam ad fidem exemplarium optimorum, Heinsii, Burmanni, Brunckii, Heynii, Wakefieldi, castigatam esse, et ex variis lectionibus eas selegisse quæ menti Virgilii viderentur accommodatissimæ. Hæc etiam sine notis.

1817 P. V. M. Bucolica, Georgica, et Æneis. Accedunt in gratiam juventutis notæ quædam Anglice scriptæ. Edit. 2da. Londini in ædibus Valpianis, 1817. 12mo. pp. 640.

NOTA

[1] Crispi Sallustii Hist. Edinburgi. Gulielmus G. Aurifaber Edinensis non typis mobilibus, ut vulgo fieri solet, sed tabellis seu laminis fusis, excudebat MDCCXLIV. Duo exemplaria hujusce edit. vidimus: unum in Scotia, alterum in Biblioth. Regi. Institut. Lond.

Digitized by Google

Quod ad auctorum Classicorum exemplaria pertinet, in usum juventutis proposita, 'quot homines, tot sententiæ.' Hæc editio eundem sapit modum quem varii libri, ex officina Valpiana, in usum scholarum designati; nihil *Ordinis*, vel *Interpretationis*, vel *Versionis Anglicæ* continet. Quod ad notas Anglice scriptas attinet, nemo non operam hanc probabit: ex quibus multæ ex Delphiniis, Professorumque Martyni et Heynii editionibus, multæ e Servio, et præstantissimis I. H. Vossii in Eclogas et Georgica notis derivantur. Notandum vero, quod non ad res historicas, aut mythologicas, chronologicas, aut geographicas, spectant hæ notæ. In talibus opem suppeditabit Lemprierianum vel aliud quodvis boni nominis Dictionarium. Textum illustrare hæc editio conatur, et nihil ultra: quod tamen ad errores typicos spectat, si non penitus immaculata, rarissime tamen claudicat.

1818 P. V. M. Opera, et nonnulla ejusdem opuscula. Recensuit et accuravit, ex edit. C. G. Heyne, Johannes Carey, LL. D. Lond. 1818. 12mo.

Hæc audit 'Regentis Editio,' quæ sine notis vel aliis quibusvis literariis adjumentis prodit, (ut quidem plurimæ famæ felicis editiones videri solent) sed fideliter et eleganter a viro in prelo bene versato, nec minus criticæ et grammaticæ scientiæ perito, recensetur.

1819 P. V. M. Opera. Ex edit. Chr. G. Heyne. Cum notis in usum Delphini. In usum scholarum. In ædibus Valpianis. Lond. 1819. 8vo. pp. 638.

Hæc editio ob oculos lectoribus est; et longo jam tempore cognita multumque laudata, non requirit ut nunc a nobis plura de ea dicantur. Profitetur hoc exemplar in usum juventutis prodiisse; et sufficiat si typos nitidos et textum correctum exhibeat, si recte, industriæ, et eo magis certo quo magis lento juventutis progressui consulens, Interpretationem rejecerit; Argumenta singulis libris præfixa, atque omnes notas non minus recte retinuerit.

Digitized by Google

RECENSUS CODICUM.

Codicum recensum dabimus qualem ipsa res offert; in plerisque exilem, modo locupletiorem. Satis enim constat, eos, qui primi veteres scriptores typis expressos vulgarunt, nec magis superioris et hujus sæculi plerosque editores, de codicum, quibus usi sunt, ætate ac bonitate aut judicium omnino nullum, aut parum subtile, aut omnino parum ex artis diplomaticæ notionibus et præceptis constitutum, tulisse. Plerumque itaque non habes cui recte innitaris, inprimis quoties antiquitatem codicum crepant. Expeditius judicium est de bonitate: ea enim ex ipsa lectionis exploratione et comparatione cum aliis cognosci potest; atque hoc tenere præstat. Anteit omnes codd. veneranda vetustate

I. Codex Vaticanus, Ms. 3225, in quo fragmenta nonnulla Virgilii, a Georg. III. 1. inde, servata sunt, quemque cum picturis æri incisis exscriptum ad ipsam libri scripturam exprimi curavit Jo. Caiet. Bottarius in volumine inscripto:

'Antiquissimi Virgiliani codicis fragmenta et picturæ ex bibliotheca Vaticana ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartholi incisæ. Romæ. Ex Chalcographia R. C. A.' (Romanæ Cameræ Apostolicæ) 'apud Pedem Marmoreum 1741, gr. fol.'

Inscriptus liber Benedicto XIV. a Jo. Dominico Compiglia Chalcographiæ C. A. Præf. Sed, quæ præmissa est, erudita præfatio Bottario debetur. Primum exemplum picturarum Camilli Cardinalis Maximi (de Maximis) jussu Bartolus tabb. LV. ære expresserat. Pauca ab hoc ære erant exempla ducta; in quibus cum prima pagina radio exarata vacuum literis recipiendis haberet spatium, titulus cum anno ab aliis aliter est suppletus. In Bibliotheca nostra academica est exemplum s. a. Aliud vidimus a. 1725., aliud anni 1677., 4. in Memorab. Biblioth. Dresd. T. II. n. 317. Quid quod iterum 1782. Venant. Monaldinus lucrum ex eo recu-

Digitized by Google

dendo quæsivit? Tandem præclaro consilio Bottarius totum codicem vulgare instituit.

Est autem ille codex membranaceus quadrato volumine, ad nostri fere quaternionis formam, a librario imperitissimo, quo ipso fides ejus et auctoritas tanto major est, majusculo et quidem capitali Romano rustico châractere, continuis vocibus, sine interpunctione exaratus, quam tamen recentior et indocta manus passim supplevit, picturis exornatus; quibus ille multo etiam magis, quam scriptura inter viros doctos celebrari cœpit. Scriptura deflexa est ad molliorem pronuntiationem: v. c. *impositi, alligat*, non, *inpositi, adligat*. Jam quæ de Codicis ætate a doctiss. Bottario et a PP. Benedictinis[1] disputata sunt, hic quidem repetere non possumus. Si tamen hos, tanquam doctiores judices, audias, et Italis, quicquid pravum ad majorem vetustatem omnia revocandi studium comminisci jussit, condones: quantum quidem in re incerta conjectando assequi licet, non ultra sæculum v. assurgere ea vetustas videtur. Nam, quod præcipuum opinionis de multo majore antiquitate præsidium a picturæ artificio ac nitore petitur, id nec magis tutum ac firmum est. Potuit enim seriore quamvis ævo bonum aliquod ingenium meliora sequi, et, si ex vetustiore libro hæ ipsæ picturæ expressæ sunt, quod certe majoris in vestibus, armis, et aliis rebus antiquitatis vestigia nonnulla suadent, antiquiorem ac meliorem rationem exprimere. Nec tamen valde vetusti moris vestigia in his picturis deprehendas, nec laudis, qua picturas illas efferunt, justas et idoneas causas esse videas. Nec enim subtilitate linearum nec formarum elegantia illæ se commendant; ratione partium, symmetria, et multo magis optices lege ac fide, peccant omnes. Inveniendi vero et ordinandi artificium omnino nullum. Sed mirationem colorum claritates et varietates facere videntur; de linearum veritate et artificio judicium ex Bartolina opera parum tuto forte instituas, cum in ea, monente Stuarto,[2] multum ingenio suo indulserit bonus Bartolus. Possunt tamen vel sic nonnulla cum voluptate et cum fructu ex antiquitate rerum aspectui proponi: occurrunt templorum et ædicularum formæ plures nec inelegantes,

NOTÆ

[1] Nouveau Traité de Diplomatique. Tom. III. p. 56. 57.

[2] Antiquities of Athens p. 29. (c). Ceterum picturam viri Trojani amicti, sedentis, ex hoc codice laudari video a Pignorio Origg. Patav. c. 12. p. 68., quam in Bottarii opere non reperio.

Digitized by Google

ut p. 134. aere cum sacris. Orpheus pileo, quod mireris, Phrygio caput indutus p. 21. et 177. Navis XVI. remorum, alia XVIII., alia X., aliquot XXVI., XXII. remorum: si modo artificis imperitia numerum curavit. Neptunus et Venus cum sceptro ad Æn. V. 779. Urna Minois ad VI. 431 miro modo expressa p. 110., tela Circes p. 129., Juno cum Alecto p. 142., Juno Janum reserans p. 148.

Fuit hic liber, quod in fronte notatum legitur, primum Joviani Pontani, tum Petri Bembi (v. inf. de Bembi codd.), mox Fulvii Ursini, qui eum bibliothecæ Vaticanæ, cui præerat, cum aliis Codd. intulit. Neminem adhuc de hoc codice inspiciendo solicitum ante se fuisse videri, docet Bottarius p. V. Vidit et laudat eundem Mabillonius Itin. Italic. T. I. p. 63.

II. Alter CODEX VATICANUS antiquissimus, Bucolica, Georgica, et Æneidem complexus, nec nisi in paucis locis truncatus,[1] Ms. 3867. membranaceus, charactere capitali Romano rusticiore sive incorniore; altiore quam latiore; punctis inter verba, sed ab indocta manu illatis. Habet et is figuras nonnullas, quas Bartolus libro modo memorato[2] ære expressit.

Etiam in hujus libri vetustate celebranda doctorum virorum studia incalluerant: v. Mabillon. de Re Diplom. lib. V. tab. VI. p. 352. Montfauc. Diar. Ital. p. 277., et Biblioth. Mss. p. 3. D. Bottarius in præf. laudata, p. VI. et XX. Benedictini N. Tr. de Diplom. T. III. tab. XXXV. p. 61. 62. qui quidem secundo IV. antiquiorem esse negant. Picturæ deterioris notæ et barbariem plus redolet, quam illa paulo ante memorata. Eum ex Gallia in Italiam pervenisse, et in B. Dionysii aliqua æde olim servatum fuisse, Montefalconius observaverat, ibid. Laudat eum Politianus Miscell. c. 71. 77. v. Bottar. p. XX. Codex hic intelligendus est, quoties Pierius 'antiquum' vel 'Romanum' memorat, quod charactersem literarum Romano propiorem esse autumabat, h. e. capitali, qualis in marmoribus visitur: v. Pierius Castig. in Bucol. princ. Namque Pierius codice hoc satis quidem diligenter usus est, de quo eodem dicere videtur ad Æn. IX. 20. Iterum tamen eundem codicem cum vulgari editione, Hack. L. B. 1680., sed parum docte et accurate, quod nos res et usus docuit, comparavit;

NOTÆ

[1] Ecl. VIII. et IX. Ge. II. Æn. II. III. et V.

[2] pp. 5. 29. 41. 43.

Digitized by Google

lectionis varietatem enotatam exhibuit Bottarius libro supra laudato p. 187. sqq. unde nos in var. lect. transcripsimus. Neque Ambrogius aliunde petiisse videtur, quanquam is ipsum codicem excerpsisse videri vult. Quantum quidem nobis judicare licet, a librario valde indocto et ab exemplo nullius boni critici opera emendato scriptus est; quo tamen ipso fides ei tanto major accedit; nisi quod sæpe glossematibus contaminatus est, v. c. Ge. IV. 482. 488. Expertus etiam est manum emendatricem, testante Bottario in præf. laud. p. XXI. Ad orthographiæ veteris reconditiores rationes usus ejus permagnus esse potest, et provocat aliquoties ad eum Aldus in libro de Orthographia. Omnino diversam a Mediceo rationem sequitur, v. c. in quarto casu per *es*, ut *montes, urbes*; adeoque etiam in hoc, sed multo magis in ipsa lectione, suam familiam ducit. Deduxitque nos sedula observatio tandem eo, ut omnino duas codicum familias, saltem in Æneide, deprehenderemus, alteram Apronianam (de qua paulo post), Mediceo auctore; alteram ab ea diversam, in qua princeps est Romanus s. Vaticanus.

III. CODEX PALATINUS, Ms. 1631. biblioth. Vatic. membranaceus, scriptura continua, uncialibus, quas Bottarius vocat, seu verius, capitalibus rusticioribus literis nitide scriptus, Bucolica, Georgica, et Æneidem complexus, sed misere truncatus et fœde arrosus. De eo v. Bottar. præf. ad fragm. Vatic. p. V. et XVI. qui et specimen codicis dedit p. 3. repetitum a Benedictinis PP. T. III. pag. 63. tab. XXXV. Est is merito inter antiquissimos habendus. Ad IV. aut V. sæc. vulgo refertur. Qui proferuntur a Bottario bini versus ex Georg. III. pr. binis vitiis librarii sunt contaminati. Hunc codicem Heidelberga cum Palatina bibliotheca in Vaticanam se advexisse narrat Leo Allatius in Animadversa. in Inghirami fragm. Antiqq. Etrusc. p. 58. Ad ejus fidem Virgilii opera in bibliopolio Commeliniano a. 1589. 1599. et 1603. excusa sunt, sed, eodem Allatio monente, non bona fide: et, si codex tam mutilus est, ut fertur, aliunde suppleta. Varietatem ex ea editione passim ab Heinsio notari videas, et ex ipso codice ab Ambrogio in supera editione Romana. Sed cum hic quidem rei criticæ nimis imperitus homo sit, fide ejus parum stari posse arbitratus sum, et, quæ quidem evolvi et comparavi, cum Vaticano fere consentire vidi. Nunc in nova recensione ipsam editionem Commelin. adhibui, et inde Codicis Palatini non contemnendam esse auctoritatem deprehendi in libb. Æneidis, imprimis posterioribus.

Digitized by Google

IV. CODEX MEDICEUS. De quo multa disputata sunt a viris doctis: vid. Noris. in Cenotaph. Pis. p. 480. sq. Mabillon. de Re Diplom. p. 352. Benedictini Monachi N. Tr. de Diplom. T. III. p. 51. 52. Nic. Heinsius diss. de hoc codice ap. Burm. præf. T. I. p. XXXVI. sqq. ex ejus Epp. ad Reinesium in Sylloge Epistolar. T. V. p. 193. sqq.; ipse Burmannus Secundus, in eadem præf. pag. XL. Dissertazione del Codice Aproniano, dall' Abbate Sestini. Firenze. 1722. 4. et Fogginius in præf. Namque hic doctiss. vir totum codicem literis majusculis excudi curavit, hoc titulo:

'P. Vergilj Maronis Codex antiquiss. a Rufio Turcio Aproniano V. C. distinctus et emendatus, qui nunc Florentiæ in bibliotheca Mediceo-Laurentiana adservatur, bono publico typis descriptus Florent. 1741. 4. cura P. Franc. Fogginii.'

Codex ipse exaratus est in tenuissima membrana charactere capitali minore, admixtis tamen nonnullis minusculis; interstitiis verborum nonnullis, quanquam Fogginius (v. præf. p. XIV.) distinctis verbis et vulgari nostro charactere quadrato eum repræsentari curavit. Plures correctores expertus est, v. Foggin. præf. p. XIII. Est et hoc inter laudes codicis, quod integer est, nec nisi ab initio ad Eclogam sextam, 'Prætides implerunt,' truncatus. Specimina scripturæ multi exhibuere, omnium accuratissime Fogginius in præf. p. XV. et ex eo PP. Benedictini T. III. tab. XXXV. II. IV., subscriptionis autem, quam statim memorabimus, Nic. Heinsius in præf. Virgilii Burm. p. XXXVI. Codicis hujus vetustatem mirifice extulerunt laudibus et ornarunt viri docti. Ut breviter tota disputatione defungamur, omne de eo judicium, post literarum characterem, ex ascripto sub Bucolicorum finem correctoris nomine pendet. Est is Turcius Rufius Aproninus Asterius, qui anno Christi 494. Consulatum gessit, et e cujus recensione Sedulius emendatus Rhemis servatur. Vid. de hoc viro Noris. Cenotaph. Pis. pag. 446. Tillemont Hist. des Emp. T. IV. cap. 18. Fontanini Hist. litt. Aquilei. pag. 234. sqq. Relandus Fast. Cons. ad a. C. 494. Wilthem. App. ad Diptych. Leod. Nic. Heins. ad h. l. et nuper iterum Arielus ad Sedulium copiosa disputatione, prolegom. c. V. p. 71. sqq., nam præfert ejusdem Asterii nomen subscriptio antiquissimi codicis Sedulii. Diversus ab hoc Asterio fuit alius Flavius Astyrius, seu Asturius, verius Asterius, qui A. C. 449. Consul fuit, quod docuere iidem viri docti: add. doctissi-

Digitized by Google

mus Saxius in Onomastico p. 494. Subscriptio subjectum habet carmen, quo ille ludos a se editos memorat: quod iterum editum et illustratum vides in Burmanni Anthol. lat. Vol. I. p. 371. Jam cum Aproniani correctoris diversa a reliqua scriptura manus sit, et codex, quem emendandum suscipiebat, jam antehac scriptus esse debuerit, ad sæc. IV. et remotiores adeo sæc. II. annos ætatem ejus rejecere viri docti Norisius l. l. et Bottarius præf. laud. p. IV. Quid tamen ii reponendum habeant, ipsi viderint, si quis cum PP. Benedictinis, non facile nisi admodum recens scriptum librum emendatori traditum fuisse, contendat; quo ipso efficitur hoc, ut non nisi circa finem sæc. V. exaratum eum codicem credere fas sit. Quid? quod, nisi scripturæ character intercederet, ex subscriptione illa ne hoc quidem tuto pronuntiare possis. Solent enim hæ emendatorum subscriptiones in ipsis sequentium librariorum exemplaribus, quæ istis emendatoribus multo recentiora sunt, repeti; quo ipso omnis earum fides et auctoritas infringitur. Exempla ejus rei, ne in his hæreamus, petat aliquis v. c. ex Wilthem. ad Diptych. Leod. App. p. 4. 10. 11. Cf. Bottarius in præf. ad Fragm. Vatic. pag. XXI. Zacharias bibliotheca Pistoriens. p. 46. De his ipsis autem subscriptionis versibus eandem suspicionem jam Muratorius conceperat ex eo, quod binis locis variæ lectiones seu glossemata adjecta sunt; Nov. Thes. Inscript. T. II. p. 662. Inter hæc alia difficultas objicitur in hoc, quod manus illa Asterii, seu Turcii Rufii Aproniani, appicta non est nisi ad calcem Bucolicorum: quo satis patere videtur, nec ulterius ejus operam processisse; alioqui sub finem Georgicorum et Æneidis non minus subscriptio illa apposita esse debuerat. Aut si totum opus e recensione Aproniana tanquam apographum descriptum esse dixeris, ab incuria librarii in reliquis operis partibus subscriptionem omissam esse dicendum est. Ut hoc alterum mallem factum, moverat me Julius Sabinus, qui ad Æneidem passim Apronianam lectionem laudat. Et convenit una et altera harum lectionum cum emendatione in Mediceo codice priscæ scripturæ substituta, v. c. Æn. I. 640. Hoc secutus, multis in locis ad Æneidem Apronianam lectionem ex Julio Sabino excitavi. Enimvero in aliis locis[1] Apronianam lectionem nullam vidi esse aliam, quam genuinam Medicei

NOTA

[1] V. c. Æn. II. 51. *ferit*, 657. *et* 464. 551. IX. 214. *ferre*. III. 336. IV. 9. 27. 314. 436.

Digitized by Google

codicis lectionem, quæ adeo Aproniano tribui nullo modo potest, cum is tantum correxerit librum, si modo correxit, non descripserit. Quid igitur Julius Sabinus in judicio suo secutus sit, tanto difficilius est dicere, cum idem in nonnullis locis Apronianum mutasse dicat vel sustulisse ea, quæ in Mediceo codice relicta videas. Sic Æn. II. 76. versum ait ab Aproniano esse sublatum; is tamen Mediceo accessit a manu secunda.[1] Nisi itaque Julius Sabinus admodum oscitanter hac in re versatus est: dicendum est, eum aliud exemplar habuisse, quod Aproniani manu emendatum aut esset aut putaretur. Quid? quod idem ille ad Bucolica passim non modo lectiones, verum etiam etymologias et interpretationes Aproniani laudat, quas unde hauserit, nondum reperi, v. c. ad Ecl. III. 18, I. 6.

Primus, quem hunc librum possedisse constat, fuit Rudolphus Pius, Cardinalis Carpensis, sub Paullo III. P. M., qui eum Achilli Statio evolvendum permisisse videtur, cujus etiam disticha nonnulla fronti codicis præfixa leguntur; mox idem Rudolphus eum bibliothecæ Vaticanæ legavit, ut ex Aldi Orthographia latina docuere viri docti;[2] e qua furto aut alio casu surreptus in Mediceam pervenit.

Expressa jamdudum ex hoc codice erat editio Paulli Manutii 1583. Nuper ad eandem excusa fertur editio Ambrogiana. Heinsius diligenter eum Florentiæ evolverat. Varietatem lectionis excerptam jam 1565 vulgaverat Brixiæ Paullus Gabianus.

Alterum volumen Fogginius promiserat priori illi subjiciendum, in quo historiam codicis ulterius persecuturus esset; in quo quæ modo disputata sunt, accuratius forte et copiosius tradita fuissent.

NOTÆ

[1] Alia exempla v. IV. 273. Var. Lect. et 298. 528. Una est lectio lib. IV. 663. *mediam*, quam tanquam Apronianam laudat, quæ in Fogginiano exemplari non occurrit. Item alia lib. XI. 696.

[2] Ea ratione hæc exposuisse videmur, qua dubitationi PP. Benedictinor. l. l. p. 52. (a) occurratur; etsi vulgo Achilles Statius inter possessores codicis refertur. Ceterum male hæc narrata sunt, si Galluzzium audiamus (in Storia del Gran Ducato di Toscana sul governo de' Medici) lib. I. c. 12. et Ariolum prolegom. Sedulii p. 78. s. 147. Codex erat in cimeliis domus de Monte (de quo dubitare licet; a Rudolpho Carpensi ad eam gentem periatum eum esse probabilius fit); Julius III. ex ea gente oriundus codicem dono dederat Cardinali Innocentio de Monte, a quo 1568. muneris loco pervenit ad Cosmum.

Digitized by Google

Jo. Pierii Valeriani codd.

v. Præter Vaticanum codicem supra memoratum, quem Romanum appellat, a Pierio excussi sunt:

Codex Oblongus, quo quidem nomine a forma voluminis ducto ab ipso Pierio designatur, minoribus literis exaratus et ipse admodum vetus, Pierio judice. Pomponii Læti delicias eum olim fuisse, idem Pierius memorat ad Æn. v. 143. x. 186. 345. Georg. IV. 368, fitque mihi probabile, fuisse eundem, quem Episcopus Aleriensis in Ed. principe altera emendanda adhibuerat: de qua vid. inf. Asservabatur ille in bibliotheca Vaticana, in qua tamen frustra eum quærebat Bottarius præf. ad fragm. Vatic. p. v. Mirum est de eo nil memorari a viris doctis, quoties de claris Pomponii codicibus agunt, ut Persii, Pompeii Festi; ne Apost. Zeno quidem 'Diss. Vossiane' p. 243 sq. Levat tamen desiderium Pierii in eo adhibendo diligentia.

Codex Longobardicus Pierii, quem 'non piget evolvisse,' ut ille de eo monet ad Bucolic. princ. A charactere nomen impositum, qui tamen qualis sit, ex nomine vix definire ausit aliquis, cum in scripturæ notione definienda valde fluctuarint superiorum sæculorum critici.

Codex Mediceus Pierii: ab eo, quem Fogginius expressit, utique diversus, quod vel hinc colligas, quia in prima statim Ecloga a Pierio laudatur; Fogginianus vero ab initio mutilus est; etsi lectiones sunt quæ cum illo conveniunt, inpr. Æn. XII. 221. *pubentes*, quod Mediceus a Fogginio excusus in lituræ habet. Eum inter emendatos esse, ad Bucolic. pr. Pierius testatur. Num ille etiamnum in magno illo codd. Virgilianor. numero, qui in Medicea servantur, lateat, non dixerim.

Lectiones variantes ex iisdem libris modo memoratis, quibus Pierius usus fuerat, ad editionem Juntinam, forte ab ipsius Pierii manu, notatas habuit Heinsius, memorante Burm. in præf. ad Virgil., Pierius tamen præter istos nonnullos alios manu versaverat. Ita Codicem Portium, Codicem Bellunensem, ad Æn. IV. 138. memorat, Delphium ad Æn. IX. 651., Palatinum ad lib. X. 51. Etiam plures Vaticanos versavit manu: vid. eum ad Æn. VII. 400. IX. 102.

Codicem veterem apud Janum Parrhasium, et alium, in Vaticana bibliotheca, quem Franc. Petrarchæ fuisse aiunt, testem producit

Digitized by Google

Pierius ad Ge. III. 348. Hic quidem an in Vaticanis supra commemoratis lateat, definire non ausim; et an alter idem sit cum eo, qui a P. Burmanno sub Parrhasiano nomine excitatur, non minus difficile est pronuntiare.

* *

VI. Alius Virgilius cum Servii commentariis, membranaceus, in fronte figuris pictoris non ignobilis Simonis Senensis exornatus, notis et glossis a manu Petrarchæ valde interpolatus, diversorum virorum doctorum penu habitus, in bibliothecam Papiensem, eaque 1499. direpta a Gallofrancis ad Augustinum, et ab hoc ad Fulvium Ursinum pervenerat, unde deinceps a Frid. Borromæo Purpurato in Bibliothecam Ambrosianam advectus fuit. Docet hoc P. Burmannus in præf. Virgilii, et præter Montfauconium Diar. Ital. pag. 20. Bibl. Mss. T. I. pag. 530. advocat Tomasin. Petrarch. rediviv. cap. XV. pag. 87.[1] Apud hunc pag. 85. Virgilius Ant. Pirrhi, nobilis Ticinensis, laudatur.

* *

VII. Herc. Ciofanus ad Ovid. Met. VI. 117. loco a Burmanno in præf. notato multa de vetustissimo memorat exemplari Ascanii Grandævi, civis Sulmonensis, quem Mureto miserat.

Idem in bibliotheca Vaticana veterem alium Longobardicum, qui an idem cum Pieriano libro sit, ex nominis ratione judicium ferre non licet, et alium antiquum vidisse se narrat.

Eodem loco librum valde antiquum P. Galesii, alium satis veterem Ludov. Lantis, R. antiquissimum alium Fulvii Ursini laudat. Fuit hic forte Colotianus, de quo vide paulo post.

* *

VIII. P. Bembi liber passim memoratur; nec tamen is unus idemque. Molestiam facit res ab iis, qui codices manibus versarunt, tam parum diserte exposita. Omnibus diligenter circumspectis et consideratis, Virgilii codices *tres* diversos in ejus supellectili libraria fuisse invenio: *unum*, nunc in Vaticana repositum, Aldo, Pierio, et Ursino haud visum, qui fragmenta complectitur,

NOTA

[1] Ex Ambrosiana Codex Virgilii in papyro Ægyptiaca scriptus, cum Petrarchæ annotationibus, a. 1791. Parisios translatus, nullus alius esse videtur, quam is, quem memoravi. Est alius Virgilii codex, quem nobilitavit Petrarchæ manus, Laurae mortem memorans: de quo v. Giov. Batt. Baldelli del Petrarca e delle sue Opere (Firenze 1797. p. 177. sq.)

Digitized by Google

quæ Bottarius in lucem edidit: de iis supra actum; *alterum*, qui Lusus juveniles cum Bucolicis et Georgicorum lib. I. parte continebat: e quo Culicem correxit P. Bembus: v. præfat. nostram ad Culic.: *tertium*, quem Ursinus cum altero illo domi suæ habebat, et quem, ut ille ad Ecl. VIII. 44. monet, 'ex Academia Pontani, grandioribus literis exaratum, habuisse Bembum dicunt.' Ex dictis his accuratius constitui poterunt ea, quæ in præfat. Anthol. Lat. T. I. p. LIII. de Bembi codd. disputata sunt.

Præter tres hos codd. fuere duo alii, alter Bucolica complexus, cum notis, qui primum Bern. Bembi, deinde P. Bembi Cardinalis, fuerat, alter libros Æneidos continens, itidem cum glossis, qui a Modesto Polentone, Sicconis f., ad P. Bembum Card. pervenerat; quorum uterque ad Laur. Pignorium, et ex ejus testamento ad Dominicum Molinum, Senatorem Venetum, transierat: v. Tomasinum Biblioth. Patav. pag. 85.

* *

IX. Codex Colotianus Fulvii Ursini, qui olim Angeli Colotii fuerat, quemque Ursinus bibliothecæ Vaticanæ intulit, ubi nunc num. 1575. servatur. Vide de eo Ursin. ad Ecl. VIII. 44. et Bottarii præfat. ad Fragm. Vatic. p. XI. Varietatem ex eo passim notavit Ursinus in 'Virgilio collat. Script. Græc. illustrato.' Consentit in multis cum Mediceo; vide v. c. Ge. III. 235. 236. Pervetustum eum appellabat Ursinus; in fine tamen sæc. XII. scriptum censet Bottarius.

Habebat Ursinus præterea duo libros emendatissimos, de quibus ad Ecl. VIII. 44. memorat; scilicet Codicem literis Longobardicis exaratum, h. e. ut suspicor, literis minusculis passim admixtis; talem enim scripturam illo tempore ita appellare solebant; tum Codicem vetustissimum, qui fuerat Franc. Philelphi.

* *

X. Codex Barthii. Habuit vir doctissimus tres Virgilii codices, inter quos unum vetustissimum, in cujus fine subscriptum erat: 'Flavius Gennadius Felix Torquatus V. C. Rc. Romæ D. N. Constantio P. F. C. P. P.' (Patrono Faciendum Curavit Propria Pecunia), quibus literis siglisque quamvis ignotis, hoc tamen constare putabat, esse codicem venerandæ antiquitatis. Nisi vero alia opinionis suæ firmamenta habuit, hoc quidem unicum fallax et inane videri potest, quoniam in codice admodum recenti antiquiorum librorum subscriptio repeti potuit, ut supra jam alio loco animad-

Digitized by Google

versum est. Emendationes ex hoc codice in Eclogam x. proposuit Adversar. XVIII. 16. XLI. 26.

* * * * * *

XI. Memoravimus adhuc codices Mstos primum principes, tum quorum veteres critici mentionem faciunt. Subjungemus nonnullos, ad quorum fidem auctores editionum criticarum et classicarum recensionem suam instituisse feruntur. Et primas quidem editiones ex codicibus fluxisse uti certa res est, ita dolendum est non æquè liquere, e quibus codd. illæ ductæ fuerint. Principem quidem Romanam, post alios, nec tamen valde bonos, codices comparatos, ex Pomponii Infortunati (h. e. Julii Pomponii Læti) codice fuisse emendatam, tum a nobis monebitur, cum veterum editionum annales conficiemus; quo etiam ea differimus, quæ de nonnullarum aliarum sæc. XV. editionum fontibus memoranda habemus. Præclari fuere codices, ad quos Naugerius ed. Ald. tert. 1514 emendavit. Nec minus præclari Pieriani 1521. Paullus Manutius Mediceum expressit, 1583, uti Palatinum Commelinus 1599. Recensionem Jo. Henr. Boeclerus ad Ms. biblioth. Argentinensis se instituisse in edit. Ulmensi 1698 profitetur: parum tamen fructus inde ad Virgilium pervenit. Ex Ge. Fabricii castigatione et Theod. Palmanni recensione, neutra tamen ad novos codd. facta, fluxerant fere exemplaria vulgata omnia, quæ usque ad Nic. Heinsium manibus terebantur; Pulmanniana quidem lectio regnabat in Antwerpiensibus Elzevirianis et ceteris Belgicis. In his a Dan. Heinsio profectæ edd. majorem adeo incuriam produnt. Bonum factum! successit Nic. Heinsius.

Codices Heinsiani.

XII. Triginta Nic. Heinsius annos Virgilio recensendo impendisse et fere XXX codices consuluisse narratur. Ex his a Burmanno in præf. ad Virgilium sequentes commemorantur:

Mediceus, et

Vaticanus, alter ille n. 3867., quem tamen ipse haud inspexisse videtur; verum laudat eum ex Pierianis Castigationibus.

Codices Menteliani tres, Jo. Mentelii, Medici quondam Parisini, iique in antiquioribus habendi. Sunt illi, inprimis prior, plerumque in partibus Medicei: v. c. Æn. II. 76.

Codices Rottendorphii tres, qui erant Bernardi Rottendorphii, Medici. Ex iis tertius plerumque cum Gudiano et Mediceo con-

Digitized by Google

sentit. Videtur hic esse is, qui in apparatum Gudianum migravit: cf. inf. de apparatu Saxiano.

Leidensis Bibliothecæ itidem tres, a Jo. Fr. Gronovio suppeditati, vetustatis nomine omnes ab Heinsio laudati. Ab his diversi fuisse videntur duo Leidenses, quos ipse Burmannus contulit.

Codex Montalbanius, quem ab Ovidio Montalbanio, Philos. Prof. apud Bononienses, dono acceperat Heinsius, ante D. abhinc annos (Sæc. XIII.) scriptum, quod in notis ad Æn. v. 522. eum indicasse Burmannus ipse observavit.

Codices Menagiani duo, ab Ægidio Menagio Heinsio concessi, quorum alter recentioris fuit notæ: Heins. ad Æn. v. 620; prior optimæ notæ.

Codex Pugetianus, qui Æneidem complectebatur, ex bibliotheca Gul. Pugetii, in Senatu Tolosano quondam Consiliarii Regii. Cujus variantes lectiones a Bern. Medonio ad Heinsium missæ Burmannianis notis insertæ sunt, monente Burmanno jun.

Codd. Balth. Moreti quatuor: inter quos primus ex optimis habendus: cf. Æn. x. 861, etiam secundus melioris notæ.

Codd. duo Vossiani.

Codd. duo Ecclesiæ Hamburgensis: admodum præclari, et alter quidem ad Mediceum fere exemplar descriptus.

Codex Sprotianus.

Codex Schefferianus.

Fragmentum Moretanum.

Fragmentum Vossianum.

Codex Venetus, quem Venetiis redemerat, recentior quidem, sed qui optimas suggereret lectiones.

Codex Bigotianus
et Hugenianus
inspecti tantum ab Heinsio fuere. Idem etiam Pieriana excerpta ad manus habuit, ut supra observatum est.

Tandem inter præstantiores Heinsii codd. fuit

XIII. Codex Gudianus, forma, quam nos in folio minore quadrato appellamus, membranaceus. Foliis LXXXVIII constat, multasque habet inter lineas, a variis quidem manibus, glossas allitas, inter præstantissimos tamen a Nic. Heinsio merito est habitus, quia ex optimo exemplari fuit transcriptus; quod aut Mediceum fuit, aut ex eodem fonte ductum, e quo Medicea lectio fluxerat; tam

Digitized by Google

mirifice utraque inter se consentit: ita ut, quemadmodum Romanum codicem suam familiam ducere diximus, sic ab eadem stirpe procedant Mediceus, Gudianus, Rottendorph. tert., Mentelianus, Moret. pr. et sec. et Hamburg. pr. Nobis tamen in hoc codice diversæ manus occurrere visæ sunt. Tractavimus enim et inspeximus Codicem e bibliotheca Guelpherbytana, in qua nunc inter Gudiana asservatur, ad Collegam amicissimum, Kulenkampum missum; quando illud etiam aliquot foliorum comparatione cognovimus, summa diligentia ab Heinsio librum hunc excussum et excerptum esse, quem ille a Marqu. Gudio acceperat, cum is eum Lugduni in Gallis redemisset. Illud forte monere non vanum et inutile fuerit, in Ge. I. post v. 52. non esse hiatum, ut in margine ascriptum est, sed transpositionem versuum. Sequuntur enim versus 53.-104. paulo post versus 105.-130. male hic insertos. Porro Ge. II. post v. 52. lacuna in oculos incurrit ad v. 260. quam explere voluit alia sed indoctior manus, nec tamen folii spatium plus quam a v. 52. ad 211. capiebat. At ab antiqua manu jam olim idem damnum sartum esse deprehendimus in folio, quod male ad calcem, inversa quidem facie, dum compingebatur liber, assutum est; quanquam nec hoc ulterius quam ad vers. 234. procedit; sed frons ejus altera abrasa nugas ab recente manu recipere coacta fuit. Videtur Heinsius hoc sub fragmenti Gudiani nomine laudare ad Ge. II. 82.; nam, quod ibidem pro Gudiani libri lectione venditatur, 'mirata est que,' in recentiore illo folio, quod ante memorabamus, legitur.

Ceterum infinitis in locis turbatum est in his variant. lectionibus, quod eæ ad diversas editiones enotatæ et ascriptæ erant; id quod per totum hoc variæ lectionis genus, in aliis quoque scriptoribus, molestias facit innumeras, inprimisque fidem et diligentiam exscribentis haud raro in suspicionem adducit. Valde molestum et illud est, quod Heinsius non notavit, quam editionem, ad suam criticen emendatam, operis librariis excudendam tradiderit, aut quam ante oculos habuerit, dum vulgatam memorat. Unam ex Elzeviriana fuisse non dubito; probabile fit, patris Danielis fuisse. Interdum tamen Pierianam lectionem, quæ erat Aldinæ primæ vel secundæ, notæ suæ præfixit.

Codices Burmanni.

XIV. Codices, quibus P. Burmannus usus est, omnes fere sunt

Digitized by Google

recentes nec magni momenti; omninoque ille sordes ab Heinsio spretas inani opera cum pulvisculo converrisse dicendus est.

Codex Regius, e bibliotheca Regia Parisiensi, Heinsio concessus, qui post ejus mortem in Rykiana supellectili, mox apud Masvicium, qui editionem suam ad eum recensuisse videri volebat, hinc apud Hulsium, Consulem Haganum, fuit, unde sub Codicis Hulsiani nomine laudatur, ut apud Masvicium sub Parisiensis, et tandem bibliothecæ Leidensi illatus est. Antiquus valde et egregius, et Servii commentario instructus est: v. post Masvic. præfat. Burmannum in præfat. ad Virgil. et patrui Admonitionem de Edit. Masvic.[1]

Codex Parrhasianus a possessore, quem olim habuit, Jano Parrhasio, qui tum variantes et notas margini ascripserat, tum multa alia in Virgilium commentatus erat, quæ a Burmanno præf. (p. 13) enarrantur. Hic Codex in bibliothecam Henr. Adriani Markii pervenerat, unde a Masvicio Markianus appellatur, ex hac in Hulsianam et tandem in bibliothecam Leidensem transiit: conf. P. Burmanni Admonit. de Edit. Masvic. Interpolationes ex eo memorari vidi plurimas.

Codex Francianus. P. Francius *tres* Virgilii Codices possederat. Ex *uno vetustiore* membranaceo varietatem lectionis a Jano Broukhusio excerptam et editioni Commelin. 1646. 4. ascriptam cum Burmanno communicaverat D'Orvillius, penes quem etiam alterius Codicis membranacei Franciani fragmentum a medio Æn. I. ad medium libri VI. fuit. *Tertius* satis vetustus, qui Æneidem complectitur, utrum idem sit, qui nunc in Amstelædamensi bibliotheca asservatur, dubitatur a Burmanno Secundo. Omnino ad infimi ordinis codd. videntur Franciani esse ablegandi; quæ enim ex iis laudantur, sunt mera plerumque vitia, aberrationes et indoctæ interpolationes.

Codex Tollianus. Sub hoc nomine laudantur var. lect. in Georgica a Jac. Tollio ex Cod. papyraceo bibliothecæ Teutoburgensis collectæ et editioni Commelin. 1646. ascriptæ, quam D'Orvillius Burmanno excerpendam commiserat. Nunc descripsit co-

NOTA

[1] Probabile mihi fit, hunc esse codicem, quem nuper narrabant a Gallofrancis esse vindicatum et bibliothecæ Parisiensi iterum assertum.

Digitized by Google

dicis habitum et varian lectionem enotavit diligenter H. A. Grimm in Withofii kritischen Anmerkungen I. Stück pag. 120.

Codices Leidenses duo, quos ipse P. Burmannus contulit.

Codex Zulichemius.

Codex Vossianus, an unus ex iis fuerit, quibus Heinsius usus est, mihi non liquet.

Codex Grævianus; qui admodum recens fuisse videtur.

Codex Oudartii.

Codex Vratislaviensis, bibliothecæ Elisabethanæ, e quo var. lect. editioni L. B. 1652. manu Jani Gebhardi ascriptas e scriniis Heinsianis habuit Burmannus.

Codex Wittianus, e supellectili libraria Jo. de Witt, Civit. Amstelæd. quondam Judicis, cum Burmanno communicatus.

Codex D'Orvillianus, recentioris ætatis, e quo varietatem lectionis excerptam ad P. Burmannum miserat D'Orvillius. Fuit is ex inquinatissimis, nec dignus e quo mera librariorum vitia enotarentur.

Codex Wallianus, aut potius fragmentum codicis a libro Æn. II. 310 ad v. 150. libri VI. ab imperito et festinante librario perscriptum, et glossis plurimis coinquinatum, nec tamen spernendum; quod ab Hermanno van der Wall ad D'Orvillium transierat. Contulit illud Burmannus junior cum edit. Masvic.

Codex Claramontanus, membranaceus, Claramontii Ecclesiæ Gallicanæ olim ministri, e quo lectiones diversas Jo. Arntzenius enotaverat.

Codex Lubecensis ad Æn. X. 50 laudatur. Ceterum ex his codd. multi aut non fuere integri, aut certis tantum in locis inspecti.

* *

XV. In editione Edinburgensi ex recensione Alex. Cuninghami 1743 a Viro docto nescio quo curata varietates nonnullæ e tribus codd. annotatæ sunt. Persuaserat sibi editor, Cuninghamum hos codd. inspectos contulisse. Enimvero Waddelii codex est nullus, sed sunt Ge. Waddelii conjecturæ in Animadverss. criticis ab eo propositæ. Duo autem codd. Hulsiani nulli alii sunt quam codex Parisiensis Regius, et Markianus seu Parrhasianus, de quibus paulo ante dictum est, e quibus varias lectiones in edit. Masvic. excerptas ante oculos habuit Cuninghamus; quantum assequor, Codices non vidit. Neque ille edd. veteres 1472. et 1474. ipse inspexisse

Digitized by Google

videri debet; prostant lectiones excerptæ in edit. Martin. Scilicet.

* *

XVI. Jo. Martinus (Martyn) in sua Georgicorum recensione 1741 et 1746 septem codicum a se comparatorum varietates habuit. Sed viro doctissimo, cujus alioqui laudibus nihil detractum velim, acumen ferè criticum, omninoque hoc accuratioris eruditionis genus, defuit; itaque neo satis accuratam in iis libris excerpendis, neque in antiquis editionibus, quas plures, admodum raro obvias, apud se habuit, excutiendis operam locasse videtur. Ita nec minus in notis, inter plurimas egregias observationes, multa valde vulgaria operose exponi videas. Sunt autem codicum Martinianorum, e quibus tamen nihil, quod insignioris notæ esset, prolatum memini, nomina in præf. ad Georgica nude enumerata:

Codex Regius, e bibliotheca Regia Londinensi.

Codex Cantabrigiensis, e biblioth. Regia Cantabrig.

Codex Bodleianus, e biblioth. Bodlei. Oxoniensi.

Duo Arundeliani.

Duo Meadiani; quos olim ab immortali Viro, Rich. Meadio, sibi oblatos P. Burmannus neglexerat, ut e præf. ad Virgil. apparet.

* *

XVII. Sunt quoque editiones, in quibus variæ lectionis apparatus apponitur non ex novo et intacto fonte ductus, verum tanquam e diversis venis in unum alveum corrivatus. Ejusmodi syllula variæ lectionis ex aliis edd. congestæ subjecta est ad calcem edit. Knapton. Aliæ in antiquioribus: ut in edd. Fabricianis et Basileensibus, tum in Henr. Stephani edit., porro in edd. Pulmann. Mox in Elzevir., ut 1622. 1636, subjectum video ad calcem animadversionum libellum, in quibus loca, perpauca tamen, constituuntur, maxime e Florentis Christiani, Josephi Scaligeri, Petri Scriverii et Dan. Heinsii critica.

* *

XVIII. Præclara aliqua et rari exempli humanitate ac benevolentia b. Jul. Car. Schlægeri, usibus nostris oblati et ad nos missi sunt Codices e Bibliotheca Gothana tres:

Primus pergam. octonis cont. Bucolica, Georgica et Æneidem. Ad calcem Calphurnii Eclogæ septem; nitide scriptus, literis ini- [illegible] recens tamen, et vix ante sæc. XV scriptus, ab

Digitized by Google

indocto satis librario, e bono tamen libro, bonam enim plerumque lectionem exhibet.

Alter chartaceus, fol. admodum recens, nec ex optimo exemplari, habet tamen lectiones interdum vix alibi obvias. A recentiore manu glossæ inter lineas ascriptæ, multa etiam, modo in meliorem modo in deteriorem lectionem, emendata. Præmissa et in primis paginis et sub principia librorum vulgaria in Virgilium carmina et argumenta, et sub calcem subjecta sunt Moretum et alia minora, quæ sub Virgilii nomine feruntur, carmina, etiam nonnulla aliena, quemadmodum recentioris alicujus poëmata funebria, quorum compilator ascriptus est: 'Doctor hans Mellerstatt.' Tandem Servius subjungitur, sed recentiore et horrida scriptura. Ad commentarii in Georgica calcem subscribitur: 'Per Casparem Philippi de dressden anno dni MCCCCLXI°.' Idem nomen, sed sine anno, sub finem Commentarii in Æneidem ascriptum; quem 'Fabii Planttæ de Fulgentio' (Fabii Planciadæ Fulgentii) 'Expositio philosophica Æneidos Virgilianæ' excipit. Est is notus libellus de continentia Virgiliana. Hunc Codicem memoratum videas in Cypriani Catal. Codd. Bibl. Goth. p. 82, n. CCXXXVI, et alterum, qui sequitur, p. 106, n. LIV.

Tandem *tertius* octonis forma oblonga, continet Æneidem, multis scripturæ compendiis, et valde vitiose exaratus, frequentibusque lituris et indoctis emendationibus passim interpolatus. Ad XIII. tamen vel XIV. sæculum assurgere ejus ætas videri potest. Hos tres codd. comparavit et lectionis varietatem ad marginem edit. Gotting. excerpsit Jo. Ge. Meusel, illo tempore (1766) juvenis, Seminarii philologici sodalitio ascriptus, nunc in Academia Erlangensi Historiarum Professor de literis historicis meritissimus, Principi Marchioni Brandenb. a Cons. aul.

XIX. Obtulerat mihi exemplo humanitatis haud vulgari, nec appellatus, Saxius, conterraneus meus (nam in iisdem Chemniciensis soli apud Misenos finibus, in quibus Ge. Fabricius natus erat, lucem uterque aspeximus), Virgilium varietate lectionis instructum, quam ex autographo Cortiano olim vir doctissimus ascripserat. Erat illa ex XV. codicibus congesta, quos tamen Cortius non omnes inspexisse videri debet, præter Guelpherbytanos, quos ad se missos eum habuisse probabile fit. Cortium Virgilio recensendo animum appulisse, ex Thesauro La Croziano noram Tom. I. pag. 88.

Digitized by Google

Codices autem, quorum variantem lectionem conscripserat, hi erant:

1. Vetus Gudianus (de quo sup. p. 4567.)

2. Alius Gudianus ejusdem ætatis et formæ, nisi quod literæ vetustate attritæ passim evanuerunt. Incipit cum Georg. IV. 70 et deficit Æn. X, 123. Notatur inter Gudianos No. 107. (66.)

3. Etiam Gudianus No. 131. (164.) olim Rottendorfii (adeoque inter eos, quos Heinsius comparavit) in membrana scriptus manu satis vetusta, ita ut ætatem annorum quingentorum ferre videatur: habet omnia Virgilii.

4. Quartus Gudianus No. 109. (238.) membranaceus, quaternionibus, continet tantum Georgic. libros.

Sequuntur e bibliotheca Guelpherbytana sex:

1. No. 82. 10. membran. 12., qui Bucolica tantum habet, sed vetustus.

2. No. 63. 5. duodenis oblongis. Bucolica et Georgica ejusdem ætatis.

3. No. 9. 11. membranac. in 4. sed recentior.

4. No. 11. 3. membr. in 4. recentior, antecedente tamen antiquior.

5. No. 8. 14. membr. in 4. recentior.

6. No. 7. fol. chartaceus; in fine ascriptum, esse eum exaratum a. 1457.

Porro duo codd. Petri Danielis, qui nunc Bernæ inter Bongarsianos asservantur. Alter vetustior Georgica, tum Eclogas, tandem Æneidem exhibet, sed in libro V. deficit, alter recentior est. Sunt adeo ii, quos Jo. Rud. Sinner in Catalogo Codd. Mss. biblioth. Bernens. memorat pag. 631. n. 184. pag. 633. n. 411. etsi diversa ab istis narrari hic videntur. Idem Vir Cl. p. 626-635. codices Virgilii alios ex eadem bibliotheca commemorat; de codicum tamen bonitate judicium inde facere vix licet, nisi quod satis recentes esse videntur.

Etiam duorum Hamburgensium, quos cum vulgata lectione Heinsius contulerat, varietatem ascripserat Cortius; tandem Basileenses veterrimas membranas in Eclogis, Georg. I. et Æn. XII. 7. inspexerat. Diu hærebam animi dubius, quid his copiis facerem, cum jam in altero volumine Virgilii versarer, quando illæ ad me pervenere, neque consultum videretur, in instituto aliquid mutare; mox vero, excusso illo opiparo apparatu, intellexi, si meo consilio

Digitized by Google

in recensendo Virgilio obtemperare vellem, ne quidem apponi a me posse hanc variantis lectionis sylvam; meliores enim ex iis membranis jam Heinsius diligenter comparavérat; ceteræ fere recentiores sunt, et varietas hinc decerpta ad lapsus fere librariorum et errores solennes redit, quorum enotatione Virgilium jam sic nimium oneratum videbam, nec fructum expectare poteram, quem inde percipere liceret, si, inprimis in lectione jam dudum recte constituta, nec dubia aut obscura, vulgares librariorum hallucinationes sexcenties recoquerem. Ita sæpius tædio ac pœnitentia victum me memini, quod lectionem librorum Gothanorum apponere institueram: Per totum enim Virgilium vix unum locum novi melius ex iis constitutum. Persequendum tamen erat religiose, quod semel receperam. Inspexi itaque Cortianum apparatum tantum in locis salebrosis, atque adeo sic quoque humanitatis et gratiæ meritum viri Præstantissimi in me esse summum profiteor. De Cortii conata v. Harles Notitia lit. Rom. p. 248.

Bibliotheca Academiæ Juliæ apud Helmstadienses duo servat Virgilii exemplaria calamo scripta, sed et hæc recentia, nec ullo aut studio librariorum aut doctrina insignia. Liquido hæc cognoscere licuit, quandoquidem J. C. Wernsdorfius, Professor de ea Academia præclare meritus, Principi Duci Brunsvic. a Consil. aul., utriusque codicis accuratam notitiam cum specimine perhumaniter ac benevole ad me misit. Alter chartaceus est, pulchre exaratus, sed parum docte, Bucolica, Georgica, et Æneidem complexus, subjectis inter Georg. et Æn. variis poëmatibus minoribus et catalectis: ad hæc itaque lectionem ex eo notatam videas. Sub Georgicorum finem subnotatum: 'laus deo henricus Hopf 1454.' et ad calcem Æneidis: 'h. h. ich wart der Zeit 1454:' ad finem autem Catalectorum 1450. Alter membranaceus est in forma oblonga, Æneidem tantum continens, spatio inter lineas et margine scholiis, sed vulgaribus et jejunis, occupato. Membranas multo usu attritas esse et sordidas narrabat vir doctissimus, ita ut etiam suspicaretur, ludi magistri alicujus usibus id exemplar inserviisse. Præmissa est Pseudopindari Thebani Epitome Homeri.

XXI. Pervenere ab illo inde tempore, quod in prima editione paranda consumseram, ad me nonnullorum codicum notitiæ, virorum doctorum res nostras juvandi studio. Fuit in his codex bibliothecæ Fridericianæ apud Erlangenses chartaceus, alius membranaceus academiæ Giessensis, qui olim inter Uffenbachianos fuit (v.

Digitized by Google

Biblioth. Uffenbach. P. IV. p. 222.), prolusione academica descriptus ab Andr. Boehmio, Prof. et Biblioth. Acad. Giess., alius membranaceus Onoldi, in bibliotheca Marchionis Sereniss. De Codice Kœhleriano, quem aliquoties memoravimus, nuper in bibliothecam Georgiæ Augustæ illato, narrationem habemus a viro doctiss. I. G. Guil. Kœhler, Adjuncto Philos. Ord. in Univers. Jenens. (nunc sacri cœtus Curatore in Diœcesi Ansbacensi), conscriptam 1771. Est ille e recentissimis et sub ipsa typographiæ initia scriptus Romæ sub Paullo II. cum fide quidem, sed ab indocto homine, nec ex optimo exemplo. Ex lectionibus certe excerptis paucas utilitatem criticam habere vidi (cf. Gotting. Gelehrte Anzeigen 1771. p. 1096.)

XXII. Dudum mihi innotuerat Codex Erfurtensis e libraria supellectili Cœnobii Portæ Cœli, misso quoque ad me lectionis specimine, unde intellexi ex eodem eum cum Gothanis fonte fluxisse. Audieram mox a viro doctiss. Jo. Frid. Degen, A. M. Gymnasii Ansbacensis Collegio ascripto, repertum codicem, cujus descriptionem ipse dederat Progr. 1785. Ab ejus humanitate facile impetravi lectionis varietatem, moxque animadverti, esse hunc eundem codicem cum Erfurtensi; ex claustro itaque suo pervenerat ille ad Ill^{mos} Comites de Schönborn, servaturque nunc Gaybaci in tractu Franconiæ Steigerwaldensi. Criticus usus codicis aut nullus aut exiguus est; cum indocte scriptus nec minus indocte correctus et interpolatus sit a pluribus. Varians utique lectio e meris vitiis pravæ scripturæ constat; et, si qua est tolerabilis lectio, aut ex errore eam profectam esse facile intelligitur, aut jam ex aliis codd. illa est enotata. Inserui tamen potiora suis locis.

Oblitus sum monere, etiam Brunckium tractasse codicem; 'vetustas probæque notæ membranas' appellat ipse, Seminarii Episcopalis urbis Argentoratensis. Memorabiliorem aliquam lectionem ex eo proferri non memini.

* *

Codicum Virgilianorum, qui *nondum cum vulgata scriptura comparati* in bibliothecis passim latent, incredibilis numerus e bibliothecarum catalogis virorumque doctorum commentariis excitari facile possit. Maximam tamen partem vix digni sunt, in quibus conferendis bonam horam perdas. Ad pueriles enim et scholasticos usus plerique fuere scripti, inprimis Bucolicorum codices.

Digitized by Google

Itaque nullus omnino fructus inde expectandus.[1] Indignum autem studiis his, quibus judicium et sensus acui debebat, stupores barbarorum monachorum religiose enotare, et non tam variantium lectionum, quam sordium monachicarum mole rem criticam onerare.[2] Itaque nemini facile auctor sum, ut Virgiliani codicis varietatem enotandam sibi sumat, nisi ante omnia paucarum paginarum comparatione facta constiterit, ex bono eos exemplari transscriptos esse; etsi Virgilii lectionem nunc ita constitutam esse arbitror, ut, quæ ei vitia insident, nullius codicis auxilio tolli posse sperem; ex optimis autem codd., si qui adhuc forte supersint, si consulere eos licuerit, vix multas lectiones memorabiles nondum visas enotatum iri suspicer.

Bottarius in supra memorata præf. ad Fragm. Vatic. recensum XLII. Codicum dedit Virgilii, qui in bibliotheca Vaticana servantur, e quibus non nisi tres aut quatuor a viris doctis inspecti sunt. Apud Montfauc. Biblioth. Mss. p. 108. 152. 192. alii sub aliis numeris laudantur, qui an iidem sint, non constat. In bibliotheca Medicea ad XXXIII. Codd. latere ex Montfauc. Biblioth. Mss. p. 318. 319. apparet, quorum recensum instituere et antiquiorum specimina subjicere volebat Fogginius in altero Vol. Virgilii Medicei: vid. præf. p. XIII. Sunt inter eos Codd. Franc. Sarsetti, Guidant. Adincarii, Ge. Aut. Vespuccii; sunt nonnulli scripti a Jo. Carpense, Cive Ferrariensi, a P. Pugliense, a Fratre Jac. de Vulterra. In Ambrosiana XXIV. volumina ad Virgilium spectantia a Montfauc. Biblioth. Mss. p. 524. B., in Regia Parisiensi supra XL. in Catalogo Mss. Bibliothecæ Reg. Paris. inprimis a n. 7925. sqq. ad 7970., in Biblioth. Bernensi, ut jam supra monui, a Sinnero XIV. codd. memorari videas p. 626. sqq.

Apud L. Concannon Esq. Londini codicem Æneidis e domo

NOTÆ

[1] Vide v. c. Var. Lect. e Cod. Dantiscano ap. Lengnich. Nachrichten zur Bücher-und Münzkunde II. Th. 1782.

[2] Præclarus est locus Chphori Plantini præfat. ad Jul. Cæsarem a se editum: 'Quæ enim finis—quousque paginas omnes obsidebunt variæ et vanæ sæpe lectiones?—Excutiuntur profecto scriptores ipsi e manibus, dum avida juventus ad hæc diverticula abit et πάρεργα ista curat velut Ἔργα. Quam multi jam qui libros tantum legunt, ut emendent? ut illos meliores faciant, non ut sese? Itaque toti in voculis aut syllabis aliquot examinandis sunt; et segetem illam uberem rerum sententiarumque subter habent, paleis modo lectis.'

Digitized by Google

Medicea asservari audierum, nitide scriptum. E specimine tamen ab amicissimo viro, G. H. Nöhden, misso intellexi usum ejus criticum vix magnum esse posse.

In bibliotheca Palatino-Bavarica Monacensi codices asservari norum. Eximia Ignatii Hardt, Presbyteri et bibliothecarii aulici, humanitate notitia eorum ad me allata est hæc:

Codices, inquit, sunt numero quinque.

'Cod. LIX. membranaceus in folio: membrana mollis et candida, tituli miniati, et initialis prima colore et auro ornata, character nitidissimus Sæculi XV. Constat foliis 355. Præmissæ sunt tres picturæ triplici poëtæ operi adaptatæ; quarum prima pascua, altera agriculturam, tertia bella exhibet.

'Cod. CCLXI. chartaceus in folio, charta candida et solida, scriptura nitida Sæc. XV. cum glossis interlinearibus, et marginalibus; titulis et initialibus rubris; ex bibliotheca *Hartmanni Schedelii*, Doctoris Norimberg. qui notas marginales adjecit. Constat foliis 242.

'Cod. CCCV. membranaceus in fol. titulis et initialibus miniatis, charactere longobardico nitidissimo, usu tritus, cum glossis interlin. et scholiis marginal. ætatis fere ejusdem, atramento flavescente. Constat foliis 223. Sæc. XI.

'Cod. CCCXIX. membranaceus, in fol. membrana subtili, titulis et initialibus miniatis, auroque distinctis, cum notis marginalibus et interlinearibus Hartmanni Schedelii Norimberg. Sæc. XV. scriptus a Nic. Anastasio de Bucellis de Florentia. Constat foliis 205.

'Cod. DXXIII. membranaceus, membrana vetere et mucida, in quarto oblongo, charactere minuto nitido, initialibus miniatis, scriptura abbreviata, cum nonnullis brevibus notis. Sæc. XIII. Constans foliis 73. usu tritus, male conservatus, ita ut desiderentur Ecloga I. IV. V. VIII. IX.

'Omnes continent Bucolica, Georgica et Æneidem. In CCLXI. et CCCV. etiam Moretum, Mæcenas, Diræ, Copa, sunt adjecta.'

XXV. Duo sunt Codices omnium vetustissimi ac præstantissimi, quorum tamen non nisi exigua fragmenta supersunt. Unus est celebratissimus ille liber Sangermanensis n. 1287., in quo antiquioris scripturæ erasæ et inductæ, dum ei Catalogus Viror. illustr. Hieronymi sæculo VII. superscriptus est, vestigia passim Commentarium Aspri in Virgilium antiquissimo ac pulcherrimo capitali plane charactere produnt: vid. PP. Benedictinos N. Tr. de Di-

Digitized by Google

plom. T. III. p. 152. Alterum est fragmentum Pithœanum, literis capitalibus grandioribus, quales nullos ullo in Codice videas. Ejus specimen dedit Ruinartus in app. inserta Mabillonio de Re Dipl. p. 637. 635. unde repetitum in N. Tr. de Diplom. T. III. p. 41. tab. 34. In bibliotheca San Gallensi codicem esse audieram rescriptum, in quo veteri Virgilii scripturæ deletæ superscripserat alia manus Augustini nonnulla. Dederat hoc amori suo in me vir humanissimus Christophorus Girtanner, M. D., ut particulas aliquot antiquæ lectionis restitueret; unde comperi scripturam esse valde antiquam capitalem Romanam; nihil tamen occurrere, quod non dudum e codd. teneamus.

Digitized by Google

NOTATIO CODICUM

QUI IN

VAR. LECT. LAUDANTUR.

Aproniana lectio - - - Pag. 4561
Arundeliani duo Martin. - - - - 4571
Barthii - - - - - 4565
Basil. Cort. - - - - - 4578
P. Bembi codd. - - - - 4564
Bigotianus Burm. - - - - 4567
Bodleianus Martin. - - - - 4571
Boecleri - - - - - 4566
Bongarsii duo - - - - 4578
Burmanni codd. - - - - - 4568
Cantabrigiensis Martin. - - - - 4571
Claramontanus Burm. - - - - 4570
Colotianus - - - - 4565 (4564)
Cortii var. lect. - - - - - 4572
Cuninghami var. lect. - - - - 4570
Erfurtensis nunc Schönbornensis - - - 4575
Erlangensis - - - - 4574
Francianus Burm. - - - - 4569
Giessensis - - - - - 4574
Gothani tres - - - - - 4571
Grævianus Burm. - - - - 4570
Gudianus - - - - 4567 (4573)
Guelpherbytani - - - - 4578
Hamburgenses duo Heins. - - - 4567 (4573)
Heinsii codd. - - - - 4566
Helmstadiensis - - - - - 4574
Hugenianus Heins. - - - - 4567
Hulsianus, idem Regius et Parisiensis - - 4570 (4569)
Kæhleri - - - - - 4575
Leidenses tres Heins. 4567, et duo Burm. - - - 4570
Longobardicus Pierii - - - 4563 (4564)
Lubecensis Burm. - - - - 4570
Markianus, idem qui Parrhasianus. Burm. - - 4569

Digitized by Google

Martini codd. - - - - Pag. 4571
Meadiani duo Martin. - - - - 4571
Mediceus, antiquiss. - - - - 4569
Mediceus Pierii - - - - 4563
Menagiani duo Heins. - - - - 4567
Menteliani tres Heins. - - - - 4566
Montalbanius Heins. - - - - 4567
Moreti quatuor Heins. - - - - 4567
Moretanum fragmentum Heins. - - - - 4567
Naugerii codd. - - - - 4566
Oblongus Pierii - - - - 4563
D'Orvillianus Burm. - - - - 4570
Oudartii Burm. - - - - 4570
Palatinus - - - - 4559
Parisiensis, idem qui Regius - - - - 4569 (4570)
Parthasianus Burm., qui et Markianus - - 4569 (4569)
Pierii codd. - - - - 4563
Pomponii codd. - - - - 4566
Pugetianus Heins. - - - - 4567
Regius Burm., idem Huls. et Paris. - - - 4569
Regius Londinensis. Martin. - - - - 4571
Romanus Pierii - - - - 4566
Rottendorphii tres, Heins. - - - - 4566
San Gallense fragmentum - - - 4576
Saxii Var. Lect. - - - - 4572
Schefferianus Heins. - - - - 4567
Schönbornensis: qui Erfurtensis - - - - 4575
Sprotianus Heins. - - - - 4567
Tollianus Burm. - - - - 4569
Variæ Lectionis sylvulæ - - - - 4571
Vaticanus seu Romanus Pierii - - - - 4556
Fragmentum Vaticanum - - - - 4563
Venetus Heins. - - - - 4567
Vossiani duo. Heins. - - - - 4567
unus Voss. Burm. *fragmentum* - - - - 4570
Vossianum Heins. - - - - 4567
Vratislaviensis Burm. - - - - 4570
Fulvii *Ursini* Colotianus - - - - 4565
Waddelii emendatt. non codex - - - - 4570
Walliauus Burm. - - - - 4570
Wittianus Burm. - - - - 4570
Zulichemius Burm. - - - - 4570

Ed. *Veneta* Maitt. et Burm. est 1472.
Mediolanensis eorundem est 1474.

Digitized by Google

Sic Heynius de Virgilii codicibus. Socii Bipontini vix aliquid de codicibus præstiterunt; de Britannicis non multum Heynius: pauca igitur, quæ vel ipsi viderimus, vel ex libris collegerimus, damus Lectori.

Inter varias Bibliothecæ Mus. Britannici collectiones, hi codices Msti Virgiliani latent.

Reg. Biblioth. duos possidet; quorum primus opera omnia Virgilii complectitur; illumin. cum notis, membran. Cent. xv.; secundus Æneida tantum, cent. xiii.

In Biblioth. Cotton. nihil, quod ad Virgilium spectat, est inveniendum, nisi id generis annumeres Capitula i. ii. et iii. librorum Georgicorum, et Capitula duodecim librorum Æneidos.

Inter Codd. Indescriptos, nempe inter Sloanianos, (Catal. vol. ii. p. 828.) notanda sunt Georgica; et una cum his notæ Bernard de la Fana: 1405.

In Collect. Lansdouniensi est cod. membran. xv. cent. eleganter scriptus, cum init. pictis et illuminatis, Æneida, Bucolica, et Georgica complectens.

Inter Lansdounienses etiam annumeranda sunt 'P. V. M. Fragmenta quæ supersunt antiquo codice Vaticano ad priscam literarum et imaginum formam descripta in biblioth. Eminent. Cardinalis Camilli Maximi.' Hæ tabulæ Urbani viii. Pont. concessu pingebantur ad numerum lv. a. 1642. Codex ipse Vaticanus est forsan omnium Virgilianorum antiquissimus, circiter cent. quintam; et hic codex etsi non manuscriptus, tamen Vaticanum bene exprimens, et priscas literas ac mores illustrans, multis manuscriptis anteponendus est.

Inter codices Burneienses sex sunt Virgilii, nempe Æneis, cod. membran. pag. 240. collat. ad pag. editionis Chr. Gottl. Heynii, quæ Londini edita est 1793. Alius Æneid. cod. p. 370. Alius Virgilii Operum, p. 469. Alius Virgilii

Digitized by Google

Operum cum scholiis, p. 411. Alius Virgilii Æneid. cod. p. 231. Alius Virgilii Oper. cod. p. 468. Omnes in variis partibus collat. ad pag. Chr. G. Heynii, ut supra.

Ex his alii sunt membranacei, eleganter quidem satis scripti et illuminati; unus chartaceus, sed antiquus: ætat. diversarum sunt, forsan decimæ tertiæ, decimæ quartæ, et decimæ quintæ.

Ex Harleien. non duo vel tres sunt numerandi, sed quam plurimi; immo forsan qui omnes omnium publicarum bibliothecarum Londinens. una collectos superarent; quorum alii opera Virgiliana tenent, alii Æneida, vel Bucolica, vel Georgica, vel opuscula Virgilii separatim; ætatumque diversarum et characterum; quorum alii ob pulchritudinem et antiquitatem magni sunt pretii.

In biblioth. Reg. Pal. est Virgilii codex, eleganter scriptus et illuminationibus ornatus.

In biblioth. Pal. Lambeth. est unus cod. circiter cent. XIII.

Ex antiquissimis bibliothecis tam Oxon. quam Cantab. omnes pæne codices olim vel subrepti erant vel amissi;[1] at nunc inter libros Bodleianos in ordinem redactos sunt quidam codices Virgilii.

Mss. Ang. et Hiberniæ Catalogum[2] præcipue sequimur. Inter archiep. Laudi est commentarius in Virgilii Æneida. Inter Kenelmi Digbæi codd. sunt Virgilii Æneidos libri sex priores. Inter codd. Bodleii, Virgilii Bucolica: et inter alia folia hujusce cod. aliæ partes Virgilii operum; et alibi singuli libri et librorum fragmenta. Hic numerari forsan possit Gaweni Douglas Dunkeld. episc. Virgil. cum Junii notis, ipsius manu scriptis; et D'Orvillii codices, quorum numeravi octo,[3] una cum tribus libris impressis notas intermistas continentibus. Heynius de uno codice D'Orvilliano

NOTÆ

[1] Vid. Reliq. Bodleianæ et Cali, Hist. Cantab.

[2] Catalogus erat impressus Oxon. e Theatro Sheldoniano, 1697.

[3] Codices manuscripti et impressi, cum notis Mss. olim D'Orvilliani, &c. Oxon. 1806.

Digitized by Google

loquitur ut recentioris ætatis,[1] qui et est inquinatissimus, nec dignus a quo mera librariorum vitia enotentur: et similiter Burmannus de uno et altero.

In Musæo Ashmolæo sunt P. V. M. Bucolica, Georgica, et Æneis. In hoc codice item occurrunt annotationes in Publ. Virgilii Maronis lib. VI. fol. memb.

Duo adjiciendi sunt Arundeliani ab Heynio memorati.

In Colleg. Baliol. biblioth. sunt Virgilii Opera, fol. In Colleg. Novi, Virgil. Æn. cum Vegii Append. et Astyanacte. In Colleg. Lincoln. Servii comment. in Virgil., fol., et Corp. Christi, Vita Virgilii Ms.

Quod ad Cantabrigiam spectat, in bibliotheca publica sunt codices manuscripti, nempe, Virgilii Opera, multum notis interlineata, membran.; et Virgilii Opera, sine notis, circa cent. XIV. membran. et illuminata. Sunt etiam ibidem, sed in diversis voluminibus, Culex, et Ætna, cum aliis quibusdam.

In Sancti Petri ejusdem Universitatis unus est codex Ms. Virgilii Op. antiquus, membran., notulis multum interlineatus; collatus, si recte audivimus, a Ricardo Bentleio, una cum Terentio ibidem, cujus ipse mentionem facit in editione Cantab. 1726.

Caxtoni Virgilius, etsi non Ms., sed Msto, quasi proximus, et rarissimus, in biblioth. Coll. Trin. est notandus:[2] in eadem etiam Virgilii Æneis, cod. In Aulæ Pembrochianæ, libri II. Virg. Æneidos. Bucolica 2.

In Colleg. Jesu Virgilii est cod. sub initio mutilatus.— Et hactenus de Cantabrigiensibus.

Ecclesiæ Westmonasteriensis bibliotheca, inter multos scriptorum Classicorum codd. Mss., conservavit Virgilii Opera, Virgilii Æneida, et Virgilii Eclogas, in diversis voluminibus.

Bibl. Norfolc. asservata in Coll. Gresham. Lond. (cujus

NOTÆ

[1] De Virg. codd. Mss. Heynii Virg. &c. ut in hac nostra editione, p. 4570.

[2] Est quasi Æneidos epitome, e sermone pedestri Gallico, 1490.

Digitized by Google

Naturæ et Artis Rara descripsit Nehemiah Grew, LL.D.) habuit tres etiam codd. Unum nempe Virgil. Æneid. cum comment. continentem: alterum, fragmenta ejus varia; tertium, Virgilii Opera, cum notis marg., et propria manu Dom. Jo. Pirkeymeri scripta. Vid. Catal. Libr. Mss. Ang. et Hib.

Ecclesia Cathedralis apud Vigorniam varios habet codices, quosdam multum æstimandos. Apud eos Classici nominis, sunt Virgilii Eclogæ, et Persius, in uno libro, simul cum iis diversos diversi nominis tractatus amplectente. De charactere vero hujusce cod., præ memoriæ fragilitate, nihil dicimus.

Hæc quoad Anglicanos codices: nec sunt Scotici, si pauci, prætereundi. In Juridicæ enim Facultatis bibliotheca (The Advocates' Library at Edinburgh) cui multæ raræque Virgilii editiones insunt, duo sunt etiam codices Mss. Virgiliani, quorum prior, si multis abhinc annis inspicientibus judicare liceat, est pretiosus, ut qui forsan sit XII. vel XIII. cent. Æneidos libros XII. amplectitur. Posterior est ætatis multo recentioris: scriptus, ut in codice notatur, a. 1467.

In bibliotheca Societatis Antiquariæ Edinb., ubi plura magni pretii servantur, sunt antiquissimi Virgiliani codicis Vaticani fragmenta, et picturæ ad priscas imaginum formas a Petro Sancte Bartholi incisæ. Romæ, 1741. Hic, ut supra diximus de Lansdouniensi, non quidem est codex Ms., sed præ multis codicibus æstimandus. Lectori, qui de codice ipso Vaticano recte judicare velit, Fabr. bibl. Lat. ad Virgilium, et Heynius de Virgilii codicibus, consulendi sunt. Hic liber inter raros est annumerandus.

Et tamen unum exemplare in biblioth. Sancti Andreæ, Scot. alterum in biblioth. Reg. Aberdon., tertium in Glasg. biblioth., et etiam quartum in biblioth. Regal. Institutionis apud Londin. vidimus.

Si porro recte meminerimus (obiter et imperfecte intuentibus caute dicendum est) in una ex Universitatibus Scot. latent celeberrimi Georgii Buchanani in Virgilium cum notis criticis commentarii Mss.

Digitized by Google

In biblioth. Glasg. sunt Horatius, Terentius, et Virgilius script. sed cum notis Mss. Horatius quam plurimas habet notas ex Vossii Mss. exscriptas. Sunt etiam Virgilio notæ quam plurimæ; et Georgicorum Æneidumque capitibus poëtica Argumenta.

In Hibernia duæ sunt bonæ famæ bibliothecæ, et ex iis una, Collegii Sanctæ Trinitatis, dives est codicum Mss. quorum alii magni sunt pretii, præsertim ii quos vir magni nominis, Arch. Usserus, collegerat, sed utrum aliquos Virgilii contineant hæc cimelia, nihil accepimus.

Hactenus de codicibus qui in biblioth. publicis servantur; de iis qui in privatis non hic loci est inquirendum. Oculo autem currente intuentes, notamus unum, quem jam in manibus tenemus, Ms. codicem, Valpianum, nempe Virgilii Bucolicorum et Georgicorum: quædam in eo satis bene, plura male satis; sed per totum eleganter scriptum et initialibus pictum aut illuminatum. Cent. circiter XIV.

Talia de codicibus Virgilianis Britannicis satis, ut opinamur; forsan plus quam satis. Si enim alii codd. Mss. Virgiliani sint bonæ notæ, et ob antiquitatem multum æstimandi, alii sunt alga viliores. Et ne super his rebus aliqui insaniant, quæ doctissimus Heynius summo judicio disseruit, audiant. Vide supra p. 4575.

Est etiam apud Heynium, 'Notatio codicum qui in Variis lectionibus laudantur:' et inter Britannicos, quos in præsentibus paginis protulimus, hos memoravit Vir clarus: Arundelianos duo, unum Bodleianum, unum Cantabrigiensem, unum e D'Orvillianis, (de quo mentionem facit et Burmannus,) Regiumque Londinensem.

Inter narratiunculam hancce concludendam, Lectori intelligendum volumus, nos non necessarium duxisse super Versionibus eum morari. De his abunde Socii Bipontini, et præsertim de Anglicanis. At ne nimis breves aut otiosi quibusdam videamur, Heynium secuti, hosce libros sequentes de Versionibus subjungimus: de Gallicis, Abbé Gougeti Bibliothèque Françoise, vol. v. c. 4. et Catal. des Livres imprimés de la biblioth. du Roi. Poët. n. 922. seqq.;

Digitized by Google

de Italicis, Quadrio della storia e Ragione d'ogni Poësia et Fontanini Biblioteca dell' Eloquenza Italiana con le Annotazioni dell' Apostolo Zeno, cap. 5., it. Catalogo de la Libreria Capponi, p. 389. sqq.; de Anglicis, Lud. Gul. Brüggemanni 'View of the English editions, translations, and illustrations of the ancient Greek and Latin authors, with remarks;' de Teutonicis, libros Schumelii et Degeni.

Præter editores et interpretes sunt qui in dissertationibus de singulis partibus vel libris Virgilii sese exercuerunt: ut historicus Gibbonus, qui juris publici fecit 'Critical Observations on the sixth book of Virgil'[1] (a Sociis Bipontinis memoratas); quibus theologi Warburtoni hypothesin de Mysteriis Eleusinianis,[2] ingeniose magis et confidenter quam feliciter aut fideliter constructam, deturbavit et penitus evertit. Ex hoc etiam ordine Samuel Henleius, D. D., annumerandus sit, in 'Observations on the subject of the fourth Eclogue, the Allegory in the third Georgic, and the Primary Design of the Æneid of Virgil' (Lond. 1784.); in qua Episcopi Lowth, scriptoris elegantissimi, sed in hac re argumenti rationi minus congruentis, theoria opponitur; et nuperrime, qui publicavit 'Observations in illustration of Virgil's fourth Eclogue,'[3] anon. sed a Granvillio Penn, Eq. Aurat. docte admodum enunciatas; quibus demonstrare pergit, quartam Eclogam in Cæsaris Octavii honorem scriptam esse, et ejus ipsius diem natalem celebrare; nimirum, cum solidum supremæ potestatis primum jam posuisset fundamentum, super quod brevi post tempore Imperialem Romæ Monarchiam erexit.

Quod ad Codd. spectat, sint qui nos plus quam satis dixisse forsan existiment; et jure quidem: atque tales lectores ipsi monendos velimus, ubi tam librorum, quam oculorum nos fidei commendamus, ibi quæ damus cum

NOTÆ

[1] Primo ed. 1770., recusa 1794., II. sect. 4. et inter Opp. Gibboni nunc iterum.

[2] Divine Legation of Moses, Lib.

[3] Lond. 8vo, 1810.

Digitized by Google

grano salis accipienda esse: quippe viris, his rebus versatis, bene notum est, et libros et codices, etiam raros, pretiosos, non nunquam e sedibus evanescere, quas semper occupasse debuerunt: adeo ut super pluteos, ubi solebant stare, fere dicendum sit, ut sepulchrali cuidam monumento fuit inscriptum, *Caius Fui.*[1] Etiam nobismet, paucis abhinc annis, levibus, at literariis, itineribus occupatis, non pauca quædam hujuscemodi observata erant; nempe volumina, quæ semper socia fuisse debebant, longius separata; et codices, uni librario proprii, in alio delitescentes; immo privatis manibus hærentes, qui recte publicis Bibliothecis erant adjudicandi. Ut ut hæc sint, sive homuncionum fraude, sive librariorum negligentia, obiter tantum hæc memoravimus, ne quis bibliographus, vel bonarum literarum diligens pervestigator, nobis vitio vertat, quod aliorum fraudi vel somnolentiæ debeatur.

DE ANTIQUIS
VIRGILII INTERPRETIBUS.

De antiquis Virgilii Interpretibus diligentius agere cum constituissem, fregit impetum, quod audieram, viros doctissimos inter Belgas cum maxime eum lapidem volvere. Ne prorsus expectationem destituam, nomina saltem, quæ mihi se obtulere, apponam.

Cum de temporum, quibus vixere Grammatici, rationibus parum aut nihil constet, ad alphabeticum ordinem eos memorabimus; omnino illud præfati, si diligentius inquiras, paucissimos esse, quos data opera in Virgilium commentatos esse constet. Plerique in libellis suis grammaticis verba ex Virgilio laudarant et illustraverant, male propter hæc in numerum Commentatorum relati. Præiverat in plerisque Ge. Fabricius in Auctorum a Servio lauda-

NOTA

[1] In Capella Cail Coll. Cantab.

Digitized by Google

torum Catalogo Servianis præfixo. Add. Burmann. Sec. præf. (p. 39.) et Harles. Notit. lit. Rom. p. 233.

Parum subtili judicio inter Grammaticos referuntur Tucca et Varius, amici poëtæ, quibus negotium ab Augusto datum esse fertur, ut Æneidem emendarent: v. Vit. Virg. sub f. Donatus V. V. s. 52. sq.

Adamantius Martyrius: quo jure inter Virgilii commentatores habeatur, ignoro; nam, quæ de Orthographia apud Cassiodorium ex eo excerpta sunt, nihil ejusmodi produnt.

Æmilius: apud Pompon. Sab. ad Æn. XI. 696. ubi v. verba in V. L. Nihil de eo aliunde constat.

Alexander: in Servianis ad VIII. 330. ubi Servius ipse eum sequi dicitur; quod et ap. Pompon. Sab. p. 399. extr. affirmatur de VI. 100. Add. ap. eund. p. 393. extr. p. 400. 401. 402. 404. Male de Alexandro Polyhistore cogitant viri docti. Probabilius est, fuisse eum, quem Maro puerum amasse et grammaticum dimisisse narratur in Donati Vita V. s. 20. 21.

L. Annæus Cornutus. Aliquoties memoratur apud Serv. ad Æn. I. 49. 154. 492. IX. 348 et 675. et ad Ge. I. 277. ubi recte ille vetat, contra Probum, aspirationem in *Orcus* addi, ut sit Orchus. Apud Gell. II. 6. ubi de loco Ecl. VI. 75. 'Nonnulli grammatici ætatis superioris, in quibus est Cornutus Annæus, haud sane indocti neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium composuerunt.' Ne tamen proprie hoc dictum putes, alter locus ejusdem vetare videri potest: IX. 8. 'sed Annæus Cornutus, homo sane pleraque alia non indoctus neque imprudens, in secundo tamen librorum, quos de figuris sententiarum composuit, egregiam totius istius verecundiæ laudem ('Conjugis infusus gr.' Æn. VIII. 404. sq.) insulsa nimis et odiosa scrutatione violavit. Nam —*membra* tamen, inquit, paulo incautius posuit.' Potuere igitur et reliqua in hoc vel simili opere apposita esse. Add. Macrob. Sat. v. 19. Verum tamen Charis. Instit. gr. I. Putsch. pag. 100. 37. 'Civitatium. Annæus Cornutus ad Italicum de Virgilio l. X.' —et p. 102. 25. 'L. Annæus Cornutus in Maronis commentariis Æneidis X.'—Conf. Burmann. præf. (p. 40.), ubi Scalig. ad Euseb. p. 197. laudatur.

Apronianus (de quo v. sup. de Virgil. Codd. s. IV.) inter Grammaticos, qui in Virgilium commentati sint, pluribus locis refertur a Pomponio Sabino; quo jure, non assequor.

Digitized by Google

Arusianus Messius; nobilis Grammaticus seu verius rhetor, sæc. v. cf. Saxii Onomast. T. I. p. 511. ubi v. qui laudantur, impr. Burm. præf. in Virg. (p. 41.) Sunt ejus Elocutionum exempla ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone, per literas digesta.

Asconius Pedianus, qui sub Claudio et sequentibus annis vixit, an Commentarium in Virgilium scripserit, valde dubito. Fuit ejus libellus contra obtrectatores Virgilii: teste Donato in V. V. s. 64. e quo petita esse videntur, quæ in Servio et Philargyrio habentur ad Ecl. III. 105. IV. 11. et in Vita Virg. s. 21. 64. 65.

Asper: sæpius ille in partes vocatus a Servio, etiam a Philargyrio. Ad Æn. VII. 648. 'Contemtor Divum.' Eum laudat Macrob. III. 5. Est alius antiquior, a Charisio, Prisciano, et aliis laudatus, alius junior. De neutro quicquam ad liquidum perductum. Pomponius Sab. p. 153. in Æn. I. 92. 'Eripiunt subito nubes cœlumque diemque:' 'Æmilius Asper in hoc loco ait: Hæc membra natura sic solet jungere.' Alius apud eundem locus est p. 400. ad Æn. VI. 114.; item p. 401. et 419. Forte utroque loco leg. Velius Asper, idem qui Velius Longus. Benedictini Auctores Artis Diplom. Tom. III. p. 153. fragmenta Aspri in codice rescripto detexerant, et quidem siglis scripta; ex iis, quæ inde apposuere, vix magnum fieri potest desiderium amissi operis. Posuerat grammatica et poëtica observata vel præcepta, subjectis pro exemplo Virgilianis verbis vel phrasibus.

Avienus. In Servio ad X. 272. 'Avienus —, qui iambis scripsit Virgilii fabulas,' et ad v. 388. 'Avienus, qui totum Virgilium et Livium iambis scripsit' nullum fundum facit, cui aliquid superstruas. Ingeniose Wernsdorf. ad Poët. min. Tom. IV. p. 555. sqq. conjicit, Æneidem contractam in breve carmen fuisse; alio autem loco, Tom. V. p. 673. ad Themata Virgiliana Avieni operam revocat. Non magis dixeris, quo libro illa de Cometis tradiderit, quæ ibid. ad v. 272. memorantur. Avienus est inter eos, quos Macrobius Saturnalibus suis interesse voluit; diversus utique ab altero: vide Cannegiet. Diss. de Aviano c. 2.

Avitus. Donat. Vit. Virg. s. 63. 'Sunt et Q. Octavii Aviti Ὁμοστελεύτων octo volumina, quibus annotantur, quos et unde versus transtulerit.'

Bæbius Macer: laudatur a Servio ad Ecl. IX. 47. et Æn. V. 556. Ex neutro tamen loco commentatorem Maronis agnoscas.

Calvus, vide Titianus.

Digitized by Google

Caper laudatur a Servio ad Æn. VI. 545. IX. 709. X. 788. XII. 120.; quo ultimo loco veram lectionem prodit 'Velati limo.' Nullus tamen locus probat, Caprum singularem in Virgilium librum scripsisse. Est autem Flavius Caper, cujus libellos grammaticos in Putschiano corpore habemus; alii periere.

Carminius. Eum in Virgilium scripsisse, loca ap. Servium ad Æn. VI. 638. 862. VIII. 406. vix probant; potuerunt omnia illa in libro de elocutione apposita esse, quem idem Servius memorat ad Æn. V. 233. At 'Carminius de Italia libro secundo, curiosissimus et doctus scriptor,' ap. Macrob. V. 19. videtur Granius esse, quod Meursius conjectavit.

Carvilius Pictor: cujus liber fuit Æneidomastix. Donat. Vit. Virg. s. 62.

Casuus Sacerdos: Ejus 'Paraphrasis super sex Virgilii libris,' item, 'Trium Eclogarum v. enarrationes,' cum aliis libris grammaticis fuere reperti in Cod. Bobiensi; testante Raph. Volaterr. Comment. Urb. IV. sub f., unde hæc prodidit Fabric. B. L. Vol. III. p. 744. Forte Cassius Sacerdos verum nomen fuit.

Celsus, s. Aruntius Celsus, inter veteres Grammaticos est, quorum excerpta in Auctorib. LL. extant. Idem Plautum, Terentium, Virgilium, scholiis illustrasse fertur. Quæ sub nomine Celsi laudantur, cum ad Georgica spectent omnia, in Cornelii Celsi libro de re rustica locum habere potuisse, ut nec neges, ita nec affirmes cum Bianconio Epp. de Celso: Ep. VII. Quæ in Charisio occurrunt, p. 180. et 191. potuere in aliis libellis grammaticis occurrere.

Declamationes in Virgilium: Serv. in Æn. X. 532.

Ti. Claudius Donatus, recentior Ælio Donato, qui S. Hieronymi præceptor fuit, Prisciano tamen et Servio, qui eum laudant, antiquior, Grammaticus: de quo vid. apud Saxium. Vita Virgilii, quæ ad eum refertur, si modo eum auctorem habet, fœdissime a monachis est interpolata. Commentarius in Æneidem, ad Ti. Claudium Maximum Donatum, filium, scriptus, partim et ipse interpolatus est, partim argutiis rhetoricis ad fastidium est refertus; quo factum adeo, ut pro supposititio habitus sit: cf. Burm. præf. (p. 37.) Ferebantur in antiquioribus edd. fragmenta ex eo pauca, jam inde ab edit. Ven. 1489. Pleniorem e bibliotheca Joviani Pontani eum vulgavit Scipio Capycius Neap. 1535. unde, vix magno cum fructu ad juventutem, recudi eum curavit Ge. Fabricius Basil. 1551. rep. 1561. 1575. 1586. 1613. Multo pleniora

Digitized by Google

exemplaria in bibliothecis servari, a viris doctis affirmatur: vid. Burmann. præf. (pag. 38. sq.)

Eros librarius et libertus Virgilii. Donatus in Vit: Virg. s. 49.

'Fabius Planciades Fulgentius de allegoria libror. Virgilii ad Chalcidium Grammaticum, sive de expositione Virgilianæ continentiæ.' Primum ed. a Commelin. 1589. iterum a P. Daniele 1600. auctior e Cod. Ms. et recusus a Munckero et van Staveren in auctorib. Mythographis Latinis. Vix ullum ex eo ad Virgilium fructum speret aliquis, cum insulsissime detorqueat nominum et sententiarum rationes ad virtutis morumque occultas interpretationes grammaticus ineptissimus. Quando vixerit, parum constat, nec expedire potuit Muncker. in præf. ad eum, nisi quod Afer fuit, et Vandalis Africam tenentibus sæculo forte sexto vixit.

Glossariolum Virgilianum prisco Maronis codici subjectum tractaverat Casp. Barthius, unde in Advers. XXXVII. 5. specimen proposuit. Comparando poterunt forte firmari nonnulla jam aliunde nota; alia sunt depravata et interpolata.

Gnifo. M. Antonium Gniphonem, de quo Sueton. ill. Gr. 7. memorat, in Georgica scripsisse, a Charisio proditum esse (Grammat. Putsch. p. 184. 3.) aiunt; nec tamen ille locus necessario hoc infert. Omnino eundem esse negat Burmann. præf. (p. 40.) Cf. Heins. ad Claudian. pag. 180. ubi Schol. ad Ge. II. 119. Ms. Leid. excitat.

'Grillius ad Virgilium de accentibus scribens' apud Priscian. Putsch. p. 560. 26.

Hebrus. Serv. ad Æn. VII. 6. *Quierunt*: 'Hebrus *quierant* legit.' Ad e. l. Burm. 'Parrhas. Quæsit. per Epist. IV. 5. legit: Acron Helenius.' Parum tamen probabile.

Herennius: vitia Virgilii contraxerat. Donat. Vit. Virg. s. 62.

Hyginus. Julius Hyginus: inter Commentatores Virgilii vulgo refertur. Forte idem ejus liber fuit, qui de agricultura laudatur. Gell. I. 21. de loco Ge. II. 246. 247. 'Hyginus, non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis, quæ in Virgilium fecit,'—(invenerat *amaror*) et XVI. 6. 'Hyginus Julius—in quarto librorum, quos de Virgilio fecit.' Exscripsit Macrob. VI. 9. ubi 'in quinto librorum' legitur. Est etiam locus in Æn. VII. 187. quem ille reprehenderat, Gellio teste V. 8.; fieri tamen hoc potuit aliis in libellis, ut de Urbibus Italicis, de Familiis Trojanis, quos Servius

Digitized by Google

nec minus laudat. Ex priore utique libro petitum, quod in Servio habetur ad Æn. I. 281. et 534. VII. 47. Nescio unde petitum sit, quod in Servio legitur ad XII. 120. et ap. Jul. Sabin. ad VI. 616. pag. 401.

Junii Philargyrii, vel Philargyri, Scholia in Bucolica et Georgica ad Valentinianum; unde colligere licet, si modo Valentinianus Augustus is est, Valentiniani Imp. ævo eum vixisse. 'Illud certe constare putabat Ursinus, eum non longe a Servii ætate abfuisse et Virgilii chirographo usum esse, ut ex ejus commentario apparet, in quo multa proferuntur ex iis scriptoribus, qui temporibus non nisi antiquissimis extabant.' Sunt multa quæ adversus hæc disputari possint; rem tamen in medio relinquimus. Extant ex eo excerpta fragmento vetusto Serviano inserta et ab Ursino exscripta: vide sup. Edd. 1587. 1589. Inde in ed. P. Danielis 1600. et a P. Burmanno repetita. Notata in eum sunt nonnulla a Jano Broukhusio Tom. I. edit. Burmann. add. ejusd. præfat. (pag. 34.) et ante eum Janum Rutgers. Var. Lect. VI. 15.

Julius Pomponius Sabinus. De hoc satis multa dicta sunt sup. ad Edd. 1486. unde rep. 1519. 1544. 1561. et al. Basil.

Martius Salutaris a Charisio Putsch. p. 181. 18. 203. 46. ad verba Virgiliana excitatur. Sed potuit hoc in opere grammatico diversi argumenti fieri.

Melissus. Fuit utique hoc nomine grammaticus: de quo v. Sueton. ill. Gr. 21. An vero in Virgilium commentatus sit, alia quæstio est. Quod apud Donatum Vit. Virg. s. 27. ille tradidit, Virgilium sermone tardissimum fuisse, in libris Ineptiarum scriptum esse potuit. Ad Æn. VII. 66. in Servio est: Melissus 'qui de apibus scripsit' hoc ab indocto interpolatore insertum esse arbitror.

Modicius a Pontano et Cerda passim ad Æneidem laudatur; noli tamen inter veteres Grammaticos eum referre. Est Gulielm. Modicius sæc. XVI. exeuntis poëta et grammaticus, qui 'Virgilium a calumniis vindicatum' scripsit.

Nigidium Servius laudat; non vero tanquam grammaticum, qui in Virgilium commentatus sit. Ejus Commentarius grammaticalis indefinite memoratur ap. Serv. ad Ge. I. 120.

Nisus grammaticus passim laudatur in Opere Putsch. Quod inter Virgilii commentatores refertur, petitum est ex Vita Virg. Pseudodonati s. 60.

Digitized by Google

Perilius Faustinus furta Virgilii collegerat. Donat. Vita Virg. s. 62.

Pollio. In Servianis ad Æn. VI. 554. ubi de aura ac vento in locis inferis agitur (conf. ad Ge. IV. 484.) 'De illo enim loco multi quærunt: 'quis tantus plangor ad auras?' Sed Pollio dicit Æneas et Sibyllæ, quas illi secum traxerant; cum constet etiam illic esse auras.' Jul. Sabinus ad VI. 134. 'Bis Stygios.' 'Pollio admiratur, cum Æneas esset futurus Deus, cur dicat *bis*. Solvitur hoc, quia apud Homerum Ulysses vidit umbram Herculis apud Inferos.' Similes itaque ineptias in Maronem contulerant, quales Porphyrii aliorumque fuere in Homerum.

Probus. Valerius Probus Grammaticus; qui sit inter varios Probos, disputantem vid. Burmann. Sec. præf. (p. 35.) et Tom. I. Anthol. pag. 739. Probum illum veterem ex Neronis temporibus bene novimus ex Suetonii Ill. Gr. cap. 24; alter fuit sæculi Adrianei. Laudatur a Gellio IX. 9. ejus judicium de vers. Æn. I. 504. sq., aliud XIII. 20. ubi Georgicorum ms. autographum Virgilii habuisse narratur. Sæpe Servio in Æneidem, semel in Georgica, memoratur; etiam Donato in Comm. in Terent. et Macrob. V. 22. Commentarius ejus in Bucolica et Georgica circumfertur, sed nomine tantum; sunt enim, uno vel altero loco *forte* excepto, tenuia et jejuna excerpta, eaque interpolata, quæ primus in lucem protulit Jo. Bapt. Egnatius in edit. 1507. 'quemadmodum illa ex codice vetustissimo ms. Bobii quondam a Georgio Merula invento adnotaverat.' Repetitus inde est a multis, et Servii, Donati, aliorumque commentariis fere adjectus.

Servius Maurus Honoratus sæc. V. grammaticus. De eo vid. Burmann. præf. (p. 20. sq.). Alios, de eo qui egerint, vid. apud Saxium Onomast. Tom. I. pag. 471. add. Masvic. præf. De interpolationibus cf. Justi Specim. Obss. crit. p. 35. Commentarium in Æneidem prius exaraverat, tum in Eclogas, ultimo loco in Georgica; conf. Burmann. præf. (p. 22.) et ad Ge. I. 208. Ex trinis his Commentariis habemus farraginem, bonis malisque, seriis ac nugis, adeo commixtam, ut, quid ad Servii auctoritatem referre malis, interdum vix in promtu habeas. Usus saltem ejus ad interpretandum poëtam esse potest exiguus aut nullus, nisi accesseris ad poëtam ita jam literarum peritia et usu instructus, ut, quæ tollenda an relinquenda sint, perspectum habeas. Sane multa inesse

Digitized by Google

ex antiquioribus Interpretibus servata, dubitare vix licet; nec minus tamen innumera a serioribus attexta. Habuit enim idem fatum Servius, quod Græci grammatici, ut essent, modo qui antiqua contraherent vel omitterent, modo qui excerptis alia, plerumque deteriora, admiscerent aut e margine insererent. Mirum hominis est studium revocandi pleraque ad veteres Romanas religiones, Pontificias et Flaminias; nec multum abest, quin Æneam Flaminis munere fungentem exhibeat. Nullus est codex, qui omnia, quæ sub ejus nomine habemus, complectatur. Quid? quod narrant adeo codices nondum inspectos extare ampliores iis, qui expressi sunt: v. Burmann. præf. (p. 27.); adde 'de Brosses Salluste' Tom. III. p. 393. Primæ editiones Servii valde erant contaminatæ; itaque per superiores ætates virorum doctorum incredibile fuit studium in congerendis undique et amplificandis laciniis Servianis. De editionibus quidem diligenter actum est in edd. Virgilii recensu. Primo statim impetu a. 1471. prodiere edd. quinque. Emendarunt Servium Phil. Beroaldus, Lud. Carbo, P. Cenninus, Jo. Calpurnius, Jo. Bapt. Egnatius, Rob. Stephanus, Ge. Fabricius, Fulv. Ursinus, P. Daniel, Masvicius, Burmannus.

Terentius Scaurus, clarissimus Grammaticus, quo jure inter Commentatores Virgilii referatur, non reperio.

Titianus. 'Et Titianus et Calvus, qui themata omnia de Virgilio elicuerunt et conformaverunt ad dicendi usum' rhetores: Serv. ad Æn. X. 18. Idem ad Æn. IV. 42. ejus Chorographiam laudat. Conf. de eo Cannegieter ad Avian. p. 278. et Wernsdorf P. L. M. To. V. p. 666. sq.

Trogus. Servius ad Æn. VI. 783. 'animos æquabit Olympo.'— 'De hoc autem loco Trogus et Probus quærunt.' Vid. ibid. Var. Lect. Laudatur Reines. Epp. ad Hofmann. pag. 660.; nihil tamen ibi reperies præterquam libertum Trogum ex marmore.

Velius Longus, nobilis grammaticus. Macrob. Sat. III. 6. '*saxo vetusto* Æn. III. 84 Velius Longus: immutatio est, inquit, epitheti; vult enim dicere vetustatem templi: hunc multi alii commentatores secuti sunt.' Charis. lib. II. in Putsch. p. 153. 17. '*dixere* pro dixerunt—quam figuram alii duplicem existimant, de qua etiam Velius Longus in secundum Æneidos satis commentatus est: 'Conticuere omnes intentique ora tenebant.'' In Servianis ad Æn. X. 245: 'Longus ait: deest *venerit*, unde et ipse *spectabis* legit.'

Digitized by Google

Victorinus. Unus Servii locus ad Æn. v. 373. 'In mare purpureum.'—'Unde apparet Victorinum hoc loco errasse, qui 'purpureum mare' rubrum esse dixit, quod est juxta Indiam.' Est is forte Fabius Marius Victorinus sæc. IV. rhetor, cujus libelli in Grammat. vet. habentur.

Virgiliomastix: apud Serv. ad Ecl. II. 22. et Æn. v. 521.

Urbanus. Ad decem sunt loca in Ge. et Æn. ap. Servium; unde vix licet dubitare, eum in Virgilium commentarios scripsisse.

Digitized by Google

TESTIMONIA DE VIRGILIO

H. E.

LOCA VETERUM SCRIPTORUM IN QUIBUS DE VIRGILIO MEMORATIO FIT.

QUINTILIANUS *Lib.* X. *cap.* 1. §. 85.

Idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius, auspicatissimum dederit exordium: omnium ejus generis poëtarum Græcorum nostrorumque illi had dubie proximus. Utar enim verbis iisdem, quæ ab Afro Domitio juvenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus, inquit, est Virgilius: propior tamen primo, quam tertio. Et hercle, ut illi naturæ cœlesti atque immortali cesserimus, ita curæ et diligentiæ vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum; et quantum eminentioribus vincimur, fortasse æqualitate pensamus. Ceteri omnes longe sequuntur.

ANTHOLOG. V. 74.

Καὶ φίλος Αὐσονίοισι λιγύθροος ἔπρεπε κύκνος
Πνείων εὐεπίης Βιργίλλιος· ὅν ποτε Ῥώμης
Θυμβριὰς ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πατρίδος ἠχώ.

D. AUGUSTINUS *de Civ. Dei Lib.* I. *c.* 3.

Virgilium pueri legant, ut poëta magnus omniumque præclarissimus atque optimus, teneris imbibitus annis, non facile oblivione possit abòleri.

* * * * *

Sequuntur carmina Grammaticorum et argumenta operum Virgilii.

* * * * *

Digitized by Google

POEMATA DE VIRGILIO.

I.

P. Virgilii Maronis vita, a Phoca Grammatico urbis Romæ, versibus edita. Vid. Antholog. Lat. P. Burmanni Sec. T. I. Lib. II. Ep. 186.

PRÆFATIO.

O vetustatis memoranda custos,
Regios actus simul et fugaces
Temporum cursus docilis referre,
Aurea Clio.
Tu nihil magnum sinis interire;
Nil mori clarum pateris; reservans
Posteris prisci monimenta sæcli
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis: sed, aperta quicquid
Veritas prodit, recinis per ævum
Simplice lingua.
Tu senescentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ.
Militat Virtus tibi; te notante
Crimina pallent.
Tu fori turbas, strepitusque litis,
Effugis dulci moderata cantu,
Nec retardari pateris loquelas
Compede metri.
His fave dictis: retegenda vita est
Vatis Etrusci, modo qui perenne
Romulæ voci decus arrogavit
Carmine sacro.

Mæonii specimen vatis veneranda Maronem
Mantua Romuleæ generavit flumina linguæ.
Quis facunda tuos toleraret Græcia fastus?
Quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem:
Æmula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset? 5

NOTA

5 vid. ad Vitam Virg. a. 684.

Digitized by Google

Huic genitor figulus Maro nomine: cultor agelli,
Ut referunt alii, tenui mercede locatus.
Sed plures figulum; quis non miracula rerum
Hæc stupeat? dives partus de paupere vena
Enituit: figuli soboles nova carmina finxit. 10
Mater Polla fuit, Magii non infima proles,
Quem socerum probitas fecit jam clara Maroni.
Hæc cum maturo premeretur pondere ventris,
Ut solet in somnis animus, ventura refingens,
Anxius et, vigili præsumere gaudia cura, 15
Phœbei nemoris ramum fudisse putavit.
O sopor indicium veri! nil certius unquam
Cornea porta tulit. Facta est, interprete lauro,
Certa parens, onerisque sui cognoverat artem.
Consule Pompeio vitalibus editus auris, 20
Et Crasso, tetigit terram; quo tempore Chelas
Jam mitis Phaëton post Virginis ora receptus.
Infantem vagisse negant. Nam fronte serena
Conspexit mundum, cui commoda tanta ferebat.
Ipse puerperiis arrisit lætior orbis: 25
Terra ministravit flores; et munere verno
Herbida supposuit puero fulmenta virescens.
Præterea, si vera fides, sed vera probatur,
Lata cohors apium subito per rura jacentis
Labra favis texit dulces fusura loquelas. 30
Hoc quondam in sacro tantum mirata Platone
Indicium linguæ memorat famosa vetustas.
Sed Natura parens, properans extollere Romam,
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet uni.
Insuper his, genitor, nati dum fata requirit, 35
Populeam sterili virgam mandavit arenæ:
Tempore quæ nutrita brevi, dum crescit, in omne
Altior emicuit cunctis quas auxerat ætas.
Hæc propter placuit puerum committere Musis,
Et monstrare viam venturæ in sæcula famæ. 40

NOTÆ

7 l. *locati.* 21 f. *Chelis—receptus.* 37 *in omen* Toll. conj.

Digitized by Google

Tum Ballista rudem lingua titubante receptum
Instituit primum, quem nox armabat, in umbris
Grassari solitum; crimen doctrina tegebat;
Mox patefacta viri pressa est audacia saxis.
Incidit titulum juvenis, quo pignora vatis 45
Edidit. Auspiciis suffecit pœna magistri.
' Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.
' Nocte die tutum carpe viator iter.'
Nos tamen hoc brevius; si fas simulare Maronem:
' Ballistam sua pœna tegit; via tuta per auras. 50
' Hic Ballista jacet, certo pede perge viator.
' Carcere montoso clausus Ballista tenetur,
' Securi fraudis pergite nocte, viri.
' Quid trepidas tandem gressu pavitante, viator?
' Nocturnum furem saxeus imber habet. 55
' Ballistæ vitam rapuit lapis, ipse sepulcrum
' Intulit; umbra nocens pendula saxa tremit.
' Crimina latronis dignissima pœna coërcet.
' Duritiam mentis damnat ubique lapis.'
Hinc Culicis tenui prælusit funera versu: 60
' Parve culex, pecorum custos tibi tale merenti
' Funeris officium, vitæ pro munere, reddit.'
Tum tibi Syronem, Maro, contulit ipsa magistrum
Roma potens, proceresque suos tibi junxit amicos.
Pollio, Mæcenas, Varius, Cornelius ardent; 65
Et sibi quisque rapit, per te victurus in ævum.
Musa refer: quæ causa fuit componere libros?
Sumserat Augustus rerum moderamina princeps.
Jam necis ultor erat patriæ: jam cæde priorum
Perfusas acies legitur visura Philippos. 70
Cassius hic, Magni vindex, et Brutus in armis
Intereunt. Victor, nondum contentus opimis

NOTÆ

56 h. ipsa lapidum strues ei pro tumulo fuit: *ipse* lapis: hinc *pendula saxa*, sub quibus umbra tremit; tanquam metuens ne obteratur.

66 leg. *Te sibi q.*

69 *jam acies*, h. exercitus, *legitur*, scribitur, paratur, in Macedoniam iterum deducenda ad pugnam faciendam l. *Perfusos*.

Digitized by Google

Emeritas belli spoliis ditasse cohortes,
Proscripsit miseræ florentia rura Cremonæ;
Totaque militibus pretium concessa laborum 75
Præda fuit. Violenta manus bacchata per agros.
Non flatus, non tela Jovis, non spumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus impia vastat.
Mantua, tu conjuncta loco, sociata periclis,
Non tamen ob meritum; miseram vicinia fecit. 80
Jam Maro pulsus erat. Sed viribus obvius ibat
Fretus amicorum clypeo: cum pæne nefando
Ense perit. Quid dextra furis? quid viscera Romæ
Sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit
Posteritas, ipsumque ducem, nisi Mantua dicat. 85
Non tulit hanc rabiem doctissima turba potentum.
Itur ad auctorem rerum: quid Martius horror.
Egerit, ostendunt; quid tunc miseranda tulisset.
Cæsaris hic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet: 90
Invenit carmen, quo munera vincere posset.
Prædia dat Cæsar, quorum brevis usus habendi:
Obtulit hic laudes, quas sæcula nulla silescant.
Pastores cecinit primos. Hoc carmine Consul
Pollio laudatur, ter se revocantibus annis 95
Composito. Post hæc ruris præcepta colendi
Quatuor exposuit libris, et commoda terræ
Edocuit, geminis anno minus omnia lustris.
Inde cothurnato Teucrorum prælia versu
Et Rutulum tonuit. Bissena volumina sacro 100
Formavit donata duci, trieteride quarta.
Sed loca, quæ vulgi memoravit tradita fama
Æquoris et terræ, statuit percurrere vates,
Certius ut libris oculo dictante notaret.
Pergitur: ut Calabros tetigit, livore nocenti 105

NOTÆ

78 in aliis: *quantum manus impia, vastant.*

87 *quid Martius horror Egerit ostendunt; qui tunc miseranda tulisset, Cæsaris* huic *placido nutu repetuntur a.* Toll. et Franc.

Digitized by Google

Parcarum, vehemens luxavit corpora morbus.
Hic ubi languores, et fata minantia sensit:

* * *

[Cetera deerant in exemplari.]

II.

De operibus Virgilianis incerti auctoris. Ibid. Lib. II. *Ep.* 173.

Mæonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, et léctum credat utrumque sibi.
Illius immensos miratur Græcia campos:
Ast minor est nobis, sed bene cultus, ager.
Non pastor, miles, nec curvus deerit arator. 5
Hæc Graiis constant singula, trina mihi.

III.

ALCINOI DE VIRGILIO. *Ibid. Ep.* 178.

De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro, primus erit.
Et si post primum Maro seponatur Homerum:
Longe erit a primo, quisque secundus erit.

IV.

De eadem re versus attributi Cornelio Gallo, scholastici poëtæ, ut apparet; expressi ex eodem Sulpicio Carthaginiensi. Ibid. Ep. 176.

Temporibus lætis tristamur, maxime Cæsar,
Hoc uno amisso, quem fleo Virgilium.
Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellos,
In quibus Æneam condidit ore sacro.
Roma rogat, precibus totus tibi supplicat orbis, 5
Ne pereant flammis tot monimenta ducum.

NOTÆ

II. 5 *deerit.* al. *deflt.* melius.

III. 4 *quisque* more seriorum pro *quisquis.*

IV. 3 *Qui vetuit r., si tu patiere,* Ed. Ven. 1472.

5 Eadem ed. *precibusque iidem* leg. *iidem.*

Digitized by Google

Atque iterum Trojam, sed major, flamma cremabit.
Fac laudes Italum, fac tua facta legi.
Æneamque suum fac major Mincius ornet.
Plus fatis possunt Cæsaris ora Dei. 10

V.

De eadem re veteris scholastici poëtæ versus, sub nomine Augusti Cæsaris. Ibid. Ep. 184. *Donat.* §. 56.

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum! solvetur litera dives?
Et poterunt spectare oculi? nec parcere honori 5
Flamma suo, dignumque operi servare decorem?
Noster Apollo veta, Musæ prohibete Latinæ,
Liber et alma Ceres succurrite. Vester in armis
Miles erat; vester docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid Ver ageret, quid cogeret Æstas; 10
Quid daret Autumnus, quid Bruma novissima ferret.
Arva reformavit: sociavit vitibus ulmos:
Curavit pecudes: apibus sua castra dicavit.
Hæc dedit, ut pereant? ipsum si dicere fas est.
'Sed legum est servanda fides. Suprema voluntas 15
'Quod mandat, fierique jubet, parere necesse est.'

NOTÆ

7 *Atque iterum.* Forte, *Anne iterum Trejam—flamma cremabit?*

9 f. *Æneamque tuum.* Tum *major Mincius;* magnus Minciades, Virgilius. Ornet ille carmine suo Æneam tuæ gentis auctorem. Ita vivet ille etiam post mortem, jussu Cæsaris. Alii legunt: *major nuntius.* Gallo hoc carmen tribuitur in Cod. Vatic. n. 1586. v. Præfat. ad fragm. Vatic. pag. XIV. Cod. *Æneidemque suum,* de quo Ouwens Noct. Hag. p. 285.

v. 4 *litera dives,* an multis egregiis sententiis refertus liber? ut mox VI. 7. *lingua dives.* f. *solvetur litera, Divi!* Valerio Martiali tribuitur hoc carmen in Cod. Vatic. n. 1586.

5 *nec parcere,* scil. poterit. *parcet* Ed. Ven. 1472. Eadem *ductumque operi servabit amorem,* ut al. ap. Burm. Præstat vulgata, non poterit servare, non servet, Æneidi æternitatem, qua digna est?

7 *Pulcher Apollo* alii.

12 *Arbuta formavit* alii.

14 modo, hoc eloqui, non jam nefas est! Burmann. pulchre conj. '*Ipso sic judice fas est, Et.* Ed. Ven. *ut perimant ipsum, si d.*'

Digitized by Google

Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies, supremaque jussa parentis
Amittant vigilasse suum. Si forte furenti 20
Erravit in morte dolor: si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Si mens cæca fuit: iterum sentire ruinas
Troja suas, iterum cogetur reddere voces? 25
Ardebit miseræ post vulnera vulnus Elisæ?
Hoc opus æternum ruet? et tot bella, tot enses
In cineres dabit hora nocens, et perfidus error?
Huc huc Pierides nemorum per lustra loquaces
Tendite; et ardentes ignes fluvialibus undis 30
Mergite: ne pereat tam clari Musa poëtæ,
Flammaque vanescat. Vivat Maro clarus in orbe,
Ingratusque sibi. Sed, quod male jusserat ipse,
Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitæ.
Sicque erit æternum tota resonante Camœna 35
Carmen, et imperii Divi sub nomine vivat.
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

NOTÆ

19 *supremaque verba*, Ed. Bas. et al.

20 *Amittant* pro perdant vigilias. Ed. Ven. *amittat*, et mox, *si forte superbus E. in morte piger*, ut alii ap. Burm. f. *si forte suprema Erravit jam morte dolor.*

25 f. *reddere pœnas.* conf. Ge. I. 502.

27 *Tam sacrum solvetur opus. tot* Ed. Basil. cum al.

29 Magna in seqq. scripturæ varietas. Ed. Ven. sic legit: *Huc, huc, Pierides, date flumina cuncta; sapores* (leg. *sorores*) *Expirent in* (del. *in*) *ignes: vivat Maro ductus (doctus) ubique, Ingratusque sui, studiorumque invidus orbi Et factus post fata nitens* (leg. *nocens*); *quod jusserat ille, Sit vetuisse meum, satis est* (leg. *sacer est* sc. Maro) *post tempora vitæ. Immo sit æternus tota resonante Camœna! Carmen et in populo et Divi sub numine nomen Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur!*

35 *Immo sit æternum—et in populo Divi sub numine nomen* ad ductum cod. Heins. ad Æn. VI. 739. legit Burm. quid sub *tota* lateat, non exputo.

Digitized by Google

VI.

Eorundem versuum scholastica imitatio, per Phocam Grammaticum ex vita Virgilii Fragmentum. Ibid. Ep. 185. *Possunt verius pro var. lect. ac corruptelis superioris carminis a versu inde* 22 *haberi :—lingua.*

Nescio quid, fugiente anima, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Infertur Tyriæ post vulnera vulnus Elisæ?
Sentiet applicitos turbata Sibylla vapores
Ejurata mori? nec cingula reddet Amazon? 5
Di meliora date, ac sensum revocate nocentem.
Pace viri liceat tanti. Nec commoda linguæ
Divitis intereant: per quam Romana juventus
Æternum floret. Verum, quod jusserat ille,
Sit vetuisse meum. Nam post sua tempora vitæ 10
Non taceat. Immo æternum resonante Camœna
Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur.

ARGUMENTA OPERUM VIRGILII.

I. (VII.)

Scholastici cujusdam poëtæ argumenta Æneidis sub nomine Ovidii. Ibid. Ep. 192.

PRÆFATIO.

Virgilius magno quantum concessit Homero,
Tantum ego Virgilio Naso poëta meo.
Nec me prælatum cupio tibi ferre poëta.
Ingenio tantum si loquor, hoc satis est.
Argumenta quidem librorum prima notavi, 5
Errorem ignarus ne quis habere queat.

NOTA

VI. 5 De Hippolyte nihil Virgilius habet, quod huc referas. Forte Camilla designatur Æn. XI. 648. quæ equo relicto pedes pugnat v. 710. ut *cingula* inscite pro frænis dicta sint.

Digitized by Google

Bis quinos legerent, feci, quos carmine versus,
Æneidos totum corpus ut esse putent.
Affirmo gravitate mea, me crimine nullo
Livoris titulum præposuisse tibi.

PRIMI LIBRI.[1]

Vir magnus bello, nulli pietate secundus
Æneas, odiis Junonis pressus iniquæ,
Italiam quærens Siculis erravit in undis.
Jactatus tandem Libyæ pervenit ad oras;
Ignarusque loci, fido comitatus Achate,
Indicio matris regnum cognovit Elisæ.
Quin etiam nebula septus pervenit ad urbem,
Abreptosque undis socios cum classe recepit.
Hospitioque usus Didus per cuncta benignæ,
Excidium Trojæ jussus narrare parabat.

SECUNDI.

Conticuere omnes. Tunc sic fortissimus heros
Fata recensebat Trojæ, casusque suorum:
Fallaces Graios: simulataque dona Minervæ:
Laucontis pœnam, laxantem claustra Sinonem:
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrum:
Jam flammas cœli, Troum, patriæque ruinas,
Et regis Priami fatum miserabile semper:
Impositumque patrem collo: dextraque prehensum
Ascanium, frustra a tergo comitante Creusa:
Ereptam hanc fato: socios in monte receptos.

TERTII.

Post eversa Phrygum regna, ut fuga cœpta moveri;
Utque sit in Thracen primo devectus: ibique

NOTÆ

[1] Deest in aliis præfatio; et ascripta singulis libris argumenta cum Modestini JCti nomine; sic et in Basil. edd. Fabric. Et in Cod. Rom. apud Bottar. p. 205.

26 *flammas cœli*, quæ cœlo ibant, ad cœlum surgebant. f. *flammas Ili* aut *flammas, cædes Troum*.

Digitized by Google

Mœnia condiderit, Polydori cæde piata.
Regis et hospitium: ut Phœbi responsa canebant,
Cœptum iter in Cretam: rursus nova fata reperta. 35
Naufragus ut fuerit Strophadas compulsus ad undas.
Inde fugam, et diræ enarrat præcepta Celænus:
Liquerit utque Helenum præceptis ordine fatis,
Supplicem Achæmeniden Polyphemo urgente recepit,
Amissumque patrem Drepani, atque hinc inde quievit. 40

QUARTI.

At regina gravi Veneris jam carpitur igni.
Consulitur soror Anna: placet succumbere amori:
Fiunt sacra Deis: onerantur numina donis.
Itur venatum. Veneris clam fœdera jungunt.
Facti fama volat. Monitus tunc numine Divum 45
Æneas classemque fugæ sociosque parabat.
Sensit amans Dido, precibus conata morari.
Postquam fata jubent, nec jam datur ulla facultas,
Conscenditque pyram, dixitque novissima verba,
Et vitam infelix multo cum sanguine fudit. 50

QUINTI.

Navigat Æneas: Siculas defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios: una hospes Acestes.
Ludos ad tumulum faciunt: certamina ponunt.
Prodigium est cunctis ardens delapsa sagitta.
Iris anum Beroën habitu mentita senili 55
Incendit naves, subitus quas vindicat imber.
In somnis pater Anchises, quæ bella gerenda,
Quoque duce ad Manes possit descendere, monstrat.
Transcribit matres urbi, populumque volentem,
Et placidum Æneas Palinurum quærit in undis. 60

SEXTI.

Cumas deinde venit. Fert hinc responsa Sibyllæ:
Misenum sepelit: mons servat nomen humati.
Ramum etiam, ante Deum placato numine, portat.
At vates longæva una descendit Avernum.

Digitized by Google

Agnoscit Palinurum, et ibi solatur Elisam. 65
Deiphobumque videt lacerum crudeliter ora.
Umbrarum pœnas discit narrante Sibylla.
Convenit Anchisen: penitusque in valle virenti
Agnoscitque suam prolem monstrante parente.
Hæc ubi percepit, graditur, sociosque revisit. 70

SEPTIMI.

Hic quoque Caietam sepelit; tum deinde profectus
Laurentum venit: hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. Mensis en vescimur, inquit.
Centum oratores veniam pacemque petentes
Ad regem mittit lectos tum sorte Latinum: 75
Qui cum pace etiam natæ connubia pactus.
Hoc forte Alecto Junonis dissipat ira.
Concurrunt dictis, quamvis pia fata repugnent.
Belli causa fuit violatus vulnere cervus.
Tum gentes socia arma parant: fremit arma juventus. 80

OCTAVI.

Dat belli signum Laurenti Turnus ab arce.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et doceat, quæ causa petendi.
Æneas Divum monitis adit Arcada regem
Evandrum, Arcadia profugum, nova regna petentem. 85
Accipit auxilium. Huic natum, et socia agmina jungit
Evander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Jamque habilis bello, et maternis lætus in armis,
Fataque, fortunasque ducum, casusque suorum
Sortitus clypeo, divina intentus in arte est. 90

NOTÆ

77 f. *Hoc Furia Alecto.* Et paulo ante f. *natæ est connubia pactus.*

78 f. *Concurrunt ferro,* ut Menag., vel *C. Rutuli, q. Fata* autem non Turno, sed Æneæ Latium cum Lavinia assignaverant; et cf. VII. 583 584.

90 f. *Miratur clypeo divina intentus in arte;* casus in clypeo expressos.

Digitized by Google

NONI.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Junonis monitu Turnus festinat in hostem.
Teucrorum naves, Rutulis jaculantibus ignem,
Nympharum in speciem divino numine versæ.
Euryali et Nisi cœptis fuit exitus impar, 95
Pugnatur. Castra Æneadæ vallumque tuentur.
Audacem Remulum dat leto pulcher Iulus,
Fit via vi. Turnus Bitian et Pandaron altum
Dejicit, et totis victor dat funera castris.
Jamque fatigatus recipit se in castra suorum, 100

DECIMI.

Consilium Divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant.
Advenit Æneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, et totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in prælia Turnus, 105
Cædunturque duces: cadit et sine nomine vulgus.
Subtrahitur pugnæ Junonis numine Turnus.
Æneas perstat Mezenti cæde piata,
Et Lausum invicta perimit per vulnera dextra,
Mox ultor nati Mezentius occidit ipse. 110

UNDECIMI.

Constituit Marti spoliorum ex hoste tropæum,
Exanimumque patri natum Pallanta remittit.
Jura sepulturæ tribuit tempusque Latinis.
Evander patrios affectus edit in urbe.
Corpora cæsa virum passim digesta cremantur. 115
Legati referunt Diomeden arma negasse.
Drances et Turnus, leges æquante Latino,

NOTA

108 *Mezenti cæde*, h. a Mezentio facta; stragem Trojanorum ab eo editam ulciscitur. Forte fuit: *piare*, perstat in eo, ut piet, expiet, ulciscetur, cæsos, morte Mezentii.

Digitized by Google

Concurrunt dictis. Æneas imminet urbi.
Pugnatur. Vincunt Troës. Cadit icta Camilla.
Deinde duces castris, donec cessere, minantur. 120

DUODECIMI.

Turnus jam fractis adverso Marte Latinis
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Fœdus percutitur passuris omnia victis.
Hoc Turni Juturna soror confundit: et ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem. 125
Æneas volucri tardatur membra sagitta.
Anxia pro nato servavit cura parentis.
Urbs capitur. Vitam laqueo sibi finit Amata.
Æneas Turnum, campo congressus, utrimque
Circumfusa acie, vita spoliavit et armis. 130

II. (VIII.)

Argumenta Monostichis expressa. V. ibid. Epigr. 191.

Æneas primo Libycis appellitur oris.
Funera Dardaniæ narrat fletusque secundo.
Tertius errores canit, amissumque parentem.
Uritur in quarto Dido, flammasque fatetur.
Quintus habet ludos, et classem corripit ignis. 5
Quæruntur sexto Manes et Tartara Ditis.
Septimus Æneam reddit fatalibus arvis.
Præparat octavo, bellum quos mittat in hostem.
Nonus habet pugnas, nec adest dux ipse tumultus.
Occidit Æneæ decimo Mezentius ira. 10
Undecimo victa est non æquo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

NOTÆ

VIII. Præfixa etiam singulis libris in Edd. Basil. et in Cod. Rom. ap. Bottar.

8 *bellum*, pro bellum utrimque gerentibus, positum. Nisi potius est: *Præparat* (Æneas) *octavo bellum* (et) *quos mittat in hostem*. Nam ab Evandro auxilia arcessit.

Digitized by Google

III. (IX.)

Argumentum omnium operum Virgilianorum. Ibid. Epigr. 188. *indocti et barbari hominis.*

Pastorum Musam vario certamine promit,
Ruris item docilis culturam carmine monstrat.
Arboribus vitem, prolem quoque jungit olivæ,
Pastorumque Palen, et curam tradit equorum.
Tunc apium seriem, et quæ mellis dona, recenset. 5
Æneas profugus intrat Carthaginis oras,
Convivis series narratur Troica belli.
Tertius at complet narrantis in ordine gesta.
Ardet amans Dido fatum sortita supremum.
Quintus habet varia tumuli spectacula patris. 10
Infernos Ditis Manes et regna pererrat.
In Latium Æneas, Italas simul intrat in oras.
Intonat hinc bellum tecti de culmine Turnus.
Euryalum et Nisum deflet cum matre juventus.
Mezenti interitus canitur, post funera Lausi. 15
Ultaque dehinc fertur telo mactata Camilla.
Turni vita fugit infernas mœsta sub umbras.

IV. (X.)

Item Argumenta in Æneidem per Hexasticha. Ibid. Epigr. 194, *ubi ex Vossiano codice integritati sunt restituta. Itaque et nos inde transcripsimus.*

PRIMI LIBRI.

Arma virumque canit vates, Junonis ob iram,
Et totum Æoliis turbatum fluctibus æquor;
Disjectas classes, submersaque corpora ponto;
Hospitium Didus, casus quo gentis, et annos
Æneas Trojæ fatumque et bella referret. 5
Quorum pars terræ, pelago pars, addita famæ est.

NOTA.

IX. 3 versum non satis intelligo. Nisi *jungere* est præcipiendo addere post arbores vitium et olivæ culturam.

Digitized by Google

SECUNDI.

Conticuere omnes, intentique ore loquentis
Ora tenent. Ac tum dolus introducitur hostis.
Et fallacis equi damnosum munus in armis,
Perfidia notusque Sinon, amissaque conjux. 10
Per medios ignes ablatus sævaque tela
Anchises, oneri facilis pietate ferentis.

TERTII.

Postquam res Asiæ, disjectaque mœnia Trojæ:
Dant pelago classes, Polydori funera discunt,
Atque Heleni præcepta, fidem cui fecerat usus: 15
Quæ non accessus via sit tentanda, Cyclopas
Et Scyllæ rabies et ineluctabilis unda,
Errorisque maris labor in contraria versus.

QUARTI.

At Regina, gravi pectus succensa dolore,
Ardet amore viri; clausum veneratur amorem; 20
Dumque capit, capitur, sentit, quos præbuit, ignes
Æneas; altum sociis et classe petivit.
Exstructa Regina pyra penetralibus, instat
Morte fugam præstare. Moræ nec defuit hora.

QUINTI.

Interea medium Æneas tendebat in æquor, 25
Mœnia respiciens causa flagrantia amoris.
Mox Siculæ tenet arva domus, Manesque parentis
Ludorum exequiis celebrat. Quibus additur Iris,
In faciem Beroës classem flammare jubentis,
Junonem mentita dolo. Namque illa monebat. 30

NOTÆ

18 Vid. Æn. III. 429. 430. 688 sqq.

24 Obscure dictum; *præstare fugam morte* esse videtur compensare, luere: fugiente Ænea mori: solvere quasi pœnam morte. Nam *præstare* est solvere, exæquare summam pecunia redhibita; pro fuga redhibet mortem. Idque illa sine more executa est.

30 An *In faciem Beroës—Junonis mutata dolo.*

Digitized by Google

SEXTI.

Sic fatur lacrymans. Cumarum allabitur oris,
Descensusque parans adiit præcepta Sibyllæ.
Qua duce non faustum mortali limen aditur.
Hic primum mæstos videt inter cetera Troas,
Tum patrem agnoscit, discit reditura sub ortus 35
Corpora, Romanosque duces seriemque nepotum.

SEPTIMI.

Tu quoque littoribus nostris, Caieta, manebis;
Servat honos nomen, pietas testatur honorem.
Causa opus insequitur: bellum namque incipit esse,
Tyrrhidæ juvenum quod tunc conflaverat ira. 40
Turnus adest; monet, arma sibi contraria sumat.
Tum gentes socia arma ferunt; fremit arma juventus.

OCTAVI.

Ut belli signum cecinit, sociosque vocavit
Turnus, et in varias turbatus pectora mentes
Æneas Evandron adit, facit hospitis usum, 45
Atque operum causas, urbis cognoscit honores:
Arma rogat, Cytherea rogat, mox accipit heros,
*Tuque opere ast piget facti labor efficit artem.

NONI.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Iris adest; monet arma sibi contraria sumat, 50

NOTÆ

32 *adiit*, petiit.

39 Inepte; an *Causa operum sequitur*, ut male adumbratum sit ex Æn. VII. 481 *quæ prima laborum Causa fuit*. Nisi malis: *Causam opus insequitur*. Causa, occasione data, pugna fit.

40 Indocte *Tyrrhidam* pro Tyrrho posuit. Alias *Tyrrhi natorum* dicere potuisset.

41 *sumat*, scil. Latinus. nisi fuit *sumant*.

47 f. *Arma Deum Cytherea rogat*. Sed in inepto carmine emendando operam ponere piget. Sequentem versum sic constituit Burmannus: *Tumque opera istu stupet; factis labor addidit artem*. Non deterior verum esset: *Neque operis pigeat, facti labor efficit arte*.

50 *sumat*, scil. Turnus. nisi est *sumant*.

Digitized by Google

Cæduntur vigiles et mutua corpora fratrum,
Nisus et Euryalus, morte et pietate fideles;
Dumque petit laudem, vincunt contraria fata.
Audacem Remulum leto dat pulcher Iulus.

DECIMI.

Panditur interea cœlum sedesque Tonantis. 55
Alternos questus Venus ac Saturnia promunt.
Illa dolos, hæc bella, movet; sed vincitur ira
Mater. At Æneas bello non segnior instat.
Vulnere Mezenti *lædæm nâm fecerat iram,
Quem tetigit virtus, superat per fata periclum. 60

UNDECIMI.

Oceanum interea Phœbus superaverat ortu.
Exstruit Æneas dextra quæsita tropæa,
Condit humi socios, fatum quos condidit ante.
Legati responsa ferunt, veniamque petitam
Non negat, et contra pugnat secura Camilla, 65
Fœmina cæde potens, casu temeraria tanto.

DUODECIMI.

Turnus ut infractos vidit cessisse Latinos,
Instat atrox pugnæ, * neces sibi percipit hostis,
Pectore secreto violatur vulnere teli,
Æneas causa est. Illi Juturna neganti 70
Affuit obsequio, cum mors finiverat iram.
Sed sua fata virum traxerunt quærere mortem.

NOTÆ

51 Discedit a Virgilio Scholastici levitas; partim verborum proprietatem deserit.

53 Sine dubio, *petunt*.

57 *sed vincitur ira Mater*. Quo spectet nescio; nec in seqq. quicquam sani est. Videtur de Lausi et Mezentii cæde agi debere.

68 *pugnæque vices* jam Oudendorpius emendavit; et mox *pectore sed recto*. Quid si: *percussa intercipit hostis Fœdera: secreto violatur vulnere teli Æneas. Causa est illi Juturna; neganti Affuit obsequio. Jam Mars finiverat iram; sed s. f.*

Digitized by Google

V. (XI.)

In Æneidem Monosticha Basilii; male apud alios Ovidii. *Ibid. Ep.* 190.

Primus habet, Libycam veniant ut Troës in urbem.
Edocet excidium Trojæ, clademque secundus.
Tertius a Troja vectos canit æquore Teucros.
Quartus item miseræ duo vulnera narrat Elisæ.
Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores. 5
Æneam memorat visentem Tartara sextus.
In Phrygas Italiam bello jam septimus armat.
Dat simul Æneæ socios octavus et arma.
Daunius expugnat nono nova mœnia Trojæ.
Exponit decimus Tuscorum in littore pugnas. 10
Undecimo Rutuli superantur morte Camillæ.
Ultimus imponit bello Turni nece finem.

VI. (XII.)

Tetrasticha in omnia Virgilii Opera. Ibid. Ep. 193.

In Bucolica Fragmentum ex quodam Poëta.

Tityrus agresti modulatus carmen avena;
Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.
Silenumque senem sertisque meroque ligavit.
Pastorumque melos facili deduxit avena.

In Georgica.

Sidera deinde canit, segetes et dona Lyæi, 5
Et pecorum cultus, Hyblæi mella saporis.
Principio breviter ventura volumina dixit;
Intercidit opus, cœpitque referre secunda.

In Æneidem.

LIBRI PRIMI.

Arma virumque canit mira virtute potentem;
Junonis odio disjectas æquore puppes; 10

NOTA

XII. Tetrasticha hæc primum a Burmanno integra edita, cum antea non nisi quatuor primi versus legerentur.—vss. 7 et 8 inepte adjecti esse videntur. Spectant f. ad Æn. lib. II. et III. v. Donat. Vit. Virg. §. 60.

Digitized by Google

Hospitium Didus, classes sociosque receptos,
Utque epulas inter casus regina requirat.

SECUNDI.

Conticuere omnes. Infandos ille labores,
Deceptamque dolis Trojam, patriæque ruinam,
Et casus Priami docet et flagrantia regna; 15
Ignibus e mediis raptum deque hoste parentem.

TERTII.

Postquam res Asiæ deceptaque Pergama dixit;
Tum, Polydore, tuos tumulos, tum Gnosia regna,
Andromachen, Helenumque et vasta mole Cyclopas
Amissumque patrem Siculis narravit in oris. 20

QUARTI.

At regina gravi Veneris jam carpitur igni,
Venatusque petit; capitur venatibus ipsis;
Et tædas, Hymenæe, tuas ad funera vertit,
Postquam Anchisiades fatorum est jussa secutus.

QUINTI.

Interea Æneas pelagus jam classe tenebat, 25
Ludorumque patris tumulum celebrabat honore.
Puppibus ambustis fundavit mœnia Acestæ.
Destituitque ratem media Palinurus in unda.

SEXTI.

Sic lacrymans tandem Cumarum allabitur oris,
Descenditque domus Ditis, comitante Sibylla; 30
Agnoscit Troas cæsos, agnoscit Achivos;
Et docet Anchises venturam ad sidera prolem.

SEPTIMI.

Tu quoque littoribus famam, Caieta, dedisti.
Impetrat Æneas Latium regnumque, Latinis
Fœdus agens; sævit Juno, bellumque lacessit, 35
Finitimosque viros Turnumque in prælia mittit.

NOTÆ

15 f. *flagrantia tecta*, I.

22 Bene Burmannus emendat, *capitur v. ipsa.*

Digitized by Google

OCTAVI.

Ut belli signum Turnus, Mezentiaque arma,
Conscivitque duces; tum mœnia Pallantea
Æneas adit, Evandri socia agmina quærens.
Arma Venus portat proprio Vulcania nato. 40

NONI.

Atque ea diversa dum parte; hic Diva Cybebe
Puppes esse suas Nympharum numina jussit:
Euryali et Nisi cædes et fata canuntur.
Fecerit inclusus castris quæ funera Turnus.

DECIMI.

Panditur interea cœlum cœtusque Deorum. 45
Jam redit Æneas, et Pallas cæditur acer,
Eripuit Juno Turnum, Lausique parentem
Adjecit comitem mortis Cythereia proles.

UNDECIMI.

Oceano interea surgens Aurora videbat
Mezenti ducis exuvias cæsosque sodales, 50
Et Latium proceres Diomedis dicta referre,
Tum qualis pugnæ succedat Etrusca Camilla.

DUODECIMI.

Turnus ut infractos vidisset (*et*) undique cæsos,
Ultro Anchisiaden bello per fœdera poscit;
Quæ Juturna parat convellere; sed tamen armis 55
Occidit, et pactum liquit cum conjuge regnum.

VII. (XIII.)

Incerti Poëtæ, apud nonnullos Ovidii, *Tetrasticha in Georgica. Ibid. Ep.* 189.

PRÆFATIO.

Qualis Bucolicis, quantus tellure domanda,
Vitibus, arboribusque, apibus, pecorique, satisque

NOTÆ

38 f. *Concivitque.*
47 f. *Lausoque parentem A.*
53 Bene Burmannus *ut infractos vidit cessisse Latinos.*

Digitized by Google

Æneadum fuerit vates, Tetrasticha dicent.
Contineat quæ quisque liber, lege carmina nostra.

PRIMI.

Quid faciat lætas segetes: quæ sidera servet 5
Agricola, ut facilem terram proscindat aratris,
Semina quo jacienda modo, cultusque locorum,
Et messes docuit magno olim fœnore reddi.

SECUNDI.

Hactenus arvorum cultus, et sidera cœli.
Pampineas canit inde comas, collesque virentes, 10
Descriptasque locis vites, et dona Lyæi,
Atque oleæ ramos pomorum ex ordine lectos.

TERTII.

Teque, Pales, et te pastor memorande per orbem,
Et pecorum cultus, et gramine pascua læta,
Quis habitent armenta locis, stabulentur et agni, 15
Omnia divino monstravit carmine vates.

QUARTI.

Protinus aërii mellis redolentia regna,
Hyblæas et apes, alvorum cerea tecta.
Quique apibus flores, examina quæque legenda,
Indicat, humentesque favos, cœlestia dona. 20

VIII. (XIV.)

Duodecim scholasticorum poëtarum argumenta in Æneidem. Ibid. Ep. 195.

LIBRI PRIMI.

VOMANUS I.

Æolus immittit ventos, Junone precante,
Trojanosque vagos Libycas expellit in oras,
Solatur Venerem dictis pater ipse dolentem.
Æneam recipit pulchra Carthagine Dido;
Cui Venus Ascanii sub imagine mittit Amorem. 5

NOTA

XIII. 5 Vid. Burm. Ge. I. p. 170. Bottar., sed corrupti. Extabant iidem in Cod. Rom. ap. 12 f. *Atque oleæ, et ramos pomorum.*

Digitized by Google

SECUNDI.

EUFORBUS II.

Cogitur Æneas bellorum exponere casus,
Graiorumque dolos, et equum, fraudemque Sinonis,
Excisamque urbem, Priamique miserrima fata;
Utque patrem impositum forti cervice per ignes
Extulerit, caramque amiserit ipse Creusam. 10

TERTII.

JULIANUS III.

Post casum Trojæ fabricata classe superstes
Vela dat Æneas, urbemque in littore Thracum,
Mox aliam pulsus Cretæis condidit oris.
Cedit et hinc, Helenumque videt, præceptaque discit;
Ætnæum Cyclopa fugit, sepelitque parentem. 15

QUARTI.

HILARIUS IV.

Ardet amore gravi Dido, soror Anna suadet
Nubere. Junguntur, nimbo cogente, sub antro.
Incusat precibus patrem contemtus Iarbas.
Navigat Æneas jussu Jovis. Illa dolore
Impatiens, et amore, necem sibi protinus infert. 20

QUINTI.

PALLADIUS V.

In Siculas iterum terras Fortuna reducit
Æneam, tumuloque patris persolvit honorem.
Tum cogit naves incendere Troadas Iris.
Troës ibi linquunt socios. Venus anxia placat
Neptunum. Somnus Palinurum mergit in undis. 25

SEXTI.

ASCLEPIADIUS VI.

Sacratam Phœbo Cumarum fertur in urbem
Rex Phrygius, vatisque petit responsa Sibyllæ.
Misenum sepelit. Post hæc adit infera regna;
Congressusque patri, discit genus omne suorum,
Quoque modo casus valeat superare futuros. 30

NOTA

XIV. 6 *causes* al.

Digitized by Google

SEPTIMI.

EUSTHENIUS VII.

Tandem deveniunt Laurentia Troës in arva:
Et pace accepta læti nova mœnia condunt.
Nocte satam Juno Furiam evocat. Illa Latinos
Inter et Æneadas bellum serit, et ciet arma.
Protinus auxiliis terra instruit Itala Turnum. 35

OCTAVI.

POMPEIANUS VIII.

Vidit ut Æneas summa vi bella parari:
Arcadas Evandrumque senem sibi fœdere jungit;
Dardanioque duci sociatur Etruria tota.
Arma petit genetrix, dat Mulciber: in clypeoque
Res pingit Latias, et fortia facta nepotum. 40

NONI.

MAXIMIANUS IX.

Ad Turnum propere Junonia mittitur Iris,
Instigatque animos. Acies movet ille, Phrygasque
Obsidet. In Nymphas versa est Æneia classis.
Euryalus Nisusque luunt nece prælia noctis.
Vi Turnus potitur castris, vi pellitur inde. 45

DECIMI.

VITALIS X.

Placat et uxoris, dictis, et jurgia natæ
Jupiter. Auxiliis instructus Troius heros
Advenit. Occurrunt Rutuli, atque in littore pugnant.
Occidit a Turno Pallas: victorque superbus
Æneæ eripitur. Mezentius interit acer. 50

UNDECIMI.

BASILIUS XI.

Occisis proprium pars utraque reddit honorem.
Supplicibus Calydone satus negat arma Latinis.
Cum Drance alterno jurgat certamine Turnus.
Æneas equitem præmittit, et obvia virgo
Excipit. Extincta Rutuli dant terga Camilla. 55

Digitized by Google

DUODECIMI.

ASMENUS XII.

Trojanis Rutulisque placet conjungere fœdus.
Id Rutuli rumpunt. Nato Venus alma medetur
Dictamno, Rutulique luunt perjuria victi.
Cogitur Æneæ Dauni concurrere proles.
Pallantea necem misero dant cingula Turno. 60

IX. (XV.)

Eorundem duodecim scholasticorum EPITAPHIA P. Virgilii Maronis, per tetrasticha. Ib. Ep. 197.

VITALIS I.

Prima mihi Musa est sub fagi Tityrus umbra.
Ad mea navus humum jussa colonus arat.
Præliaque expertos cecini Trojana Latinos;
Fertque meos cineres inclyta Parthenope.

BASILIUS II.

Hoc jacet in tumulo vates imitator Homeri;
Qui canit Ausonio carmine primus oves,
Ad cultos hinc transit agros; Æneidos autem
Non emendatum morte reliquit opus.

ASMENUS III.

Bucolica Ausonio primus qui carmine feci,
Mox præcepta dedi versibus agricolæ.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi,
Hunc mihi defuncto fata dedere locum.

VOMANUS IV.

Tityre, te Latio cecinit mea fistula versu:
Præceptisque meis rusticus arva colit.
Ac, ne Musa carens vitiis Æneidis esset,
Perfida me celeri fata tulere nece.

EUPHORBUS V.

Romuleum Sicula qui fingit carmen avena,
Ruricolasque docet qua ratione serant:

Digitized by Google

Quique Latinorum memorat fera bella Phrygasque,
Hic cubat; hic meruit perpetuam requiem.

JULIANUS VI.

Qui pastorali peragravit Mænala Musa,
Ruraque, et Æneæ concinit arma Maro,
Ille, decem lustris geminos postquam addidit anno
Concessit fatis: et situs hoc tumulo est.

HILASIUS VII.

Hæc tibi Virgilius domus est æterna sepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio.
Mænalium carmen qui profers ore Latino,
Et cultus segetum, bellaque sæva ducum.

PALLADIUS VIII.

Primus ego Ausonio pastorum carmina versu
Composui, et quo sint rura colenda modo;
Post, quibus Æneas Rutulos superaverit armis.
Vatis reliquias hæc pia terra fovet.

ASCLEPIADIUS IX.

Sicanius vates sylvis, Ascræus in arvis,
Mæonius bellis ipse poëta fui.
Mantua se vita præclari jactat alumni.
Parthenope famam morte Maronis habet.

EUSTHENIUS X.

Quisquis es, extremi titulum lege carminis, hospes.
Hac ego Virgilius sum tumulatus humo;
Qui pecudum pariter, qui cultum fertilis agri,
Mox Anchisiadæ bella ducis cecini.

POMPEIANUS XI.

Virgilio mihi nomen erat, quem Mantua felix
Edidit. Hic cineres vatis et ossa jacent.
Cujus in æternum pastoria fistula vivet;
Rustica, mox eadem Martia, Calliope.

Digitized by Google

MAXIMIANUS XII.

Carmine bucolico nitui; cultoribus agri
Jura dedi. Cecini bella Latina simul.
Jamque ad lustra decem Titan accesserat alter,
Cum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

X. (XVI.)

Item per disticha eorundem, ib. Ep. 198, *ex argumento Virgiliani distichi:*

Mantua me genuit; Calabri rapuere; tenet nunc Parthenope; cecini pascua, rura, duces.

ASCLEPIADIUS I.

Tityron, ac segetes cecini Maro, et arma virumque.
Mantua me genuit, Parthenope sepelit.

EUSTHENIUS II.

Virgilius jacet hic, qui pascua versibus edit,
Et ruris cultus, et Phrygis arma viri.

POMPEIANUS III.

Qui pecudes, qui rura canit, qui prælia vates,
In Calabris moriens hac requiescit humo.

MAXIMIANUS IV.

Carminibus pecudes, et rus, et bella canendo
Nomen inextinctum Virgilius meruit.

VITALIS V.

Mantua mi patria est: nomen Maro: carmina, sylvæ,
Ruraque cum bellis: Parthenope tumulus.

BASILIUS VI.

Qui sylvas, et agros, et prælia versibus ornat,
Mole sub hac situs est ecce poëta Maro.

Digitized by Google

ASMENUS VII.

Pastorum vates ego sum: cui rura ducesque
Carmina sunt. Hic me pressit acerba quies.

VOMANUS VIII.

A sylvis ad agros, ab agris ad prælia venit
Musa Maroneo nobilis ingenio.

EUPHORBUS IX.

Bucolica expressi, et ruris præcepta colendi;
Mox cecini pugnas. Mortuus hic habito.

JULIANUS X.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci
Et Pana, et segetes, et fera bella canit.

HILASIUS XI.

Pastores cecini; docui, qui cultus in agris;
Prælia descripsi. Contegor hoc tumulo.

PALLADIUS XII.

Conditus hic ego sum, cujus modo rustica Musa
Per sylvas, per rus venit ad arma virum.[1]

XI. (XVII.)

Asmenii Versus in Cod. Vatic. n. 1574.

Primus habet pelagique minas terræque secundus;
Tertius errores, et amores quartus Elissæ;
Quintus habet ludos, sextus deducit ad umbras;
Septimus Ausonios, Æneam octavus et arma.
Nonus at Hyrtacidem, decimus Pallanta peremit. 5
Undecimus Tarchon damnat, pars ultima Turnum.

NOTÆ

[1] Alios poëtarum lusus in epitaphio Maronis condendo vid. ex Catalectis in Anthol. Burm. l. II, ep. 199—206. XVII. 6 deb. *Tarchontem undecimus.*

Digitized by Google

DEDICATIO ÆNEIDOS.

SI MIHI SVSCEPTVM FVERIT DECVRRERE MVNVS
O PAPHON O SEDES QVAE COLIS IDALIAS
TROIVS AENEAS ROMANA PER OPPIDA DIGNO
IAM TANDEM VT TECVM CARMINE VECTVS EAT
NON EGO TVRE MODO AVT PACTA TVA TEMPLA TABELLA
ORNABO ET PVRIS SERTA FERAM MANIBVS
CORNIGER HOS ARIES HVMILEIS ET MAXIMA TAVRVS
VICTIMA SACRATO TINGVET ODORE FOCOS
MARMOREVSQVE TIBI DEA VERSICOLORIBVS ALIS
IN MOREM PICTA STABIT AMOR PHARETRA
ADSIS O CYTHEREA TVVS TE CAESAR OLYMPO
ET SVRRENTINI LITTORIS ORA VOCAT

NOTA

Dedicatio Æneidos: vulgo ipsi Maroni tributa; perperam; poëta tamen non infelicis. Saltem mira ejus est venustas et suavitas. Legitur in Antholog. Lat. lib. I. Epigr. 68. et supr. p. 1528. Catal. VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google